37
22 D
2

Digitized by Google

Martinus Epiſcopus Servus Servorum DEI.

Dilecto filio Leonardo Electo Patavienſi ſalutem & Apoſtolicam bene- V.
„dictionem. Apoſtolatus officium quanquam inſufficientibus meri- 1424. Confert Leo-
„tis Nobis ex alto commiſſum, quo Eccleſiarum omnium regimini nardo Epiſco-
„præſidemus, utiliter exequi coadjuvante Domino cupientes ſolliciti corde patum Patav.
„reddimur, & ſolertes, ut cùm de ipſarum regiminibus agitur committendis,
„tales eis in Paſtores præficere ſtudeamus, qui commiſſum ſibi Gregem Do-
„minicum ſciant non ſolùm doctrinâ verbi, ſed etiam exemplô boni operis
„informare, commiſsáſque ſibi Eccleſias in ſtatu pacifico, & tranquillo ve-
„lint, & valeant Duce Domino ſalubriter regere & feliciter gubernare. Du-
„dum ſiquidem bon. mem. Georgio Epiſcopo Patavien. regimini Patavien.
„Eccleſiæ præſidente nos cupientes eidem Eccleſiæ, cùm eam vacare contin-
„geret, per operationis noſtræ miniſterium utilem, & idoneam præſidere
„perſonam, proviſionem ejuſdem Eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni no-
„ſtræ ea vice duximus ſpecialiter reſervandam, decernendo ex tunc irritum,
„& inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque quavis auctoritate ſcienter, vel
„ignoranter contingeret attemptari, poſtmodum verò præfata Eccleſia per
„obitum ejusdem Georgii Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam diem clau-
„ſit extremum, Paſtoris ſolatio deſtituta, Dilecti filii Capitulum dictæ Eccle-
„ſiæ reſervationis, & Decreti prædictorum forſan ignari Te tunc Canoni-
„cum dictæ Eccleſiæ in Sacerdotio conſtitutum in Epiſcopum Patavien. con-
„corditer elegerunt Canonicè, ſi reſervatio, & Decretum non obſtarent an-
„tedicta: túque reſervationis, & Decreti eorundem ſimiliter inſcius electioni
„hujusmodi, illius Tibi præſentato Decreto conſentiens illam proponi feciſti
„in Conſiſtorio coram Nobis, aliàs in his omnibus ſtatutis à Jure tempori-
„bus obſervatis. Nos igitur, qui electionem ipſam, tuæque perſonæ idonei-
„tatem, & merita per Dilectum filium noſtrum Raynaldum Sancti Viti in
„Macello Diaconum Cardinalem examinari fecimus diligenter, & quam, ſi
„illi reſervatio & Decretum prædicta non obſtitiſſent, ùt præfertur, Canoni-
„cè celebratam fuiſſe invenimus; electionem eandem, & quæcunque indè
„ſecuta, utpote poſt, & contra reſervationem, & Decretum hujusmodi de-
„facto attentata reputantes, prout erant irrita, & inania, ac ad proviſionem
„ipſius Eccleſiæ celerem, & fœlicem, de qua nullus præter nos hac vice ſe
„intromittere potuit, neque poteſt, reſervatione & Decreto obſiſtentibus
„ſupradictis, ne ipſa Eccleſia longæ vacationis exponeretur incommodis, pa-
„ternis & ſollicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam ſuper his
„cum fratribus noſtris habuimus diligentem; demum ad Te, cui de littera-
„rum ſcientia, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia,
„& temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud
„nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis,
„quibus omnibus nec non dictorum Capituli Te eligentium concordi volun-
„tate attenta meditatione penſatis de perſona tua Nobis, & dictis fratribus
„ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſiæ de eo-
„rundem fratrum conſilio auctoritate Apoſtolica providemus, Téque illi præ-
„ficimus in Epiſcopum & Paſtorem, Curam & Adminiſtrationem ipſius Ec-
„cleſiæ Tibi in ſpiritualibus & temporalibus plenariè committendo; in illo,
„qui dat gratias & largitur præmia, confidentes, quòd eadem Eccleſia per
„tuæ circumſpectionis induſtriam & prudentiam circumſpectam ſub tuo feli-
„ci regimine dextera Domini Tibi aſſiſtente propitia, ſalubriter & proſperè
„dirigetur, ac grata in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipiet incre-
„menta. Jugum igitur Domini tuis humeris impoſitum prompta devotione
„ſuſcipiens, Curam & Adminiſtrationem prædictas ſic exercere ſtudeas ſolli-
„citè, fideliter, & prudenter, quòd ipſa Eccleſia Gubernatori provido, &
„fructuoſo Adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam, Túque præter æternæ re-
„tributionis præmium, noſtram & Apoſtolicæ ſedis benedictionem, & gra-

 „tiam

„tiam exinde uberiùs conſequi merearis. Datum Romæ apud S. Petrum, „Quarto Idus Januarii Pontificatus noſtri anno ſeptimo.

Sequitur exemplar literarum commendatitiarum, quas idem Papa ad Salzburgenſem Archiepiſcopum pro Leonardo dedit.

Martinus Epiſcopus Servus Servorum DEI.

VI. Commendat eum Archiepiſcopo Salisburg. *Extat epiſtola in Summario Salisb. Romæ impreſſo.*

VEnerabili fratri Archiepiſcopo Salzburgen. ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Ad cumulum tuæ cedit ſalutis, & famæ, ſi perſonas „Eccleſiaſticas, præſertim Pontificali dignitate præditas Divinæ propi„tiationis intuitu opportuni præſidii, & favoris gratiâ proſequaris. Hodie „ſiquidem Eccleſiæ Patav. tunc per obitum bon. mem. Georgii olim Epiſcopi „Patavien extra Romanam Curiam defuncti Paſtoris ſolacio deſtitutæ de per„ſona Dilecti filii Leonardi electi Patavienſis nobis & Fratribus noſtris ob ſuo„rum exigentiam meritorum accepta ſub certis modo & forma tunc expreſſis „de Fratrum eorundem Conſilio auctoritate Apoſtolica providimus, ipſúm„que Leonardum electum illi præfecimus in Epiſcopum, & Paſtorem, Cu„ram & Adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ eidem in ſpiritualibus, & tempo„ralibus plenariè committendo, prout in noſtris indè confectis literis pleniùs „continetur. Cùm igitur, ut idem electus in commiſſa prædictæ Eccleſiæ „ſibi cura faciliùs proficere valeat, tuus favor ei fore noſcatur plurimùm op„portunus, fraternitatem tuam rogamus & hortamur, attentè per Apoſtolica „tibi ſcripta mandantes, quatenus prædictum electum, & commiſſam ſibi „Eccleſiam Suffraganeam tuam habens pro noſtra, & Apoſtolicæ Sedis reve„rentia propenſiùs commendatos, in ampliandis & conſervandis juribus ſuis „ſic eos tui favoris præſidiô proſequaris, quòd ipſe Electus tuo fultus auxilio „in commiſſo ſibi Eccleſiæ prædictæ regimine ſe poſſit utiliùs exercere, tú„que divinam miſericordiam valeas exinde uberiùs promereri. Datum Ro„mæ apud S. Petrum 4to idus Januarii, Pontificatus noſtri anno ſeptimo.

Hucusque Martinus. Notandum hic: Similes literæ commendatitiæ ferme iisdem verbis conceptæ, in quibus omnibus Eccleſia Patavienſis velut ſuffraganea Salzburgenſi commendatur, uti nullæ leguntur datæ antè Leonardum, ità pluſculæ poſt ipſum datæ leguntur in Summario Salzburgenſi à numero 28. nempe univerſim decem. Cæterùm hoc telo Salzburgenſes ſæculo ſuperiore contra adverſarios Patavienſes liberaliter uſi ſunt Romæ: quibus hi contrà reſponderunt, eas commendatitias fuiſſe obtentas ſubreptione: Rectè, an ſecùs hoc dicant, haud eſt noſtrum diſcutere: plura de his apud Apologeticos utriusque partis.

VII. Leonardus ad poſſeſſionem nititur.

Cæterùm perlatâ ad Leonardum ſententiâ Pontificis adeò candidâ, nihil ille cunctatus, conſecrationem epiſcopalem ab Archiepiſcopo Salisburgenſi ſuſcepit; deinde emiſſis ad civitatem Patavienſem monitoriis eam ad obſequium primùm omnium vocavit: cunctantem, renitentémque ſubjecit interdicto. Factio Capitularium adverſaria *inhabilitatem Præſulis cauſata* collectis vaſis ſeſe abſtulit ad urbem Viennam; ubi favore Ducis Alberti caſtra, facultatésque Patavienſis Eccleſiæ, quæ per Auſtriam ſunt, in ſuam redegit poteſtatem, aliáque exercebat, quæ erant muneris epiſcopalis. Perturbatio per diœceſim erat ingens, indè Epiſcopo oſtentatis cenſuris ad obedientiam vocante; hinc Capitulo ſub iisdem pœnis revocante. Sed Alberto cumprimis acerbiſſimè doluit repulſa, qui mandatis publicis per provinciam dimiſſis vetuit, ne quisquam Laymingii imperata faceret; qui contrà auſit, eum fortunis omnibus, & pœna exilii multatum iri.

Schritovin. Obſiſtunt Canonici, cum Alberto Duce,

quem Leonardus placare fruſtra ſtudet.

Converſus ad preces Leonardus, tantùm egit apud Bavariæ Ducem, ut ipſe ſuſcepto in Auſtriam itinere preces & gratiam omnem affinitatis (nam ſororius erat Alberti) enixè interponeret: quod cùm fruſtra eſſet, contendit in Hungariam ad Cæſarem Sigismundum, quo ejus ſaltem auctoritate in ſubſidium vocata Albertum flecteret: rediit Viennam, & hortatu Cæſaris & ſuis rurſum obſecrationibus, omnibus denique modis inſtabat: ſed ùt erat ille Prin-

Princeps decretorum tenax, nihil apud eum profectum eſt. Evenit mox, ut ipſe Sigiſmundus Albertum inviſeret: eam occaſionem captans Leonardus, auſus eſt ipſe Viennam urbem, quin ipſa interiora caſtri, (ùt habent Acta) ſeu palatii Ducalis ſubire, ibíque ſub umbra Cæſaris compellare Ducem; at tantum aberat, ut leniret; ut indubitantem gravem ſenſiſſet repulſam, niſi honori regio fuiſſet delatum. Verùm quòd cardo cauſæ verteretur Romæ, egit cum Univerſitate Vienn. Dux, ut ipſa Pontificem de intruſione Leonardi accuratiùs edoceret.

Univerſitas obſecuta Duci communi conſilio literas ad Papam dat, quæ quòd totum defenſionis ſuccum videantur complecti, hic cenſuimus recitandas, ſic igitur habent:

VIII. Literæ Univerſitatis Vien. ad Pontificem pro Alberto Duce.

„Obedientiam devotiſſimam ad pedum oſcula beatorum. Beatiſſime
„Pater & Domine gratioſiſſime.

„Paſtoralis veſtri Officii ſuprema dignitas expoſtulat, ut accuratiſſimâ
„curâ, & vigilantiſſimâ providentiâ conceſſiones & proviſiones nedum gra-
„tiosè, ſed etiam de juris æquitate tam fiende, quàm facte taliter moderen-
„tur, ut indè potiùs reipublicæ ſalus & incrementum, quàm cujuscunque
„perſonæ ſingularis utilitas, aut commodum oriatur, quóque talibus obedien-
„tes, ac bene meritos filios probata probitas ad meliora ſemper provocetur
„beneficiis, ut ſic virtus inchoata habeat occaſionem creſcendi per præmia,
„quemadmodum per animadverſionem penalem reprimi, & minui ſolet ef-
„frenis improbitas, ac deterrita cohiberi. Hinc eſt Beatiſſime Pater, quòd
„ſanctitati Veſtræ devotiſſima filia Univerſitas ſtudii Viennenſis, ſolùm Dei
„gloriam, ſalutem animarum, univerſalis Eccleſiæ decus, reipublicæ incre-
„mentum, & ſingulariter ſanctitatis Veſtræ honorem, & profectum, matris
„etiam ſue percariſſime Eccleſie, ac Dyoceſis Patav. purè ex intimis viſceri-
„bus deſiderans, fiducialiter auſit eidem ſanctitati veſtræ provolutis cordis
„genibus, totíſque votis humillimè ſupplicare, quatenus in cauſa proviſionis
„Eccleſiæ Patav. ad juſtas & rationabiles preces devotiſſimi, ac obedientiſſi-
„mi ejusdem ſanctitatis veſtre filii Illuſtris Principis, & Domini noſtri, Do-
„mini Alberti Ducis Auſtriæ, ac Marchionis Moraviæ &c. Nec non Vene-
„rabilis Capituli dicte Eccleſie Patav. cujus Major & Sanior pars omnium
„etiam in dignitatibus conſtitutorum, doctiorum, ætate provectiorum, ac
„maturiorum eidem Principi firmiter adherent, provide pietatis aures digne-
„tur gratioſiùs inclinare, providendo eidem Eccleſie Patavienſi de ydoneo
„paſtore, ſcientia, moribus, & vita exemplari probato, in ſpiritualibus &
„temporalibus experto, qui ſecundùm Canones primi Chriſti Vicarii Prin-
„cipis Apoſtolorum ſanctiſſimi predeceſſoris ſanctitatis Veſtre paratus ſit ad
„ſatisfactionem omni poſcenti rationem de fide & ſpe, imò & de ſacramento-
„rum miſteriis - - - qualem ſecundùm Apoſtolicam deſcriptionem ne-
„dum decet, ymo oportet eſſe Epiſcopum virum irreprehenſibilem, ſine ti-
„more, doctorem, apprehendentem eum, qui ſecundùm ſanam doctrinam
„eſt, fidelem ſermonem, ut potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos, qui
„contradicunt arguere. Talem utique modò expoſtulat præſens ſtatus tam
„Univerſalis Eccleſie cui ſanctitas veſtra præſidet, quàm ipſius particularis
„Eccleſie, & Dioceſis Patav. cui præcipua ſollicitudine habet pariter etiam
„ſanctitas Veſtra providere. In cujus confinio videlicet regno Bohemie ſunt
„multi inobedientes, vaniloqui, & ſeductores, quorum palliatas fallacias
„oportet doctrinâ ſanâ detegere, ne & ceteri mittantur ſuis fucatis ſermoni-
„bus in errorem. Introduxerunt Huſſitarum Hereſiarche ſuam hereſim,
„plantaverunt, rigaverunt, eíque vires & incrementum dederunt ineſtima-
„biles, per pompam cleri, per vitam ſcandaloſam, aſſerentes eos non Chri-
„ſtum, non Apoſtolorum, nec aliorum primitivorum Eccleſie patrum imi-
„tari exempla, ymo contrarietatem in hujusmodi per ymaginum picturas
„vulgo oculariter deſignaverunt. Unde niſi S. V. de tali, qualem predixi-
„mus, dicte Eccleſie Patav. provideat preſule, deridebunt dicti Huſſite, qui
„& prefati Domini Georii jam mature etatis preſulis geſtus & vitam bene

„tollerabiles audebant nedum verbis, ſed & ridiculoſis picturis ymaginum
„irridere, quanto magis nunc, cùm ydoneorum habundans extat copia, pro
„quibus & tantus Princeps, & ipſius Eccleſie Capitulum, quo permaximè in-
„tereſt, inſtant, irridebunt utique nec fortè immeritò, ſi dimiſſis tante fame
„viris eis in tanto numero in tanto preſulatu notoriè minùs ydoneus etiam
„diſplicenter dictis Principis advocati fautoris & defenſoris præpotentis ſimul
„& Capituli ipſius Eccleſie Pat. præficiatur. Sed & aliis præbetur ſcanda-
„lum, qui ſcientes, quòd non ſorte ſed arte paſtores eligendi ſint, ſuſpicaren-
„tur etſi frivolè ſola perſonarum acceptatione apud ſedem Apoſtolicam diſtri-
„bui preſulatus, pluréſque fidelium in ipſa Patav. Dyoc. ſubverſionis fidei
„periculo ſubjacebunt, quos Huſſitarum ſuaſiones perverſe in cleri odium
„ampliùs inflammarent. Moveat & ſanctitatem veſtram ad exauditionis
„gratiam dicti Domini noſtri Principis excellentiſſima fama virtutis longè
„latéqne diffuſa, qui in adoleſcentia ſua ſuſcipiens Auſtrie gubernacula fovit
„pacem, dilexit veritatem, ſectatus eſt juſtitiam, defendit oppreſſos, repreſſit
„injuriatores, repreſſit pauperum oppreſſores: ſed & ab initio ſui regiminis
„ad honeſtatem vite tam cleri quàm populi ſui dominii ardenti deſiderio di-
„noſcitur ferbuiſſe. Ideo ſiquidem ad ſacram Conſtant. Synodum, in qua
„poſt Eccleſie tunc ſciſſe reductionem parabat in moribus fidelium facere de-
„inde reformationem, transmiſit expenſis magnis ambaſiatam numeroſa
„multitudine Prelatorum, procerum & Doctorum, cujus partem notabilem
„propoſito ſuo magìs congruentem indè à primo usque ad finem, ùt ejus de-
„cebat celſitndinis magnificentiam, largiter expenſavit. Rnrſus conſiderans,
„quòd quia ſacra Synodus Conſtant. hujusmodi deſiderate ſibi reformationi
„nequiret intendere, à S. V. impetravit viſitationem cœnobiorum beatorum
„Auguſtini & Benedicti Ordinis per ſua dominia conſtitutorum, quam per-
„fecit plurimùm, reductis jam multis ad obſervantiam regularem, & longè
„ampliùs perfeciſſet, niſi S. V. quorundam inconſultis ſuggeſtionibus & im-
„portunis circumſtantiis permota hujusmodi viſitandi auctoritatem illico re-
„vocâſſet. Similibus occaſione & ſpe reformationis expenſis ſuis, ùt Duca-
„lem decebat magnificentiam prior nobiles Doctores ſacre Theologie & Ju-
„ris Canonici transmiſit Salzburgam ad provincialem Synodum, & pòſt tres
„tales ad Synodum Dyoceſanam Pataviam, in qua ordinabatur viſitatio Cleri
„generalis, ex qua tamen nullus ſurgebat emendationis effectus, ſed pociùs
„ob impunitatem exceſſuum major audacia delinquendi. Omnibus hiis ad
„laudabile ſuum propoſitum non proficientibus, ymò jam ferè ſpe ſua & in-
„tentione fruſtratus, cùm aliàs translatio olim R. P. Domini Georii ultimi
„Preſulis Pat. ad Eccleſiam Strigonienſem eidem præſens inſtare videretur,
„miſit ad S. V. nunctios inſtando ut preficeretur ſepe dicte Ecelefie Pat. Pre-
„ſul ydoneus. Et demum per obitum ejusdem Domini G. ipſa Eccleſia va-
„cante iterum per ſolempnem ambaſiatam apud Sanct. V. ſollicitè inſtare
„curabat, ut eidem preficeretur Epiſcopus, de quo certus eſſet, quòd refor-
„mationem ipſius Eccleſie in ſpiritualibus & temporalibus ſollicitè intenderet
„juxta Canonum ſanctiones, ſibíque in repulſione Huſſitarum ſciret & vellet
„efficaciter aſſiſtere, ſuóſque ſubditos à contagio hereſis preſervare, per quod
„etiam dominia ſua forent ab extraneis communita, ut ab Huſſitarum cotti-
„diano incurſu poſſet ea firmiùs defenſare. Et quia Dominnm Leon. Lay-
„minger per S. V. aliàs ipſi Eccleſie Patav. prefectum talem non eſtimat, ymò
„pro certo habet, quòd talis non ſit, ex cauſis in ſua ſupplicatione exponen-
„dis, optimum cenſuit ad eandem S. V. denuo recurrendi & declarandi ei-
„dem dictam proviſionem ipſi Eccleſie Patav. ſibíque ſubjectis, ac territoriis
„ſuis ſanctóque ſuo reformationis deſiderio minimè convenire, aliáſque cau-
„ſas ſue oppoſitionis clariùs aperire, quæ meritò etiam animum veſtrum ad
„ejus ſanctum deſiderium poterunt inclinare, præſertim cùm in hoc non
„querat, que ſua ſunt, ſed que JEſu Chriſti. Demum Beatiſſime Pater mo-
„veat S. V. ſepe dicti Principis firma reſiſtendi dicto Domino Leon. Lay-
„ming intentio & indignatio dura, quam contra ipſum undecunque con-
„cepit,

„cepit, adeò gravis, quòd Illuſtriſſimus Princeps & Dominus D. Henricus
„Dux Bavarie conthoralis ſororis dicti Domini Alberti dulciſſimus nuperri-
„mè ſub maximis expenſis ejusdem Domini Leon. videlicet duorum milium
„flor. Ut dicitur, ſequens eundem Dominum Albertum à Bavaria per totam
„Auſtriam usque ad Ungariam per decem uſuales dietas aut ampliùs, etiam
„coram Ceſarea Celſitudine Sereniſſimi ac invictiſſimi Principis & Domini
„D. Sigismundi Romanorum, Ungar. &c. Regis ſemper Auguſti, & poſtea
„huc Wiennam rediens rurſúmque ſollicitiſſimè inſtans nequiverit dicti Du-
„cis Auſtriæ animum ad favendum ipſi Leonh. Layming. aliquatenus incli-
„nare. Hinc S. V. penſare poterit, quantis diſcriminibus, periculis & in-
„commodis nedum ipſa Patav. Eccleſia, verùm etiam ipſe Ducatus Auſtriæ
„preſente proviſione ipſi Domino Leon. Laym. facta poterit ſubjacere, ad-
„verſante ſibi tam potente Principe ipſius Eccleſie advocato & precipuo de-
„fenſore, in cujus territorio pars maxima poſſeſſionum & jurisdictionis tam
„in temporalibus, quàm in ſpiritualibus, & extra perpauca dinoſcuntur con-
„ſtituta; neutróque fidem alteri adhibente, ſed pociùs eſtimante ſemper
„Principe, quòd Epiſcopus dictus odium in ſuos convertet aut fortè introdu-
„cat ad ſuum territorium alienos, & econtra ſuſpicante Epiſcopo, quòd ipſe
„Princeps ſibi indignans diſſimulet compeſcere, aut fortè contra ſe roboret
„ſui & Eccleſie invaſores. Ob hæc & alia motiva potiſſima, quæ S. V. dicti
„Domini noſtri Principis ambaſiatores luculentiſſimè exponent, non debet
„videri difficile proviſionem dicto D. Leon. factam in melius commutare,
„cùm aliàs S. V. predeceſſor fel. rec. Urbanus ſextus Illuſtrem Principem &
„Dominum D. Ducem de Monte, quem videlicet Eccleſie Patav. prefecerat
„jam ad ejus tytulum conſecratum & poſſeſſionem ipſius Eccleſie cum plena
„obedientia civitatis Patav. habentem unà cum auxilio ſuorum conſangui-
„neorum Illuſtrium Bavarie & aliorum plurium & potentiorum, quàm ipſe
„Dominus Leonh. Laym. habere queat, ad Illuſtris olim Principis Domini
„Alberti tertii ferè tunc Ducis Auſtrie &c. & avi preſentis Domini Alberti
„ſolius inſtantiam tranſtulerit ex minoribus cauſis, ſua etiam Eccleſia id mi-
„nùs exigente, ad Eccleſiam Badebrunenſem, ipsíque Eccleſie Patav. Dnum
„Georium noviſſimum ejus paſtorem ad beneplacitum ejusdem Domini Al-
„berti pro bono ipſius Eccleſie curavit providè ſurrogari, & præſertim ne ſa-
„cra Veſtra ſedes Apoſtolica, cujus eſt præ omnibus ſaluti fidelium intende-
„re, videatur minùs conſiderantibus, contra ſalutem eorundem, reforma-
„tionem morum proviſionibus factis minùs ydoneis impedire. Ne etiam
„tam pius, tam Chriſtianus Princeps, támque ſublimiter in honore & po-
„tentia cottidie conſcendens, ut noviter adeptus Marchionatum Moravie di-
„catur etiam de certo adepturus regnum Bohemie, in ſuis juſtis & rationabi-
„libus petitionibus quaſi verecundè paſſus repulſam, concepte devotionis
„fervorem ad ſanctam Romanam ac Patav. Eccleſias & omnem clerum, quod
„abſit, vertat in odium aut tyrannidem, aut aliquatenus imminuat protectio-
„nem. Altiſſimus det Sanctitati Veſtræ præſcriptis ſalubriter aquieſcere,
„conſervans etiam eandem feliciter & longiſſimè. Datum Wienne in Col-
„legio Ducali in noſtra congregatione generali ſuper his ſpecialiter celebrata.
„Anno Domini MCCCCXXIIII. Decima die Junii, noſtro proprio ſub
„Sigillo.

„Sanctiſſimo in Chriſto Patri ac D. D. Martino Sacroſancte Romane ac
„Univerſalis Eccleſiæ ſummo Pontifici Domino noſtro gratioſiſſimo.

„Sanctitatis V. devotiſſima & humillima filia Rector & Univerſitas Stu-
„dii Wiennenſis.

Accurrit pariter Romam Henricus ipſe Flökelius, non tam uti ſuam IX.
ageret cauſam, quàm uti exponeret perturbationem communem ac dolorem præcipuè Ducis, quæ per ſententiam Pontificis exorta ſit. Oratio ejus, quam ad Papam habuit, refertur in Actis, hoc principio: *Audito per Illuſtrem Principem Dominum Albertum Auſtriæ Ducem Moravieque Marchionem Veſtræ ſanctitatis devotum filium preces ſuas coram eadem S. V. per certos ſuos Oratores occa-*

Secunda Alberti ad Pontificem legatio contra Leonardum.

*occaſione Eccleſie Patav. tunc vacantis propterea directos effuſas, perſonáſque Ve-
ſtræ ſanctitati oblatas de omni ſufficientia ac virtutibus commendatas per eandem
S. V. repulſas ac repudiatas fore: audita denique proviſione intolerabili ejus, cujus
fama cognoſcitur, & conditio prob dolor facta, fracto utique animo in affectum ex-
orſus eſt in hæc verba: Eccleſiam Patav. pacificare decreveram & hoc tempore
congruo vacationis ad plenum reſtaurare: ſed quid? proviſio de qua dicitur, id
ipſum impedit, effecitque, quòd error noviſſimus erit multo pejor priore. Propterea
ad ipſius intentionem ego ad perſequendum dicenda in ſuis, ac aliorum Dominorum
Ducum Auſtrie & ſingulorum, quorum intereſt, volui dicere: quæſivimus pacem,
& tempus curationis & ecce turbatio* &c. Indè priora illa executus de ſtudio
„Ducis in curandis Cleri Pataviensis & populi morbis, quæſiviſſe medicos
„optimos, doctos & expertos, quorum nihil in hoc intolerabiliter proviſo
„reperiatur: ſublatam eſſe ſpem omnem correctionis: qualiter enim ei da-
„retur gratia ſpiritualiter corrigendi, qui omnem ſpiritualitatem ſibi hactenus
„ſemper reputavit venenum?

„Turbatos eſſe Duces Auſtriæ Erneſtum & Albertum ac cæteros quo-
„rum intereſt, quòd perſonis tot dignis & evidenter idoneis reſutatis, grati-
„ficatum eſt ei, cujus laudabiles ſcilicet conditiones in ſupplicatione dicti
„Principis S. V. oblata deſcribuntur, ac deinde aggravatæ ſunt per captivi-
„tatem honorabilis viri Canonici Patav. quem etiam hodie tenet captivum,
„ne ſcilicet ſua idoneitas & glorioſa fama prodiret in lucem. Quibus non
„obſtantibus, ut de ſua protervia commodum reportaret, providit ipſum Ve-
„ſtra Sanctitas glorioſè remunerando, ita ut nec juberetur captivus relaxari,
„quod vel verbo fieri poterat. Propter quod & pars captivorum truffando
„gloriatur, non ſine ſcandalo univerſorum.

„Turbatos eſſe confuſione ipſos, qui innocenter repudiati ſunt, inter
„cæteros nobilem Dominum Wilhelmum Præpoſitum Viennenſem infula-
„tum, quem dicti pſeudoprophetæ veritatis inimici de infirmitate & nimia
„craſſitudine, teſte Domino, falsò detulerunt; cùm ſit perſona elegans at-
„que pulchra, quæ nulli amanti poſſit diſplicere: eſt enim robuſtus in jun-
„cturis, compactus, longus, mediocriter craſſus, quòd eo fortior communi
„æſtimatione in tota Auſtria vix reperiatur: ac aliàs conſtans, pius, humilis,
„ſobrius, à cunabulis caſtus, ornatus ac domui ſuæ bene præpoſitus: etſi
„non eminentem, habet tamen competentem literaturam, ſuum officium
„miſsáſque publicas bene ſciens legere & cantare.

„Sic injuriam omni pœna dignam irrogâſſe Nicolao Abbati Mellicenſi,
„de ſanctitate vitæ & omni virtute commendando, quem inutilem imò di-
„lapidatorem aſſeruerunt. Sic falsò detraxerunt tertio (Nicolao Dinkelspihl)
„viro devoto ſacræque Theologiæ Profeſſori famoſo, qui quamcunque Ec-
„cleſiam non peteret, imò nec ſponte oblatam acceptaſſet.

„Accedat inſuper & *perſona loquens*, quæ licèt reſpectu præmiſſorum ſit
„in omni parte minima, maximè tamen gravata: inimici namque reconci-
„liati, à quibus cavere Sapiens jubet, detecta falſitate omnium quæ mihi ob-
„jecerunt, confugerunt ad plus infamandum & nocendum ad caſum juris
„*cùm inter Canonicos*: de Elect. (ſcilicet aſſerentes epilepticum) falsò & in-
„juriosè.

„Confunduntur pariter & turbantur Præpoſitus, Decanus, & major ac
„ſanior pars Capituli Pataviensis, qui Leonhardum conditionibus epiſcopa-
„libus penitus nudatum recognoſcunt.

„Civitas pariter Patav. quæ ipſum educavit, obedientiam ſibi tanquam
„bene cognito hactenus minimè præſtitit, nec præſtabit, donec Dux non
„erit per gratum contentatus.

„Univerſitas Wiennenſis, quæ ipſum lacte doctrinæ aliquamdiu pavit,
„ac totus Clerus & populus Diœceſis Patav. nullam ei obedientiam præſta-
„bunt, imò nec poſſent in obediendo conſcientiam ſalvare.

„Propterea Beatiſſime Pater ſupplicamus nomine & parte dicti Domini
„Ducis, & non ſolùm, ſed & Sereniſſimæ Dominæ Eliſabethæ Romanorum
„Regis

„Regis filiæ dicti Domini Alberti conthoralis, ſuas primarias preces propte-„rea Veſtræ Sanctitati porrigentis, quatenus V. S. dignetur dare pacem Eccle-„ſiæ Patav. atque dicto Domino Duci gratum, idoneum tamen & utilem juxta „ipſius deſiderium præficere & nimis viliſſimè turbatum & confuſum primis „conſolationibus recreare, periculum extremæ deſtructionis Eccleſiæ in fo-„ribus reſidens præveniendo.

„Subjecit alia ponderanda: primum, quòd nonnulla caſtra Eccleſiæ in „manibus ingrati & bonum teſtimonium apud Ducem non habentis poſita, „in ſiniſtrum eventum damna præſtarent & pericula eidem Domino Duci ac „ſuis terris: quo attento Urbanus VI. S. V. prædeceſſor Dominum Ducem „de Monte Epiſcopum Patav. quadriennalem etiam civitatis poſſeſſionem & „aſſiſtentiam Dominorum Ducum Bavariæ habentem ad Eccleſiam tranſtulit „Baderburnenſem.

„Ponderanda ſecundò Advocatia Eccleſiæ Patav. quæ ſolùm & in ſoli-„dum ad ipſum Ducem ſpectat & non alium: quamvis æmuli pacis contra-„rium multis credentibus prædicarunt, de quorum falſitate per me Decre-„torum hìc ſunt documenta.

„Confinxerunt etiam minimam bonorum temporalium partem in Au-„ſtria conſiſtere, cùm plus quàm duæ tertiæ in Auſtria collocantur. Auſtria „eſt, non Bavaria, quæ habet colligare os bovis triturantis.

„Ponderandum etiam, quòd progenitores Ducis plurima caſtra Eccleſiæ „Patavienſis diſtracta & in manibus alienis poſita pluries recuperârunt ſuis „ſumtibus & laboribus, & illa Eccleſiæ gratuitè reſtituerunt: in cujus teſti-„monium ipſa Eccleſia ſe obligavit deinceps nunquam debere vendere, aut „in caſum juris, duntaxat Duci pro tempore exiſtenti, aut eo nolente, uni „terrigenæ ad Ducis mandatum propter pericula ſupradicta: de quo teſtimo-„nia ſunt in promto.

„Et quid, Pater Sanctiſſime, nunquid didicit S. V. quòd aliàs Dominus „Georgius tunc Epiſcopus de Concilio rediens adeò involutus debitorum „multitudine, ut deſperatus de facultate ſolutionis Eccleſiam in manibus Du-„cis poſuit, qui dato ordine & XVIII. millibus florenorum in magna parte „ipſam temporaliter reformavit, & niſi interceſſiſſet ipſius Epiſcopi obitus, „celeriter ipſam prorſus exdebitaſſet.

„Ad extremum ſtatuit, non parvipendendum Principem attenta ejus „devotione & zelo, quos ad Eccleſiam Romanam gerit; ipſe fuit & eſt, qui „conſtanter ſe murum oppoſuit, ſcutum & gladium vibrat contra perfidos „hæreticos Huſſitas. *Hac æſtate* perſonam, res & homines ſui Dominii peri-„culo expoſuit, totam pacificando Moraviam, ab aliis Principibus Catholicis „derelictus. Perdere hunc Principem eſt ſedem Apoſtolicam perdere in Ala-„mania lapidem angularem. Fiat igitur Pater Beatiſſime pax in virtu-„te tua &c.

Oratio, ùt ex proximè dictis apparet, dicta eſt ſub finem æſtatis, aut certè in autumno anni 1424. cùm dicat hac æſtate Ducem perſonam & res ſuas expoſuiſſe, totam pacificando Moraviam: atque tum civitatem PataVienſem nondum fuiſſe in obſequio Leonardi, quod itidem ſuperiùs dicitur. Brevi tamen indè ad Epiſcopi ſeſe flexiſſe partes (haud dubiè metu Bavariæ Ducis) colligo ex manuſcripto vernaculo, in quo legitur civitatem undecim hebdomadis, non ultrà, fuiſſe interdicto ſubjectam. Sed cives, laborante nimirum Epiſcopi cauſa, minùs fuerunt in officio, multàque fecerunt, ob quæ deinde graviter exagitati ſunt. Potitus igitur urbe monitoria ſeu literas comminatorias per Auſtriam miſit, eáſque per Epiſcopum Chiemenſem curavit publicari; Speciatim Univerſitatem Viennenſem, cujus judicio niti Ducem Univerſitatem adverſariſque credebat, per literas convenit acres & ſeveras, quibus impingebat ei crimen fautoriæ hæreticæ pravitatis: ipſe etiam (verba ſunt Apologiæ Univerſitatis ad Epiſcopum Recanatenſem Papæ nuncium) ſuos proceſſus ſub ſigillo ſuo non tantùm contra Canonicos Patav. Viennæ reſidentes, ſed & contra totum Clerum ac ipſam Univerſitatem & quatuor ejus facultates decre-

X. Leonardus potitur Urbe Patavia.

Univerſitatem Vienn. ad obedientiam vocat.

vit & fulminavit, & comminabatur excommunicationes, privationes, niſi ipſa Univerſitas ſibi obedientiam præſtaret. Hæc ibi. Dux item Bavariæ hortabatur per epiſtolam Doctores, facerent, ſatagerent conſiliis & precibus, ut Alberti gratiam Leonardo reficerent.

Quæ ſe partibus Ducis & Capituli applicat.

Tenuerat ſe hactenus Univerſitas in medio. Quanquam enim nuper Pontifici mandato Principis per literas ſupplicâſſet, nondum tamen ullas profeſſa erat partes, neque appellationibus Capituli aut Ducis nomen ſuum adſcripſerat: modò autem utrinque conſtricta, hinc interminationibus Ducis mulctationem bonorum cum exilio denunciantis, indè propoſitis à Leonardo diris, diſſimulationem exuit, aggregavitque ſe Capitulo & Duci, ſolenni appellatione coram Notariis publicis concepta. Id quidem in magnam diſplicentiam multorum, qui zelum ad præfatæ Univerſitatis bonum gerebant, utì ſcribit Schritovinus. Deinde Dominica ſecunda Adventus duos è Doctoribus Procuratores delegit, qui Univerſitatis cauſam apud Pontificem agerent, Joannem Kreveld & Joannem Kerrs, quibus ſuum quoque negotium impoſuit Dux.

Idem facit Clerus Auſtriacus.

Ejusmodi appellationem inſtituit Clerus Auſtriacus Crembſii congregatus, eâ vulgo cauſâ, *ne propter vanas diſceptationes oporteret ipſum deſtrui absque fructu*; Additum alterum, videlicet *conſiderâſſe Clerum intentionem rectam Ducis, qua eſſet reformare Eccleſiam Patav. populum à Contagio hæreſis Huſſiticæ præſervare & ſua dominia ab ipſorum incurſu firmiùs defenſare.*

XI.

Sigiſmundus Cæſar Leonardo favet. Tertia legatio Ducis ad Papam.

Interea Leonardus magnam cauſæ ſuæ præſidium nactus eſt in Sigiſmundo Rege, qui licèt ſocer Alberti, tamen Epiſcopi cauſæ indubitanter favebat, eámque etiam commendavit Pontifici; quo ſolicitus Albertus Dux decrevit mittere legationem novam, novis inſtructam capitibus: miſit Nicolaum Dünckelspühl cum Kadoldo quodam & Leonardo, quibus inter alia mandavit, curarent hortari Papam, ne is adverteret animum ad preces Regis: quod enim oraſſet, non ſuopte motu ſed aliorum impulſu precibus feciſſe, nec in mora futurum, ſi alium aliquem ex iis, quos proponi mandabat, Pontifex nominaret Epiſcopum. Extat in Actis inſtructio Legatis data ad verbum hæc:

Inſtructio Legatis data.

„Primò dicatis Domino noſtro Domino Papæ obedientiam & ſervitia.

„Item quòd juxta *priùs bis ſcripta* omnes fructus & proventus, & quòd „omnia caſtra Eccleſiæ Patav. ſunt in dominiis noſtris, ob quod neceſſarium „eſt nobis, ut habeamus Epiſcopum nobis & terris noſtris bene inclinatum.

„Item quòd compromiſſio & electio non ſunt legitimè celebratæ juxta „continentiam appellationum majoris partis Capituli.

„Ex his & aliis cauſis attenta noſtra obedientia & utilitate Eccleſiæ Pat. „& Cleri ſupplicetur eidem Sanctitati ſuæ, quatenus nobis in Epiſcopum di„gnetur aſſignare præ omnibus Dominum Præpoſitum, cui propter virtutes „& mores laudabiles nobis notos ſumus ſingulariùs inclinati: & recitentur „bona, quæ fecimus Eccleſiæ Patav. & ampliùs facere intendimus.

„Si verò nullo modo hunc dare vellet, tunc præteritis aliis petimus Do„minum Abbatem Mellicenſem: & ſi nec hunc vult nobis dare, petimus Ma„giſtrum Heinricum.

„Item exponantur ſibi debita Eccleſiæ, quódque ſimus hereditarius „Advocatus Eccleſiæ.

„Item quòd non advertat petitionem D. Regis, qui rogatus rogavit. „Nec ullo modo ſit contra eum, ſi ſaltem nos pro altero tantùm fuerimus „exauditi.

1425.

Actio legatorum contra Leonard.

„Hucusque inſtructio, quam executi per libellum Legati præter illa, „quæ jam ſuperioribus ſupplicationibus expoſita fuerant, hæc ſpeciatim de„claraverunt, primò electionem non eſſe factam per perſonas Capitulares ſed „extraneas, quæ nullo modo fuiſſent electæ in Compromiſſarios, ſi præſumpſiſ„ſent iſtum aliquando eligendum; prout experientia docuit, cùm etiam ante „electionem contradixerint & appellaverint: nec ſe & Eccleſiam conjeciſſent „in id diſcriminis, niſi vidiſſent perſonam Electi eſſe inutilem Eccleſiæ, aut „cognoviſſent aliquid inordinatum in electione.

„Dein-

Digitized by Google

„Deinde expoſuerunt Electum feciſſe promiſſiones Simoniacas: nam „duo, inquiunt, principales Commiſſarii Ducis fatentur publicè, uni eorum „oblatos eſſe mille ducatos; alteri mille & quingentos. Rurſus Domino „Henrico Flökl Decano Patavienſi promiſſum eſſe caſtrum Patavienſe infe-„rius, & ſingulis annis octingentos florennos. Præterea vocem eſſe publi-„cam & famam de multis promiſſionibus Simoniacis à Laymingio factis: „neque ſuſpicione carere facinus, quo Chriſtianum Salmenſem tendentem „cum appellatione Romam per familiares ſuos & fratres cepit, captúmque „adhuc detinet.

„Electum eſſe omnium Apoſtolicorum Impetrantium & Curialium „odioſum perſecutorem: Sedis Apoſtolicæ & mandatorum ejus contemto-„rem; & vilipenſorem Legatorum Sedis Apoſtolicæ, & Nunciorum ipſius „detractorem; poteſtatis ipſorum more Huſſitarum impugnatorem & per-„ſonarum diffamatorem, prout ſe ſæpius declaravit verbis & factis. Sic „Cardinale Placentino Pataviam ingredi parante, cùm deliberaretur de eo „honorificè excipiendo per proceſſionem, ipſum quantum in ſe fuit obſtitiſ-„ſe diverſis oblocutionibus, & dum perficere non potuit, exiſſe urbe unà „cum Canonicis iniquitatis Collegis.

„Electum eſſe de ſimplici militari genere procreatum, maximè extra-„neum à Ducatu Auſtriæ cum omni ſua genealogia: adhærere alteri Princi-„pi nempe Duci Bavariæ, qui graviter à longis temporibus erant inimici, „licèt nunc amicitiæ redditi per affinitatem; quæ tamen amicitia per iſtam „promotionem ſine dubio diſſolvenda ſit, & ponendus acutiſſimus gladius „inter utrumque Ducem, gravi malo Eccleſiæ Patav. quæ in medio eſt: gra-„vi damno fidei: nam impeditum iri Ducem Auſtriæ à bello in Huſſitas, à „defendendo Clero, in quem populares majorem in modum exacerbati ſint, „ſic, ut presbyteros etiam nonnullos linguâ, naſo, aliiſque membris trunca-„verint, atque ùt quidam retulére, etiam vivos excoriaverint.

„Eccleſiam Patavienſem eſſe obæratam debitis ſeptuaginta millium du-„catorum: hæc expungi non poſſe niſi à viro induſtrio, habente favorem „Principis. Non defuturum hac in parte Albertum & ope & conſilio, mo-„dò idoneum nanciſcatur Epiſcopum; itáque majores ejus multis donatio-„nibus & beneficiis in Eccleſiam, monaſteria, aliáque loca pia impenſis de-„monſtraſſe.

„Fortunas Eccleſiæ Patavienſis maximam partem è concordia & pace „cum Ducatu Auſtriæ pendere. Experimentis cognitum, ea ſtante floruiſſe, „deperditâ corruiſſe. Ex nuperno diſſidio propter Ducem de Monte à Pon-„tifice promotum, res Eccleſiæ cepiſſe fluere; gravari alieno ære. Pacem „autem quam tandem futuram, ſi invito Principe intrudatur in ſedem homo „extraneus, à quo periculum ſit, ne cum vicino aliquo Principe conſpiret? „eidem caſtra Eccleſiæ in terris Auſtriacis ſita deſpondeat? Item iſto potiſſi-„mùm tempore metuendam, quo alioqui ab Huſſitis eorúmque erroribus, „quibus ſubditos in Clerum incitant, infeſta ſint omnia.

„Principes Auſtriacos eſſe advocatos, defenſores & protectores Eccle-„ſiæ Patav. idcirco eorum precibus, quod quidem Epiſcopi delectum attinet, „à Summis Pontificibus omni tempore fuiſſe delatum. Quemadmodum „autem id ferat Dux promoveri talem, qui auſus ſit velle eandem Advoca-„tiam ab Duce Auſtriæ alienare, eámque in Ducem Bavariæ transferre pro-„miſerit? hoc certè inter duos Duces fore belli fomitem.

„Ut nihil dicatur de meritis peregregiis in Eccleſiam Alberti Ducis: „Unum ipſum contra Huſſitas eduxiſſe tot exercitus luculentos; tantis & „ſumptibus & periculo. Ipſum annos jam plures ſtipendiis ſuis alere nume-„rum bene magnum copiarum in finibus pro defenſione fidelium; dignum „profectò eſſe, qui non abeat repulſus, non ſuccumbat homini nihil uſque „de Eccleſia merito; exemplóque ſit cæteris Principum, quàm rectè pen-„ſentur merita in Eccleſiam collocata.

Hæc Legati, qui ad extremum commendatis iis, quos Dux propoſue-

rat, peculiarem defenſionem ſuſceperunt Henrici Flökelii, quem adverſarii
„infamaverant pati morbum caducum, cùm tamen, inquiunt, eidem nec cir-
„ca promotionem Eccleſiæ Tridentinæ nec Kyemenſis id oppoſitum fuerit;
„nec unquam auditum per tempus, quo fuit Auditor ſeu Cancellarius Ducis
„Auſtriæ, ſeu in regimine Decanatus Patav. nec ab aliquo tempore juventu-
„tis ſuæ usque in tempus præſens, neque auditum, neque objectum, neque
„viſum. Offerimus nos unà cum procuratoribus dicti Domini Henrici ad
„ſufficientem purgationem, quæ poteſt præſtari in ejus abſentia hìc in Ro-
„mana Curia ſuper hac infamia & ultra hæc ſumus contenti in caſu, ſi repe-
„riretur eſſe verum, ipſum eo morbo laborare, quòd privetur dicta Eccleſia
„in caſu, ſi ſibi de eadem providebitur; prout de jure fieri poterit & debe-
„bit, & etiam aliis beneficiis, quæ obtinet.

Hæc Legati; qui utì ex contextu colligitur, venêre Romam ſub finem anni 1424. indéque proſecuti cauſam per annum ſequentem, ùt indicat titulus Actionis in hæc verba: *Informatio in cauſa Patav. data Domino Papæ & Cardinalibus per M. Nyc. Dunkelspübl & D. Kadoldum & D. Leonh. anno concluſo: & anno hoc fuerunt dati plures objectus contra Layminger.* Hæc ibi.

XII. Sigiſmundus Cæſar dat Leonardo diploma confirmationis privilegiorum Patav.

Dum hæc Romæ geruntur, Epiſcopus aliud commodum ab Rege Sigiſmundo obtinuit, diploma confirmatorium libertatum & privilegiorum omnium Eccleſiæ Patavienſis in hæc verba:

„Sigismundus Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, ac Hun-
„gariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex. Ad perpetuam rei memo-
„riam. Inter alia virtutum opera Regiæ Majeſtatis generoſa ſublimitas ſpe-
„ciali ſtudio ad illa dignatur intendere, per quæ conſtat Eccleſiis & earum
„Miniſtris quietam pacem & commodum evenire. Oblata ſiquidem noſtræ
„Celſitudini Venerabilis Leonardi Epiſcopi Patavienſis noſtri Imperii Princi-
„pis & devoti Dilecti, ſupplex petitio continebat, quatenus privilegia, liber-
„tates, Jura, immunitates, indulta & conſuetudines, ſibi & Eccleſiæ ſuæ Pa-
„tavienſ. conceſſa & conceſſas, data & datas, ſervata & ſervatas, innovare,
„ratificare, & confirmare, de benignitate Regia dignaremur. Nos ejusdem
„Leonardi Epiſcopi precibus, velut juſtis & rationabilibus, favorabiliter in-
„clinati, univerſa & ſingula privilegia, libertates, jura, emunitates & indulta
„per divæ recordationis Reges & Imperatores Rom. prædeceſſores noſtros
„Eccleſiæ Patavienſ. præfatæ & ejus Epiſcopo pro tempore exiſtenti, con-
„ceſſa, data, conceſſas & datas, nec non laudabiles conſuetudines apud ean-
„dem Eccleſiam, ejúsque perſonas, homines, poſſeſſiones, & bona hactenus
„obſervatas, & obſervata, in toto & in parte ſui qualibet ratificamus, inno-
„vamus, approbamus, & de plenitudine poteſtatis Regiæ præſentibus con-
„firmamus; dictámque Eccleſiam & ejus Epiſcopum, qui nunc eſt, & pro
„tempore fuerit, unà cum omnibus bonis, hominibus & poſſeſſionibus ſuis,
„in noſtram, & Imperii Sacri Romani protectionem aſſumimus ſpecialem.
„Idcirco univerſis & ſingulis Principibus Eccleſiaſticis & Secularibus, Comi-
„tibus, Baronibus, Nobilibus, Proceribus, Militibus, Clientibus, & fidelibus
„Sacri Romani Imperii, quibuscunque vocantur nominibus, præſentibus &
„futuris, cujuscunque dignitatis, ſtatus, gradus, præeminentiæ, vel condi-
„tionis exiſtant, præcipientes firmiter & diſtrictè, quatenus Epiſcopum &
„Eccleſiam Patavienſ. præfatos, privilegiis, immunitatibus, libertatibus, ju-
„ribus, & indultis, nec non conſuetudinibus antedictis liberè frui & pacificè
„gaudere permittant, & eos contra hæc in nullis prorſus impediant, vel con-
„ſentiant per quempiam impediri, ſed in eisdem ipſos manuteneant effica-
„citer, & defendant, noſtris & ſacri Imperii & aliorum juribus ſemper ſalvis.
„Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ Majeſtatis infrin-
„gere, vel ei auſu temerario contraire, ſub pœna indignationis Regiæ, & ſub
„pœna centum marcarum auri puri, quas contrafacientes, totiens, quotiens
„contrafactum fuerit, ipſo facto ſe noverint irremiſibiliter incurſuros, qua-
„rum medietatem Regalis ærarii, reliquam verò Epiſcopi, & Eccleſiæ Patav.
„uſibus decernimus applicari, præſentium ſub noſtræ Romani Regis Maje-
„ſtatis

„ſtatis ſigillo & teſtimonio literarum. Datum in Tatta, Anno Domini „MCCCCXXV. penultimo die menſis Martii. Regnorum noſtrorum Anno „Hungariæ XXXVIII. Romani XV. Bohemiæ verò quinto. Ad mandatum „Domini Regis; Domino Joanne Epiſcopo Zagrabienſ. Cancellario referen- „te, Michael Præpoſitus Boleslavienſ.

Causa Leonardi Romæ laborat.

Verùm Romæ fluctuaſſe tum quidem videtur Leonardi cauſa, videlicet ob adeò obfirmatum Alberti Ducis animum, indéque periculum, ſi offenderetur, non Eccleſiæ modò Patavienſis ſed negotii quoque Bohemici de extirpandis Huſſitis, in quod Pontifex animum totum defixerat, nimiúmque quantum intelligebat, quantum ad id momentum eſſet in Duce Auſtriæ. Eo excitatus Leonardus, ipſe corripuit ad urbem iter, adeóque cauſam ſuam & rationibus & moribus ſuis approbavit Pontifici & Cardinalibus, ut haud dubitarent dicere, *eo meliorem Epiſcopum in Germania neutiquam inveniri*: Quod etſi Schritovinus promiſſionibus ejus in Curia factis aſſignet, malim tamen adſcribere virtuti, cui & hoc & alia quàm infeliciter eſſent affìcta, non modò exitus cauſæ, ſed omnis Leonardi vita conſtanti laude deinceps etiam acta comprobavit.

Ipſe ad defenſionem accurrit; ingentem refert laudem. *Schritov.*

XIII.

Pontifex Ducem flectere ſatagit per Univerſitatem Wienn.

In hoc ancipiti Pontifex, cùm neque innocentem ſuo jure evolvere, neque in Ducem offendere deliberatum haberet, eò verſus eſt, ut, quibus poſſet modis animum Ducis alioqui æqui & boni ſtudioſum flecteret; quódque exiſtimaret magnum in eo pondus habiturum ſtudium univerſitatis Viennenſis, per literas Doctores hortatus eſt, agerent, conciliarent Epiſcopo Ducem, ipſi ſignum cæteris præferrent, auctoritate, conſilio, conatu omni facerent, uti is Leonardum agnoſceret, utì Paſtorem lege atque ordine datum. Conſtabat literas Epiſcopi oratu impetratas, quæ Univerſitati die nona Decembris anni 1425. redditæ ſunt. Et reverterat ab urbe Roma Nicolaus Dünckelſpühl, qui narratis iis, quæ Romæ gererentur, quantâque exiſtimatione nominis Leonardus apud Romanos verſaretur, quámque ad omnia, liberaliùs etiam quàm Deceſſores feciſſent, obſequia Duci præſtanda paratum ſeſe, idque fide ſacra interpoſita ſigillóque cauturum aſſereret, negavit ſe deinceps cenſuras adeò multiplices, quas diverſi auctores fulminaſſent, pati poſſe; jámque non obſcurè præſentium rerum tædio capi ſe oſtendebat.

Sed Ducem nova nuper incenderat indignatio, ob tabulas quaſdam monitorias juſſu Leonardi publicè valvis affixas in oppido Crembſio: quibus contendebat ſe verum Diœceſis Epiſcopum: ſibi reverentiam, obedientiámque deferri ab oppidaneis jubebat. Aderat in oppido Dux ob irruptionem Huſſitarum, quam ad oppidum uſque Zwetlenſe fecerant. Illico evocatis Viennâ Doctoribus deliberari de negotio juſſit: facilè conſtabat religioſiſſimum Ducem ſtudio duci minimè pravo, quæque ageret, in iis judicium ſapientum & ſcilicet conſcientiam in conſilio habere. Ita nempe res habent humanæ: ſtudiis contrariis dimicatur etiam inter pios, virtutis ſpatia dilatante Deo non ad veritatem tantùm, quæ una eſt; ſed ad opiniones hominum, quæ infinitæ.

1426.

Mittit Legatum.

In tantum Pontifex Leonardo gratificatus eſt, ut nuncium etiam ad Albertum mitteret Marinum de Tocco Epiſcopum Recanatenſem. Duplex erat conſilium, primum uti Ducem, ſi qua poſſet, emolliret. Sin id nulla procederet, ut iſthuc ſaltem inclinaret, admittere Vicarium, quoad explicaretur modus Leonardum transferendi ad aliam Eccleſiam. Hoc poſtremum Regi etiam Sigiſmundo & Principibus probabatur, medium videlicet, quo parti ſatisfieret utrique. Neque demum diſplicuit Alberto Duci. Recanatenſis pariter, cùm in primo fruſtra ſe niti intelligeret, oſtentabat ſpem concedendæ translationis; modò Vicarius admitteretur. Habiti ſunt eo præſente Prælatorum atque Doctorum cœtus, primùm in Laa oppido Auſtriæ prope Moraviam ſito; ubi propoſita via translationis tanquam omnium expeditiſſima ad reſarciendam concordiam, multis in id accumulatis rationibus, quæ in Actis referuntur, feréque recidunt in ea, ob quæ aliàs contendebatur Leonardum denique non oportere eſſe Patavienſem Epiſcopum: illud ſpecia-

Agitur de Vicario conſtituendo, & Leonardo ad aliam transferendo ſedem.

ſpeciatim exaggerabatur: „ Leonardum videri meritò Duci ſuſpectum; per „eum poſſe plura ſuſcitari pericula: contra Ducem intoleranda facere & „comminari: tentaſſe à principio ac deinde alienare advocatiam: Ducis do- „minium imminuere: contra Romanorum Regem & Electores Imperii ac „totam Romanam Curiam provocare non ceſſaſſe, nec modò deſiſtere, quod „ex ſcriptis, verbis, factis, imò & picturis clarè oſtendi poſſit. Alter conventus celebratus eſt Znoymæ urbe Moraviæ, ubi Recanatenſis eò ferè jam adductus eſt, ut decerneret ita fieri: „Certè laudavit translationis viam „tanquam honeſtam, utilem & neceſſariam præ cunctis aliis, & ſicut deſide- „ratum ab eo erat, data fuit ei materia ſub ſpe introductionis formæ, quam „materiam dixit eſſe nimis aptam & per omnia ex parte Principis commen- „dabilem. Promiſit etiam illam velle perſequi, quantum in ſe eſſet; & quòd „Papa non vellet involvere Ducatum Auſtriæ cum Eccleſia Patav. ſed dare „vellet pacem Domui Auſtriæ & Eccleſiæ Patavienſi. Ita ad verbum refertur in Apologia Univerſitatis Viennenſis, quam adverſus eundem Recanatenſem conſcripſit. Ea ſpe provocatus Dux in id etiam deſcendit, ut inſtitueretur Vicarius.

XIV. Summa negotii eò ſpectare videbatur, ut Ducis animus expugnaretur per partes ac pedetentim: ut primùm adduceretur ad admittendum Vicarium: deinde ut caſtra & prædia Patavienſis Eccleſiæ eidem Vicario redderet, ſpe interim translationis oblata captaretur tempus ad reliqua: id ſeu odoratus Dux, ſeu ambages illas judicii Romani pertæſus, novum inſtruxit

Quarta Ducis ad Pontificem legatio. arietem jam quartum. Cùm enim Pontifex Nicodemum Epiſcopum Friſingenſem Vicarium deputâſſet, eum quidem ſuſcepit Dux; deinde tamen cùm caſtra Eccleſiæ Patavienſis pro menſa repeterentur, atque nomen Vicarium auctoritate Leonardi diceretur geri, atque interpretationes actorum fierent, neſcio quæ; iis denuo irritatus legavit Romam Theodoricum de Hamelburg

Literæ ejus ad Papam. Theologiæ Magiſtrum, & Paulum de Wienna Decretorum Doctorem, cum literis ſolito acrioribus, quas exiſtimatum eſt non fuiſſe conceptas ab Duce, ſed ab aliquo ex Academicis, quod ipſum Univerſitati Recanatenſis objecit. „In iis Dux explicare primùm dolorem, quòd non conſideratis cunctis bonis „pérque ſe pérque progenitores ſuos Eccleſiæ Patavienſi exhibitis, non æſti- „mata ſarcinâ, qua premeretur reſiſtendo inimicis Eccleſiæ; appellationibus „ab ſe factis modo ſuſpecto ſuppreſſis, quo nimirum præcipitatio ſententiæ „ſub umbra innocentiæ ſuæ palliaretur, defenſionis ſibi viam affabilibus dun- „taxat verbis præcluſam, neque ſatis maturè examinatas literas & legationes; „quæ tamen omnia pertranſiſſet animo patienti, quouſque Sanctitas ſua Ni- „codemum Epiſcopum Friſingenſem deputavit Vicarium, quem etſi pro ho- „nore Sanctitatis ſuæ recepiſſet, tamen continuò ſuperveniſſe interpretatio- „nem ſcandaloſam eorum, quæ erant luce clariora, cujus modificationis im- „petratores ſolicitè attentos fuiſſe priùs de menſa, quàm ipſius Eccleſiæ & „Cleri Diœceſis Patavienſis reformatione: Quamobrem, inquit, beatiſſime „Pater, quartò & ex ſuperhabundanti ſupplico ſanctitati Veſtræ, quatenus „huic Eccleſiæ paternis in viſceribus compatiens dare dignemini Vicarium „in ſpiritualibus, & ut contra hunc malè notatum ex officio S. V. procedat, „modum & ordinem dare dignemini celeriores pro ipſius amotione: nam „interim quo ad vixero, ob preces vel exhortationes intervenientes, ſive mi- „nas aut mandata viventis in terris cujuſcunque præfatum Leonhardum, in „quem nec electio nec proviſio cadere poterat, nunquam capiam pro Epi- „ſcopo, nec ejus auctoritate quenquam in Vicarium acceptabo; ſícque cum „meis adhærentibus in Capituli ipſius Eccleſiæ ſignanter majoris & ſanioris „partis apud me congregati auctoritate quieſcam, Epiſcopali ſede vacante, „quouſque futuri Concilii generalis præſidentia de hujuſmodi periculoſæ „proviſionis ordine cognoſcere poſſit, ad quod conſcientia teſte me ſola „Sanctitatis Veſtræ longa diſſimulatio invitum provocare videtur; & ſi etiam „turbatus fuero gladio ſpirituali, cogar facere pacem cum infidelibus ſine „præjudicio fidei & me gladio temporali & aliàs tueri juxta poſſe. Hucus-

que

que literæ, cum quibus miſſi Legati oratione modeſtiſſima, quam Theodericus de Hamelburg ad Pontificem dixit, declaratis offenſionibus periculiſque imminentibus petiverunt denique amotionem Leonardi vel per aſſignationem in partibus, judicis æqui & neutri parti ſuſpecti, qui contra Laymingium perperam nominatum ex officio procedat. Vel per viam translationis, in quam Dux inclinatus perſuaſionibus Regis Romanorum & Principum Imperii, nec non Domini Recanatenſis Nuntii Apoſtolici Conſiliis conſenſerit & conſentiat. Iidem obtulerunt Papæ literas Romanorum Regis & Electorum Imperii aliorúmque Principum in ejuſdem petitionis ſententiam conſpirantium: Ita namque in Conventu Viennenſi paulo antè celebrato videntur cenſuiſſe. De eo conventu hæc ſcribit Chronographus Oſterhovenſis: Anno MCCCCXXVI. *Leonardus Layminger Ep. Patav. à Duce Alberto Auſtriæ patitur periculum. Item in die Palmarum Rex Ungarie Sigismundus Wienne Electores convocat ad concordandos Bavarie Principes ſuper terre diviſione atque litigio in Conſtantienſi Concilio perpetrato.* Hæc ille. Tunc igitur Electorum Principum in cauſa Leonardi conſultam ſententiam fuiſſe, eorúmque literas ad Pontificem conceptas, par eſt credere. Mox autem ſecutus eſt alius eorundem Principum conventus in urbe Norimberga; de quo hæc referuntur in Actis Academicis: *In die S. Pancratii* (12. Maji) *congregata eſt Univerſitas ad audiendum deſiderium Principis, quo deſiderabat, quòd Univerſitas ſcribat Reverendiſſimo in Chriſto Patri Domino Domino Jordano S. R. Eccleſiæ Cardinali de Urſinis cæteriſque Dominis S. R. Imperii Electoribus in Norimberga congregatis, in cauſa Eccleſiæ Paſſavienſis, & circa iſtum articulum aliqua Schedula lecta, qualiter ſcribendum eſſet Electoribus; & placuit Univerſitati, quòd impleretur deſiderium Principis. De cogitando autem modo & forma ſcribendi dati ſunt deputati & quidem M. Thomas de Haslbach, & M. Narciſſus Herz cum aliis.* Petitio Legatorum.

Perculerunt Romanam Curiam literæ Alberti, quódque à Sancto Prin- XV.
cipe talia profluere non crederent poſſe, ſuſpicio converſa in Univerſitatem Univerſitas
Viennenſem, quam ut ad officium ſeriò revocaret Epiſcopus Recanatenſis, Wienn. vocatur in cul-
qui tum adhuc in Auſtria in menſem jam quintum morabatur, ſeu imperio pam.
Romano ſeu ſuopte motu Univerſitatem objurgavit: „ Mirum, inquiebat,
„videri Papæ & univerſo Cardinalium Collegio Ducem Albertum adeò reſi-
„ſtere in præſentia hujus Almæ Univerſitatis, eo quòd Doctores & Magiſtri
„poſiti eſſent ad defendendum Eccleſiæ jura & cæteros ad obedientiam ejus
„revocandos. Ipſos contrà facere conſenſu & tacito & expreſſo: tacito, quòd
„non corrigerent Principem juris ignarum; expreſſo, quòd eidem Duci fa-
„bricaſſent appellationes, eisdémque adhæſiſſent, quódque fama eſſet, Princi-
„pem ad Concilium futurum de Conſilio Univerſitatis appellaſſe. Viderent,
„caverent à doctrinis variis & peregrinis, ne exemplo Pragenſis ſtudii de-
„ſtrueretur Univerſitas.

His Doctores vehementer commoti compoſitam Apologiam bene pro- Ejus Apologia.
„lixam, quæ itidem in Actis habetur, Epiſcopo reddiderunt, qua negant ſe
„à principio conſenſum dediſſe ullum, imò ignoráſſe penitus propoſitum Du-
„cis, ut quod conceptum ab eo ſit Brunæ in Moravia ipſis omnino inconſul-
„tis. Non deduxiſſe poſtea Ducem ab hoc propoſito: id quidem officii haud
„fuiſſe: tum quòd credere debebant fundamentum Ducis idonea ratione &
„maturo ſuorum conſilio nixum: tum quòd non requiſiti, nec vocati dirige-
„re Principem non tenebantur; tum quòd non erat ſpes proficiendi quid-
„quam apud eum, qui ingenio ſit in iis, quæ ſtatueret, magnopere conſtanti.
„Deinde quidem ſupplicationem Ducis poſuiſſe *ad minutam*: At id feciſſe ob
„reverentiam Sedis Apoſtolicæ; ne deteriora, quæ in foribus erant, prove-
„nirent. Inſeruiſſe verbum *appellationis*: Id quidem ad quietandos impetus
„laicorum, qui non niſi appellationem clamaverant: at continuò ſubjunxiſ-
„ſe: *Imò verius ſupplicamus.* Scilicet non adeò eſſe rudes, ab eodem ad eun-
„dem appellandum non eſſe. De appellatione verò ad futurum Concilium
„id ſomnium aliquorum eſſe; certè Univerſitatem ejus facti penitus ignaram.
„Quæ præterea facta ſint, eorum in cauſa fuiſſe ipſum Laymingerum: ut qui
„Univer-

„ Univerſitatem diu à ſtudiis partium remotam, denunciatis demum ſententiis coëgerit, id capere Conſilii, quo ſeſe à præſenti ſervaret interitu. Neque enim æquum videri ob diſceptationes privatas, aut vacationem ſedis „temporariam, Univerſitatem diſſolvi. Hæc & alia executi Doctores illud indigniſſimè ferebant, quòd hæreticis Pragenſibus comparati eſſent: ubi aſperiùs etiam in Recanatenſem invecti ſunt: ſed potior Apologiæ pars in defendenda ſupplicationis æquitate & impugnatione electionis Leonardi conſumitur. De tempore, quo Recanatenſis in Auſtria verſatus ſit, cùm Acta non exprimant, ſatis tamen intelligitur ex ſerie geſtorum, fuiſſe partem priorem anni 1426. quod itidem pro certo liquet ex documentis Sanct-Ypolitenſibus, ubi mentio ſit Bullæ Marini Epiſcopi Racanatenſis & Maceratenſis, datæ in civitate S. Ypol. XVIII. Martii. Anno M CCCC XXVI. Indict. IV. Martini V. nono.

XVI. *Sententia Pontificis.* His Viennæ agitatis Recanatenſis reverſus eſt Romam, ubi de rerum Auſtriacarum ſtatu, & conſilio translationis univerſim approbato informavit Pontificem: qui rebus omnibus cum Collegio Cardinalium deliberatis, eam demum ſententiam tulit: uti Vicarius conſtitueretur Duci gratus: ei poſſeſſiones & Caſtra Pataviensis Eccleſiæ conſignarentur; in iis ponerentur cuſtodes Duci fideles: idque ita interim fieret, dum commoditas translationis ſe offerret. Totius denique rei executio mandata Joanni Cardinali Olomucenſi. Jam ipſum literarum Papalium & ſententiæ inſtrumentum promatur.

Literæ ejus ad Albertum. „ Martinus Epiſcopus Servus Servorum Dei. Dilecto filio Nobili Viro „Alberto Duci Auſtriæ ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Gratum & „jocundum fuiſſet nobis ſemper condeſcendere votis tuis quemadmodum in„ſtituimus omnibus tuis honeſtis deſideriis ſatisfacere, verùm ſi in proviſio„ne per nos facta in Eccleſia Patavienſi minimè à nobis tibi ſatisfactum eſt, „nec admirari nec moleſto animo tua Nobilitas ferre debet; nam inducti „hiis rationibus, quas aliis noſtris literis tibi ſignificavimus, aliter quàm de„ſiderares, dicte Eccleſie providimus. Ceterùm poſt adventum dilectorum „filiorum Theoderici de Hamelburg in Theologia Magiſtri, ac Pauli de „Wyenna Decretorum Doctoris, Oratorum tuorum, qui ſepe multa pruden„ter in hac re nomine tue Nobilitatis nobis expoſuerunt, habita tandem ra„tione omnium rerum, que in hac cauſa conſideranda ſunt, cupientes non ad „rigorem, ſed ad complacentiam tue Nobilitatis declinare, quanquam multe „in contrarium hortationes nobis facte fuerint, hujusmodi tamen cauſam „juxta tenorem intercluſe cedule concluſimus, in qua animus tuus meritò ac„quieſcere debebit. Quocirca Nobilitatem tuam paternè in Domino exhor„tamur, ut poſſeſſionem memorate Eccleſie ſecundùm continentiam pre„dicte cedule ſublatis dilacionibus aſſignare facere velis, nam conſideravi„mus ut hec cauſa talem finem habeat; aliter verò nullo modo effecturi ſu„mus. Datum Guenezani Peneſtrin. Diœceſ. VIII. Idus Auguſti. Pontifica„tus noſtri anno nono. *Id eſt Chriſti 1426.*

Scheduia, ad quam ſe Pontifex remittit, ſic habet:

Partes ſententiæ Pontificiæ. „Ut aliquando ſtatui & tranquillitati Eccleſiæ Patavienſis conſulatur, „videtur & placet Sanctiſſimo Domino noſtro in complacentia Illuſtris Prin„cipis Alberti Ducis Auſtriæ præter juſtitiam & plurimorum conſilia, quòd „idem Dux omnium locorum Diœceſis Patavienſis, quæ in poteſtate & di„tione ipſius Ducis conſiſtunt, aſſignari faciat Reverendiſſimo in Chriſto Pa„tri - - - Cardinali Olomucenſi, vel per ipſum eundem ad id deputan„do: qui Dominus Cardinalis vel deputandus prædicta habita poſſeſſione „venerabili fratri Leonhardo Epiſcopo Patavienſi dictorum Locorum poſſeſ„ſionem aſſignare debeat, quamprimum ipſe Epiſcopus Vicarium dicto Duci „gratum & acceptum in locis, quæ idem Epiſcopus non poſſidet, per ipſum „Ducem aſſignandis & tradendis deputaverit: qui Vicarius ad dicti Epiſcopi „inſtantiam nihil contra juſtitiam facere teneatur.

„Videtur inſuper & placet dicto Domino noſtro, ut in dictis locis, ubi „ſunt fortalitia, debeant poni per Epiſcopum vel ejus Vicarium cuſtodes, ipſi „Duci omnino fidi. „Vide-

„Videtur inſuper & placet eidem Domino noſtro, ut Clenodia & fructus „medio tempore percepti tradantur & aſſignentur in manibus præfati Vica„rii, de quorum Clenodiorum & fructuum quantitate & valore debeant Do„minum noſtrum certiorem facere: & ipſos fructus & clenodia interim con„ſervare, donec aliud habuerint in mandatis à præfato Domino noſtro.

„Placet etiam Domino noſtro & ſuæ intentionis exiſtit, dictum Epiſco„pum poſt hujusmodi poſſeſſionem, ùt præſcribitur habitam, ad aliam Ec„cleſiam transferre, quamprimum honeſtas & commoditas ſe obtulerint.

Cincius de mandato D. N.

Eodem die expeditum ad Cardinalem Olomucenſem mandatum, ut poſſeſſionem locorum Patavienſium recipiat; in hæc verba: XVII. Mandatum Papæ ad Cardinalem Olomucenſem de occupandis bonis Patavienſibus.

„Dilecto filio Johanni tit. S. Cyriaci Presbytero Cardinali ſalutem & „Apoſtolicam benedictionem. Ut aliquando ſtatui & tranquillitati Eccleſiæ „Patav. pro debito Paſtoralis Officii nobis injuncti conſuleremus, tandem „habita ratione omnium rerum, que in cauſa & in diſſenſione dicte Eccleſie „conſideranda ſunt, deliberavimus, ut circumſpectio tua poſſeſſionem om„nium locorum dioceſis Patav. que in proprietate & in dicione dilecti filii No„bilis viri Alberti Ducis Auſtrie conſiſtunt, à dicto Duce vel alio ejus nomine „recipere debeas, quorum locorum poſſeſſionem venerabili fratri Epiſcopo „Patav. aſſignare tenearis, quamprimum ipſe Epiſcopus Vicarium dicto Duci „gratum & acceptum in locis, que ipſe nunc non poſſidet, per ipſum Ducem „aſſignandis & tradendis deputàverit. Sumentes itaque propter egregias „tuas virtutes & devotionis ardorem de perſona tua in hiis & aliis ſpecialem „in Domino fiduciam, eandem tuam circumſpectionem paternè in Domino „exhortamur atque requirimus, eidem etiam harum ſerie injungentes, qua„tenus ob noſtram & dicte ſedis reverentiam poſſeſſiones dicte Eccleſie Pat. „juxta modum prænotatum & tenorem cedule preſentibus intercluſe omni „ſtudio & diligentia ſub tua poteſtate habere procures: quorum locorum „quamprimùm in manibus dicto Epiſcopo, deputato priùs per ipſum Vica„rio ipſi Duci grato poſſeſſionem omnino tradere & aſſignare tenearis; pro„viſo tamen ut in dictis locis, ubi fortalicia exiſtunt, idem Epiſcopus Cuſto„des memorato Duci penitus fidos ponere teneatur, & debeat. In hac ſi„quidem re & hujusmodi deliberationis noſtre executione te ita diligentem „& ſollicitum habere velis, ut intelligamus has noſtras literas apud pruden„ciam & devocionem tuam plurimum roboris & efficacie habuiſſe. Datum „Genezani Peneſtrinè Dioceſis VIII. idus Auguſti anno nono. Cardinalis S. Euſtachii & Placentinus privatas dedêre literas ad Ducem: prior ita ſcribit:

„Illuſtri Principi & Excelſo Domino Domino Alberto Duci Auſtrie ami„co meo ſpecialiſſimo. XVIII. Literæ Cardinalium ad Ducem Albertum.

„Illuſtris Princeps & excelſe Domine. Nuper veſtre Celſitudinis per ma„nus Venerabilium virorum Ambaſſatorum veſtrorum preſencium exhibito„rum, gratas recepimus literas, & teſte Deo placuiſſet nobis rebus veſtris „votivum potuiſſe afferre fructum; nihilominus in expedicione ipſarum re„rum habitus eſt ſemper reſpectus & conſideracio ad honorem veſtre Celſi„tudinis, prout lacius dicti Oratores veſtri referre poterunt, & ſi alia pro ho„nore veſtre Celſitudinis placent, ſcribat nobis confidentiſſimè eadem veſtra „Celſitudo, quam conſervet Plasmator machine mundialis proſperis ſucceſſi„bus & votivis. Datum Genezani die VI. Auguſti.

Cardinalis S. Euſtachii.

Cardinalis Placentini literæ ſunt hæ:

„Illuſtri Principi & Excelſo Domino Domino Alberto dei gratia Duci „Auſtrie Marchioníque Moravie &c.

„Illuſtris Princeps & Excelſe Domine. Celſitudinis Veſtre plures literas ac„cepimus. Etiam cum Venerabilibus Dominis & Magiſtris Theoderico ſacre

 pagi-

„pagine Profeſſore, & Paulo Decretorum Doctore Egregiis Oratoribus veſtris
„ad Sanctiſſimum Dominum noſtrum Dominum ſummum Pontificem pro
„cauſa vobis nota, per quorum relacionem eritis pleniùs informati de omni-
„bus ſucceſſibus, pro quibus juxta vires inſtetimus in veſtram complacen-
„ciam; nec dubium quin Sanctitas Domini noſtri ſummè afficiatur prefate
„Celſitudini, cui nunquam ſi credidiſſet eſſe illam ſic geſtam, diſplicuiſſet in
„tantum, potiſſimè accedentibus replicatis interceſſionibus adeò efficacibus
„Sereniſſimi Domini noſtri Regis. Sed ventum eſt ad locum, in quo non
„poteſt cum honeſtate quod vellet. Nec plura dicere poſſumus bona ex cau-
„ſa & pro certo. Dicti Oratores cum gravitate omni & modeſtia, ſollicitu-
„dine omnimoda præmiſſa peroptimè ſe habuerunt, ut nobis plenè conſtat.
„Prefatam Celſitudinem Altiſſimus conſervare dignetur feliciter & votivè
„per tempora longiora. Datum in Opido Cavi VII. Auguſti.

Veſter totus Branda Cardinalis Placentinus.

Qui nondum placatus: Verùm hanc ſententiam minimè arriſiſſe Duci, colligitur ſubobſcurè ex memorialibus Legatorum, in quibus mentio fit proteſtationis: *Proteſtatio*, inquiunt, *Ducis, ubi in manifeſto facta fuerit, non multùm excuſat apud homines:* Item, *auctoritas Capituli non approbabitur per adverſarium.* Item: *De duplici auctoritate & Capitulari quouſque Dominus Papa expreſsè dederit Vicarium vel alium Epiſcopum.* Illud certum eſt, executionem ſententiæ Pontificiæ non proceſſiſſe: neque factam Leonardo bonorum Pataviensium poteſtatem; neque Vicarium ejus nomine receptum: Adnotat enim Chronographus Oſterhovenſis ad annum MCCCCXXVI. *Præfatus*, inquiens, *Epiſcopus* (Laymingerus) *XXVII. Septembris requie facta concordiam minimè invenit, ſed Dux Auſtrie omnia bona multis annis occupat.* Ita ille. Poſtulationibus nempe ſuis inhærente Duce, putà, ut vel daretur Vicarius Leonardo non obnoxius, vel auctoritas Capituli obtineret interea dum translato ad aliam ſedem Leonardo daretur alius Epiſcopus. Facilè namque intelligebat Dux, verba illa ſententiæ: *Dum honeſtas vel commoditas transferendi ſe obtulerit*, pertinere vel in longum, vel ad fruſtrandum penitus translationis conſilium.

XIX. Rebus ita pendentibus mortem oppetiit Eberhardus Neuhuſius Archi-
1427. Novus Archiepiſcopus Salisb. arbiter diſcordiæ: epiſcopus Salisburgenſis anno 1427. pro quo electus Eberhardus Starenbergius integrâ apud Ducem gratiâ, quòd nec Bavaricis implicatus partibus ob genus Auſtriacum, nec invidiâ electionis Leonardi gravatus eſſet. Is & ſuapte ſponte, & mandato Pontificio, arbitrum ſe pacis conſtituit. Acceſſit ſtudium Ducis Bavariæ, & viri Nobilis de Nothaft (fortè Henrici de Nothaft, qui tunc Bavariæ Vicarius erat) amicis appellationibus cum Alberto transegit; promovítque negotium modeſtia Leonardi, qui æqua omnia pollicitus
1428. in obſequio Ducis ſe fore, verbis & tabulis faciebat fidem. Dum delinita demum ægritudine animorum, placitíſque idoneis utrimque conventis di-
Pacem conciliat. ſcordia conſopita eſt: Archiepiſcopus ipſe Leonardum Viennam deductum cum Duce & Canonicis concordavit: „Igitur die S. Nicolai anno 1428.
„(utì habet Chronicon Mellicenſe) Dux Albertus conſenſit accipere Domi-
„num Leonardum Layminger in Epiſcopum Patavienſem & tota patria ſe-
„cum: & fuimus per Dominum Eberhardum de Starchenberg Archiepiſco-
„pum Salzburgenſem juſſu Papæ abſoluti ab excommunicatione. Ita ibi: Quod Schritovinus & alii Chronographi (quos ſequitur Mezgerus in Hiſtor. Salzb.) ſcribunt Fridericum Archiepiſcopum Salzburgenſem applicuiſſe Viennam, & pacis, ac concordiæ auctorem inter Leonardum Ep. & Albertum Ducem extitiſſe, longè abeſt à verò; cùm Fridericus non niſi à morte Alberti, id eſt anno 1441. thronum Juvavenſem aſcenderit. Sanè pacis inſtaurator alius haud fuit, atque Eberhardus Starchenbergicus in Chronico Mellicenſi laudatus.

XX. Multis igitur Impendiis emenda fuit Leonardo Mitra: ferunt eum ſæpius profeſſum, ſibi florenos plus quàm ſeptuagies mille ſtetiſſe, dum quietam ſuæ Cathedræ poſſeſſionem premeret. Indè nummorum extitiſſe parcum, déque Prælatis & Sacerdotibus multum exegiſſe tributorum; eadémque

cauſâ

cauſâ cum civibus litigaſſe, quos nimirum ad eluenda nomina & detrimenta per tempus diſcordiæ tolerata, ſarcienda compellere nitebatur. Fertur in Manuſcripto, Leonardum anno primùm 1429. Sacramentum fidelitatis à civibus accepiſſe; tumque novum conſtituiſſe ſenatum: Cives viciſſim, quo regimen ejus auſpicatò eveniret, tres ſolemnes procuraſſe liturgias, miſſas minores triginta & unam; præterea convivio publico obſervantiam & obſequium conteſtatos. Sed ita in ſtatione firmatus Epiſcopus cepit rationes cum civibus ponere de iis, quæ ipſi annis præteritis, aut ceſſaſſent, aut contra fas Epiſcopi ſibi temere ſumſiſſent; illud cumprimis, quòd Sacramentum dicere in ſexennium diſtuliſſent; quòd Conſules & Senatum ipſi nuncupaſſent, quòd mœnia urbis, turres, portas unà cum clavibus arrogaſſent ſibi, aliàque patraſſent in fraudem veterum conventorum. Horum exceſſuum nomine, & quæ indè proveniſſent, damnorum ſatis ſibi fieri poſtulabat Leonardus: obmovebant & cives damna ab ſeſe tempore diſcordiæ facta; illud peculiare, quòd undecim hebdomadarum interdicto, quo tempore quinquaginta & ampliùs ſuprà centum civium capita tumulo illata ſint, nemo omnium loco ſacro humatus ſit; Chriſma nullum baptizatis collatum, aliàque talia, ob quæ demum imploratum ab civibus eſt patrocinium Comitis cujuſdam Schaumbergii; Numinis etiam favor propitiatus ſuppliciis, tribus ſacris ſolemnibus, octodecim Miſſis ordinariis, præterea ſeptem peregrinationibus ad varias ædes Sanctiſſimæ DEI parentis inſtitutis; atque aliis triginta id genus ſupplicationibus ad montem S. Crucis vulgò Creuzperg communi voto promiſſis. Hæc tamen omnia eo demum reciderunt, ut Epiſcopo ad tribunal Regium provocante civitas ſeveris mandatis vocaretur in jus, graviſſimiſque verbis imperaretur, ut cum Epiſcopo de jacturis ei datis cives tranſigerent.

1429. Leonardus cives Patavienſes adigit in verba; eos vocat in jus.

Anno 1431. Dominica Lætare rurſum prolati ſunt ab Epiſcopo adverſùm eos articuli quadraginta ſeptem, gravaminum nomine; quibus opponebant illi querimonias haud pauciores, præcipuè de ſumtibus & impendiis in bellum Huſſiticum factis: ad opem quoque Alberti Ducis confugêre, allegatis nonnullis, quibus noxas ab Antiſtite ſibi impoſitas amolirentur. Miſſus ab Duce Comes de Schaumberg, qui in negotii partem aſſumto Domino quodam de Degenberg litem diſcuteret; & acquieverat in horum arbitrium Senatus populúſque Patavienſis; ſecùs Leonardus, qui incuſatis graviſſimè civibus proſequebatur cauſam: Sed res in apertam ſeditionem erupit, ut paulo pòſt dicam. Hæc de diſſidio cum civibus. Mox autem ſub initium quietæ poſſeſſionis nempe anno 1429. Leonardus curarum partem in monaſteria reformanda poſuit; cujus ſpecimen eſt epiſtola gemina, prima Joannis Abbatis Lambacenſis ad Leonhardum data & altera iſtius reſponſoria, qua ob vitam regularem in Monaſterio Lambacenſi recèns reformari ceptam, concedit, ut cùm ob prolixitatem Officii Chori in eo monaſterio hactenus frequentari ſoliti, obſervantia regularis difficillimè poſſit ſervari, idem Officium de conſenſu eorum, qui Coadjutores ſunt reformationis, habeat minuere & rationabiliùs ordinare, nec non cætera reducere ad modum in Monaſterio Mellicenſi & Scotorum ſervari conſuetum. Dat. Viennæ XVI. die menſis Novembris Anno Domini MCCCCXXIX.

Acriter urgent. Leonardus dat operam reformationi cœnobiorum.

XXI.

Bellum Huſſiticum non opes tantùm Patavienſium ſed Auſtriacorum etiam exhauſerat. Bellum ſacrum, quod Martinus Papa in fanaticos pronunciaverat, pluribus geſtum annis, mirabili pejoris cauſæ fortuna. Cenſus plùs quàm dimidii non de Laicis tantùm, verùm etiam Eccleſiaſticis fructibus iſthuc conferri imperabantur. Præfecturam ſuperioris Auſtriæ anno 1431. legitur geſſiſſe Reimpertus Polheimius, qui præſidium etiam in caſtro Patavienſis Epiſcopi, Ranariedl propter Huſſitas tenuit, exhibuitque anno dicto literas, quas vocant Reverſales Paſſavienſi Præſuli ſcriptas, quibus aditum ad caſtrum ſuæ curæ commiſſum Epiſcopo ſe nunquam prohibiturum pollicitus eſt. Præſidia non tantùm militaria adversùm Huſſitas quæſita; ſed novum etiam Concilium Baſileæ indictum, cujus initium die 23. Julii Anno 1431. Præſidebat ei Julianus Cardinalis, qui inter alios Leonardum etiam Paſſavienſem

1430. Sumtus Eccleſiæ Patav. in bellum Huſſiticum. 1431. Concilii Baſileenſis initium.

Ad quod invitatur etiam Leonardus. ſem eò per literas invitavit: Epiſcopus ad Univerſitatem Viennenſem epiſtolam dedit, quæ in Senatu Academico die Nona Novembris anni ejusdem lecta: petebat, ut Univerſitas capita quædam & articulos conciperet rerum proximè in Baſileenſi Synodo gerendarum, plenámque ſibi inſtructionem de negotiis ibidem feliciter pro Eccleſiæ ſuæ Auſtriæque provinciæ commodo tractandis præſcribat, cùm ad eandem à Cardinale S. Angeli invitatus, ſuos quoque Oratores eò mittere decreviſſet. Quibus perlectis deputati ſunt è ſingulis facultatibus Magiſtri, qui rebus omnibus rite expenſis Epiſcopi deſiderio fecêre ſatis.

Diſſidium Patrum Baſileenſium cum Papa. Vita deceſſerat Martinus Papa eodem anno 1431. 10. Kal. Martii: Subrogatus Eugenius IV. 5. Nonas Martii. Hujus rationibus minùs idoneum videbatur Concilium haberi Baſileæ: ad urbem Bononiam transferre conſtituit, dato per literas ad Julianum Legatum mandato, ut miſſionem Baſileènſibus daret. Hinc diſſidium; Patribus morem gerere recuſantibus. Repugnabat inprimis ipſe Legatus Julianus Cardinalis, reſcripta ad Eugenium epiſtola, in qua multis argumentis conabatur Papam avocare à propoſito, inter alia obtendens etiam ſeditionem civitatis Magdeburgenſis & Patavienſis contra ſuos Antiſtites: „Civitas, inquit, Patavienſis quæ eſt de dominio Domini Epiſcopi, expulit Epiſcopum, & erexit machinam contra quoddam caſtrum Epiſcopi: Utraque iſtarum civitatum (nempe Magdeburgum & Patavia) eſt finitima Bohemis, & ſi conjungant ſe cum illis, prout valde timendum eſt, multarum civitatum habebunt ſequelam: Scriptum eſt utrique, rogando, ut ſuperſedeant à guerra, & ſi qua controverſia inter ipſos ſit, offert ſe Concilium velle illam terminare, & taliter providere, quòd ipſi cives remanebunt optimè contenti. Miſſus eſt etiam quidam Ambaſiator verſùs Magdeburgam ad tractandum hoc negotium pacis, ſcribendo Dominis & Communitatibus circumvicinis, ut etiam ſe interponant: idem fiet verſùs Pataviam, poſtquam redierit nuncius illuc miſſus. Si ergo diſſolvatur Concilium, diſcordiæ iſtæ non tollentur, ſed augebuntur, & trahent poſt ſe multas alias civitates &c. Hæc Julianus Cardinalis; quæ abs re eſt à nobis ampliùs explicari.

Seditio Civitatis Patav.

1432. Leonardus denuo invitatur ad Concilium. Extat in Manuſcriptis Bibliothecæ Cæſareæ Epiſtola Synodi Baſileenſis ad Leonardum Epiſcopum Patavienſem, qua eum ad Concilium denuo invitat: Inſcriptio & initium ſic habet: Sacro-Sancta Generalis Synodus Baſilienſis &c. Reverendo Patri Domino Leonardo Epiſcopo Patavienſi ſalutem & Omnipotentis DEI benedictionem. Mirari ſatis non ſufficimus, Reverende Pater, cur greſſus veſtros ad hoc præſens ſacrum generale Concilium nondum direxiſtis, cùm plures literas convocatorias ſub magnis penis à Reverendiſſimo Sacri Concilii præſidente & à noſtra Sacra Congregatione jam pridem receperitis: præter impoſitas penas vos movere debent inſtantia pericula fidei & Eccleſiæ præſertim ex illa armata hæreſiHuſſitarum longè latéque ſuas ſimbrias & venenatas doctrinas dilatante, &c. Datum Baſilee die 24. menſis Januarii anno à Nativitate Domini milleſimo quadringenteſimo triceſimo ſecundo. Non conſtat Leonardum ipſum Baſileam profectum, procuratores tamen miſiſſe, citra dubium eſt. Cúmque jam tum inter Baſileenſes & Eugenium altercatio ſic efferveſceret, ut de re-

Pontifici fidelis. digendo in ordinem Pontifice in conſilium iretur, Leonardus fidem integram Eugenio præſtitit, ſuſtinuítque Albertum Ducem, ut in cœptum adeò nefandum nunquam conſentiret. Miſerat Dux ad Concilium Nicodemum Epiſcopum Friſingenſem cum Joanne HymmelTheologiæ Profeſſore: quibus Univerſitatis nomine acceſſit Thomas Haſebachius Theologiæ Doctor. Is anno

1433. 1433. quam in partem vela ſua in Concilio verteret, incertus Univerſitatem per literas conſuluit. Hæc rem ad Epiſcopum Patavienſem retulit, cujus haud dubiè conſilio conceptum eſt mandatum, quod ſe audiviſſe ſcribit Joannes Keck de Tegernſee, vir id ætatis in ea Univerſitate celeberrimus, in Tractatu, quem pro Eugenio contra Baſileenſes ſcripſit: erat autem mandatum hujusmodi: *Ne montem tangerent in ſummi Pontificis depoſitionem conſentiendo.*

Pla-

Planè tunc patuit, quanto Auſtriæ bono Leonardus contigerit; exper- XXII.
tus ipſe Dux contrà longè, quàm olim fuerat opinatus, ad pia, quæ fovebat, Duci Auſtr.
conſilia promtum. Diſciplinæ cœnobiticæ inſtauratio belliſſimè procedebat gratus.
exemplo præcipuè Mellicenſium, quorum Abbas ex Italia nuper aſſumtus
Nicolaus, quem Candidatum infulæ Patavienſis fuiſſe diximus, jam obierat
mortem: Póſtque eum Leonardus Monaſterii reformati Abbas ſecundus,
anno 1433. profeſto S. Bartholomæi defunctus: cui ſucceſſit Chriſtianus Ey-
benſteiner (ùt refert Chronicon ejusdem monaſterii) auctoritate Juliani Car-
dinalis ſedis Apoſtolicæ per Germaniam Legati; per Dominum Leonhar-
dum Layminger Præſulem Patavienſem confirmatus in Patavia, Sabbato an-
te feſtum S. Thomæ Apoſtoli: in craſtino à Domino Mathia Epiſcopo Victri-
cenſi, Suffraganeo Patavienſi munus benedictionis ſuſcepit. Ita Chronicon
laudatum, ex quo Suffraganeus Patavienſis intelligitur. Reformationem
Cœnobiorum quod attinet, Leonardus Epiſcopus Erhardo Officiali ſuo, Sa- 1434.
crarum Legum Doctori dedit in mandatis, nt Cœnobium Converſarum S. Reformationi
Mariæ Magdalenæ (quod Viennæ ante portam Scotorum extiterat) ad nor- ſtudet.
mam debitam revocaret; qui aſſumto in partem operis Leonardo Maurba-
cenſium Carthuſianorum, item Joanne Scotenſium in Urbe Viennenſi Priore;
clauſtrum inviſit, lapsámque diſciplinam legibus renovatis erexit, ſtimulante
potiſſimùm Wilhelmo ad S. Stephanum Præpoſito: Actum Viennæ anno
MCCCCXXIV. Dominica *Invocavit.*

Anno ſequenti 1435. viſitata eſt Diœceſis Patavienſis à Philiberto Con- 1435.
ſtantienſi Epiſcopo, qui cum Joanne Palomar & Ægidio Carletio legati fue- Viſitatio Diœ-
rant à Synodo Baſileenſi ad inſtituendum cum Bohemis congreſſum. Metus ceſis Patav.
erat, ne contagio hæreſis in Auſtriam proſerperet, dudúmque ea ſuſpicione
per injuriam afflata fuerat Univerſitas Viennenſis: Quare Albertus Archidux
eo quo erat ad religionis integritatem ſtudio, per occaſionem Legatorum in
Bohemiam deſtinatorum provinciis conſulere ſtuduit: igitur anno dicto,
priusquam Legati conventum Brunæ in Moravia cogerent, Diœceſim Pa-
tavienſem ex Decreto Concilii luſtrârunt, utì teſtantur ejusdem Alberti Du-
cis Auſtriæ Marchionísque Moraviæ literæ ad Synodum Baſileenſem de viſi-
tatione Patavienſis Diœceſis aliorúmque dominiorum ſuorum ab Epiſcopo
Conſtantienſi aliísque Synodi in Bohemiam Legatis facta: quæ literæ
ſic habent:

„Reverendiſſimis in Chriſto Patribus ac Dominis, universísque in Sa- 1436.
„cro-Sancta Generali Baſilicenſi Synodo in Spiritu Sancto legitimè De cujus bo-
„Congregatis, Univerſalem Eccleſiam repræſentantibus, Dominis & no ſucceſſu
„Amicis Cariſſimis. literæ Alberti ad Baſileenſes.

„Reverendiſſimi Patres, Domini, & Amici Cariſſimi, Devotâ - - .
„præmiſsâ. Sanctum Viſitationis & Reformationis opus in Diœceſi Pa-
„tavienſi & Dominiis meis, Reverendiſſimis in Chriſto Patribus, Domi-
„no Epiſcopo Conſtantienſi, provincie Rothomagenſis, ſuísque Collegis in
„Boemia Legatis per ſacrum Baſileenſe Concilium ad precum mearum in-
„ſtantiam devotam injunctum, prudenter & reverenter, multùm accuratè
„inchoatum continuatur indies, adeò feliciter, éſtque jam in multis locis pa-
„tratum tam amabiliter, quòd omni dubio ceſſante in utroque ſtatu factis, &
„exemplis, ùt opera evidenter demonſtrant, uberrimus indè ſequatur fru-
„ctus. Aſſurgo igitur Deo, qui hoc ſanctum opus inſpiravit, interim veſtro
„Sancto Cetui gratiarum actionem devota mente referendo, petens denique
„humiliter, ſi fortè aliqui tam ſancto operi, tam ſalubri non faventes, Viſi-
„tationis, & Reformationis opus extinguere, aut impedire conarentur, ta-
„les contra præfatam Sanctam Commiſſionem ad exauditionis effectum ne-
„quaquam admitti. Verùm PP. Reverendiſſimi, ut ſine circuitione loquar,
„veſtras certifico Paternitates, quòd in Viſitationis, & Reformationis in-
„choatarum proſecutione nihil aliud quæritur, niſi Dei præcipuè obſe-

„quium, & deinde perſonas viſitandas à longo tempore, quod dolenter re-„fero, multùm collapſas ad ſtatum reduci competentem. Nec quis veridi-„cè dicere poſſit, quòd in viſitatione, & reformatione prædicta alicujus lu-„crum, ſeu commodum privatum quovis quæratur modo. Recommendo „me veſtris paternitatibus Digniſſimis cum prævia voluntate in ſingulis „complacendi. Datum Wienne die 8. menſis Martii anno Domini MCCCC. „triceſimo 6to.

Albertus Dux Auſtriæ, Marchióque Moraviæ.

Lectæ ſunt in Congregatione Generali Baſileæ die Veneris 30. Martii 1436. Viſitatio inchoata fuit ab Eccleſia S. Stephani Wiennæ, conditæque leges egregiæ, octodecim Capitibus comprehenſæ, quas nuper luci publicæ primùm editas aſpeximus. Sed hæc ad Epiſcopatum Viennenſem reſervata volumus; illud in præſens indicare ſufficiat, quòd in præfatione ſtatutorum legitur: „Sacram Baſilienſem Synodum ad inſtantes preces Illuſtriſſimi „Principis Domini Alberti Ducis Auſtriæ &c. inclinatam diſtrictè præcipien-„do mandâſſe, quatenus ad Viſitationis ac Reformationis opus in terris & „Dominiis præfati Domini Ducis, nec non in civitate & Diœceſi Patavienſi, „dirigente Spiritu Sancto, evellendo vitia, plantando virtutes vigilanter in-„tenderent. Nos igitur, inquiunt, Philibertus Epiſcopus Conſtantienſis „provinciæ Rothomagenſis, & Martinus Borverii Decanus Turonenſis-unà „cum quibusdam aliis noſtris Collegis ad Regnum Bohemiæ ac Marchiona-„tum Moraviæ Legati principales, & nos Joannes Abbas Monaſterii Scoto-„rum, Nicolaus Præpoſitus S. Dorotheæ Wiennenſis, & Urbanus de Melli-„co in Theologia Licentiatus unà cum quibusdam aliis-viſitationis opus ab „inſigni Eccleſia S. Stephani inchoantes &c.

XXIII. *Bellum Leonardi cum Ludov. Duce Bavar.* Gravi bello implicitus his annis erat Epiſcopus Paſſavienſis. Diſcordia vetus inter Ludovicum & Henricum Bavariæ Duces nondum digeſta, propagaverat offenſionem in alios, qui partibus erant innexi. Leonardus Henrico Landishutano ſe junxerat. Oppidum Schardinga paulo ſupra Pataviam Ludovico parebat: non longè caſtrum Künigſtain ab Henrico Nothaſtio nuper Bavariæ Vicario conſtructum. Ex utroque multa incommoda Patavienſibus allata: novum quippe vectigal mercibus Patavienſium iſthac commeantibus impoſitum, quod contra morem veterem ſuáque privilegia fieri Epiſcopus querebatur. Cùm cenſus non penderetur, direptæ à Schardingenſibus onerariæ ſalis, quæ ſecundo Oeno Pataviam devehebantur. Viciſſim autem Patavienſes navigia vino Auſtriaco onuſta, quæ in Bavariam adverſo Oeno ſubibant, deſpoliaverunt: indè ventum ad manum; incendia villarum in territorio Schardingenſi exercita: demum anno 1435. compoſitæ induciæ, eo pacto, ut ambæ partes acquieſcerent ſententiæ judicum, qui ad has & alias Bavariæ turbas componendas ad urbem Ratisbonam deputandi propediem eſſent. Sed bellum brevì recruduit: nam anno ſequenti 1436. concitatum rurſum inter Duces diſſidium: fœdus inter Henricum Landishutanum & Leonardum Patavienſem novis pactis firmatum: Scharding oppidum & caſtrum Königſtein ab Epiſcopo & civibus Patavienſibus obſeſſum; quorum nume-*Componitur.* rum in manuſcripto reperio fuiſſe quingentos ſupra mille. Erneſtus è Bavariæ Ducibus clades patriæ miſertus, Patres Baſileenſes adiit, impetravítque mitti Legatos, qui erant Joannes Epiſcopus Lubecenſis, & M. Nicolaus de Cuſa. Horum operâ Ratisbonæ congreſſus partium inſtitutus, armorúmque ceſſatio à Dominica poſt feſtum S. Jacobi tunc inſtantis in annos quatuor, præter ſpem decreta; ſpeciatim ut caſtrum Künigſtein prope Pataviam deſtruatur (id caſtrum Patavienſibus ſub ipſum tempus pacificationis feria quinta poſt Jacobi per deditionem traditum ſeptem dierum ſpatio funditus everſum eſt) ſtatutum itaque, ut ne rurſum ædificetur, niſi poteſtate per judicium obtenta. Schardinga civitas in Ludovici ditione permaneat, ea tamen cautione,

tione,ut ne cui periculum indè creetur : ſin iſthic novum opus facere Duci libuerit, id impenſis de ſuo fiat, onerato præterea nemine. Item libertates & jura tum ſacrarum tum civilium perſonarum novis oneribus ne premantur; in quo Erneſtus Dux Monacenſis ejúſque filius Albertus cum patruo Adolpho vindices ſunto. Si in quopiam horum articulorum in poſterum offendatur, Epiſcopi Eichſtadienſis arbitrio dirimitor. Quæ omnia explicatiùs legi poſſunt apud Andream presbyterum, & Vitum Arenpekium in Chronico Bavariæ.

Anno ſequenti (1437.) octava Decembris vitam cum Imperio poſuit XXIV.
Sigiſmundus Imperator egregiè de Eccleſia meritus, fructúmque ſuæ conſe- 1437.
cutus operæ primùm in congregando Conſtantienſi Concilio conſenſúque Obit Sigiſmundus Cæ-
orbis Chriſtiani, cujus partes ipſe præcipuas eo ſtudio peragraverat,ad unio- ſar;
nem revocato : deinde ſpecie quadam pacis reddita Eccleſiæ Bohemicæ,quæ
per Legatos Baſileenſes in conſeſſu Iglavienſi, ipſo & Alberto Auſtriæ Duce
præſente confecta eſt anno 1436. Hæres regnorum Sigiſmundi fuit idem cui in regna
Albertus, quo non alium pientiorem, ſapientiorémque Principem illa ætas ſuccedit Al-
habuit. Eliſabetham Sigiſmundi filiam in matrimonio habebat; dotiſque bertus Au-
nomine Moraviam dudum obtinuerat; ſed anno 1437. feria quarta ante fe- ſtrius.
ſtum S. Thomæ, id eſt 20. Decembris Hungariæ proclamatus Rex,ipſis anni 1438.
ſequentis Kalendis apud Albam Regiam ſolenniter inunctus eſt, eodémque creatus Rom.
anno 1438. electus in Regem Romanorum feria quinta poſt *Oculi*, id eſt 20. Rex
Martii; denique feſto Apoſtolorum corona Bohemica inſignitus; Sed omnium uſura brevi : nam extinctus anno ſequenti (1439.) 27. Octobris,Ladis- 1439.
lao filio & hærede poſt tres à morte Genitoris menſes in lucem edito die 22. moritur.
Februarii anno 1440. cujus tutelam Fridericus Erneſti Styriæ Ducis filius Succedit in
idémque ſubinde Romanorum Rex electus, ſuſcepit. Leonardus Patavienſis Imperio Fridericus III.
& ſub Alberto & Friderico ſumma quæque negotia gerebat, planè columen Leonardi res
Pontificiarum partium in Germania nuper anno 1439. Alberti Regis orato- pro Eccleſia
rem egerat in Imperii conventibus ad ſopiendam diſcordiam, quæ inter Ba- geſtæ.
ſileenſes & Eugenium Papam vigebat, potiſſimùm inſtitutis : primùm in Conventu Norimbergenſi : petebat Patavienſis cum aliis legationis Collegis, ut Patres Baſileenſes in alium ſe locum reciperent, Conciliúmque transferrent : in quo cùm Legati Baſileenſes poteſtatem ſe habere negarent, Patavienſis cum ſuis profectus eſt Baſileam, hortatus enixè Patres, ut pacem amplecterentur quam ipſi offerrent. De quo cùm non conveniret, inter ipſas rerum difficultates(ùt ſcribit Æneas Sylvius in commentariis de Concil. Baſil.) Patavienſis & Auguſtenſis Epiſcopi,Oratores Cæſarei & admodum nobiles ad ipſum Regem Albertum abierunt; nominato priùs Concilii Protectore Barone Conrado Winſpergenſi. Indictus fuerat alter ad Francofordiam conventus ad Kalendas Martias, ſed peſte Francofordiæ graſſante translatus Moguntiam, quo poſtremi omnium advenerunt Patavienſis & Auguſtenſis Epiſcopi, Abbas Scotorum Viennenſium & Joannes de Eich Doctor, qui cum Lubicenſi & Georgio Milite Cæſareum locum tenebant. Poſt tractatus bene multos viſum eſt Electoribus Imperii aliíſque Germanorum Principum Oratoribus decreta Baſileenſis Concilii in ſua natione recipere atque obſervari mandare; ſuper decreto verò ſuſpenſionis Papæ deliberationem ſuſpende-
runt, ne illo ſuſcepto deſperata pax cum Eugenio videretur. Id nihil morati Schiſma Ba-
Baſileenſes die 16. Maji erupêre in ſententiam Depoſitionis Eugenii, Orato- ſileenſium.
re tamen Cæſareo Joanne Epiſcopo Lubecenſi ad ſententiam temerariam non comparente. Obiit ſubinde, ùt diximus Albertus Cæſar, cujus metu liberi Baſileenſes creaverunt Antipapam Felicem V. Nonis Novembris anno
1439. Eccleſia in partes diſciſſa tres; pars melior Eugenium, alii Felicem, Germania
Germanorum pleríque neutrum ſequebantur; hinc orta factio, quam *Neu-* neutralis,
tralium appellabant, qui nimirum rem integram ad Concilium, quod intenderant, novum conferendam cenſebant. Hæc enim via videbatur unica evadendi periculum anceps animorum, in quod ne incurrerent, integerrimi etiam ejus ætatis viri ſic erant, ut hinc autoritatem Concilii deſerere, indè à

legiti-

legitimo Paſtore deficere perinde ſibi ducerent piaculo: & crepabatur tunc plenis buccis ſententia illa, de Concilii ſupra Pontificem præcellentia, quam ùt ex Actis Patritianis liquet, amplexæ ſunt Academiæ nobiliores, Pariſienſis, Viennenſis, Erfordenſis, Colonienſis, Cracovienſis.

XXV. *Deliberatio cum Epiſcopo Patav. de neutralitate.* Fridericus recèns electus, quid ageret, anceps mandavit Univerſitati Viennenſi, ut cum Epiſcopis Paſſavienſi & Friſingenſi in conſilium iret, quid in negotio Ligæ ſeu Neutralitatis Germaniæ Archiepiſcopo Salzburgenſi reſpondendum. Concilium enim cum ſuis Suffraganeis celebrare decreverat Joannes Archiepiſcopus, eàque propter ab Univerſitate Viennenſi ſubmitti ſibi Doctores divini & humani juris peritos oravit. Itaque juſſu Regis deliberatum de reſponſo: decretum nihil: cùm facultates duæ Neutralitatem probarent; Theologica verò cum Artium Magiſtris eandem averſarentur. *Patavienſis cum Auſtriacis à legitimo Papa non deficit.* Patavienſi Epiſcopo quæ propriè ſententia ſteterit, indè compertum eſt, quòd, cùm primum in Concilio regio teneret locum (ùt ſcribit Æneas Sylvius) planè veriſimile ſit ipſo auctore factum, ut ne Rex unquam Eugenii Papæ dejectionem probaret; imò legitimum ſemper Pontificem verbis factisve
1442. agnoſceret: cùm enim anno 1442. die 17. menſis Junii Romanorum Rex „Aquisgrani coronatus, domum repetens, Baſileæ tranſiret, rogatúsque „Felicem illic præſentem accedere, nullo ei pacto perſuaderi potuit, ut ho„norem ei tanquam Romano Pontifici exhiberet, aut cum eo verba publicè „miſceret. Tum primùm conſideravimus (verba ſunt Sylvii, qui tunc Fe„lici Antipapæ ab epiſtolis erat) poſſibile eſſe quòd partem erroneam ſequere„mur, quando Rex, Imperator Romanorum futurus in tanto negotio du„bius eſſet, & ad Eugenium inclinaret magis. Adſuerat coronationi etiam Leonardus, eodémque anno Viennam redux conſilia Regis moderari perrexit: eò Julianus quoque Cardinalis advenit ab Eugenio legatus, ad cujus
XXVI. partes ſe jam totum retulerat. Laborabatur adhuc de concilianda inter Ba-
1444. *Leonardus Cæſarem hoſpitio accipit.* ſileenſes & Eugenium pace, quem in finem decreta eſt in annum 1444. Dieta, ùt appellant, habenda Norimbergæ, ad quam Fridericus ſe contulit die 9. Julii, magnificè per iter acceptus à Leonardo Patavienſi, quà in arce Eberſperg, quà deinde Pataviæ, ad quam Cæſar die 20. Julii. feriâ ſecundâ appulit. Inſignis eſt epiſtola Æneæ Sylvii ad Joannem Campiſium, quâ miris laudibus extollit humanitatem & munificentiam Leonardi: neque aliud eſt teſtimonium illuſtrius de virtutibus ejus; quam proinde quod univerſa ad res Patavienſes pertinet, hoc loco inſerimus.

De quo Æneæ Sylvii Epiſtola CLXX. „Æneas Sylvius, Imperialis Secretarius S. P. D. Joanni Campiſio præ„ſtanti Philoſopho, & amico veraci. Jubet lex amicitiæ, omnia inter amicos „eſſe communia, ſive moleſta, ſive jucunda ſint, quæ contigerunt: quod „cùm te Philoſophia jam dudum & à teneris, ùt ajunt, unguiculis edocuit, „non agam hoc pluribus, ſed ad rem veniam. Magna mihi per hos dies ob„lata voluptas eſt, ad cujus plenitudinem ſola tui præſentia defuit, quæ mihi „omne gaudium ſolidius reddidiſſet. Sed communicabo tibi literis quod „verbis nequeo: quamvìs & calamus impotens eſt omnia reſervare. Audi „tantùm & voluptatis meæ particulam recipe. Fui nuper apud Wiennam „plurimùm mœſtus, quia Cæſarem noſtrum res tum Eccleſiæ tum Imperii „timebam negligere. Nam quod dictum & ſcriptum fuerat de Conventu „Nurenbergenſi, videbam quodammodo poſtergari. Sed advenerunt mox „Regia mandata, quæ nos ſequi Regem jubebant: quoniam is die Jovis, „nona Julii ex Nova civitate receſſerat, iter ſuum versùs Nurembergam con„tinuaturus. Lætati omnes hoc nuncio ſumus. Ego cum Magnifico Can„cellario Gaſpare Schlik tui amantiſſimo, Regiam Majeſtatem biduò ſum ſe„cutus. Pòſt cùm Rex oppidum ſuum quoddam extra viam poſitum viſere *Judicium Æneæ de Laureaco & Metropoli Laureac.* „vellet, *nos Anaſum perreximus, ubi olim Eccleſia Metropolitana floruit, Laureacenſis dicta. Fuit enim Laureata urbs admodum inſignis in ampla camporum planicie, & ſuper flumen, quod etiam Anaſum vocant. Sed poſtquam Athyla urbem delevit, ubi arx erat, oppidum ex nomine fluminis reſtructum eſt: Sedes verò Metropolitica in Salzburgam translata.* „Hic una nocte conſedimus. Poſtero die, „cùm

„cùm duo miliaria Teutonica confeciſſemus, nemus ſupra collem tranſivi-
„mus: Caſtellum conſpicimus, Eccleſiæ Pataviensis, quod alii *Aprorum*, alii Eberſperg Ca-
„*Planicierum montem* appellant. Ibi Prælatus insignis reſidebat, Leonhardus ſtrum Patav.
„Epiſcopus Pataviensis, qui ſuſcepturus Regem illic, obviam venerat. Tu
„hominem noſti: nam & hic Viennæ fuit, cùm tu Cardinalem S. Angeli ſe-
„quutus, Regiam Majeſtatem (jam annus eſt) viſitaſti: *Vir elegantis ſtaturæ*, Laus Epiſcopi
blandi colloquii, ingenii prudentis & liberalis, qui primum in Conſilio Regio locum Patav.
tenet. „Hic ubi ex alta ſpecula Cancellarium vidit advenientem, Marſcal-
„cum ſuum obviam deſtinavit, qui nos ad ſecretam viam deduceret. In pu-
„blicis autem diverſoriis præceptum erat, ne quid nobis venumdaretur, vel
„ad hominum, vel equorum uſum: & quia Diſpenſator Cancellarii prævene-
„rat, jámque popinam armaverat, omnia juſſit eripi, nec unum ex familia
„noſtra paſſus eſt extra arcem eſſe, ſed equis etiam pabula miniſtravit, quod
„ubertim triduò factum eſt. Venimus igitur ad ejus conſpectum, poſtquam
„hic divina peregerat. Non tam lætus Herculem ſuſcepit Evander, aut Ace-
„ſtes Anchiſen, quàm hic noſtrum Cancellarium. Nam & illum & nos ſin-
„gulos blando vultu, & alacribus oculis ad ſe recepit, modeſtóque riſu quos-
„libet amplexabatur, ac dulciſſimis verbis conſalutabat, & ùt quilibet valeret,
„percunctabatur: nec nos uti ſervos (quod non erat impar) ſed ut filios, vel
„fratres pertractabat. *Nemo, crede mihi Joannes amantiſſime, nemo eſt (quem* Laus inſignis
unquam viderim) tam benignus atque humanus in ſuos hoſpites, tam Magnificus in ejusdem.
*ædificiis, tam ſplendidus in conviviis, tam largus erga perſonas miſerabiles, tam
æquus in ſubditos, tam juſtus in omnes, quàm iſtum Prælatum accepi. Hoſpitalita-
tem, magnificentiam ac liberalitatem, ego ipſe ſum contemplatus. Neque hic, ſicut
plerique, bona Eccleſiæ inter neceſſarios partitur, aut in alios illaudabiles uſus conver-
tit, ſed elargitur pauperibus Chriſti quàm plurima. Nec Princeps eſt his in parti-
bus, ante cujus oſtium plures paſcantur inopes. Taceo eleemoſynas, quas clanculum
facit. Nam & Comitibus & Baronibus nonnullis occultè ſubvenit, quos rota for-
tunæ inſtabilis præcipitavit. Patet præterea domus ejus præclaris ſemper hoſpitibus.
Et licèt ea reſiſtentia, quam ei Albertus Auſtriæ Dux fecit, qui poſtea Rex Ungariæ,
Bohemiæ, ac Romanorum fuit, in octoginta millibus aureorum ſuam Eccleſiam dam-
nificavit: hic tamen, poſteaquam pacem nactus eſt, in ædificiis tum Caſtrorum tum
Eccleſiarum reparandis ſeptem & viginti millia florenorum expoſuit: in redimendis
autem cenſibus ac prædiis pignore datis, tria & viginti millia. Utinam tales præ-
latos Tridentina ſortita fuiſſet Eccleſia!* „Sed quid ego iſta commemoro? ſe-
„quar quod cœpi. Erat jam prandium opiparis epulis appoſitum: aſcendi-
„mus aulam, ibique juxta feneſtram (quam levis aura perflabat) conſedimus.
„Primus erat Epiſcopus, ſecundus Cancellarius, tertius Illuſtris Comes Or-
„tenbergenſis, quartus Præpoſitus Friſingenſis, vir & nobili loco natus, &
„juris interpres. Sed nec mihi ultimus locus in tam ſublimi menſa negatus
„eſt. Credo quòd me alienigenam honorare voluerunt. Nihil lautius illa
„quadra fuit, nec tam florentes epulas Metellus quæſtor Hiſpanicus dicitur
„habuiſſe, nec tam exquiſita fercula Criſpinus aut Apicius, & alii Romani
„vorabant: poſtquam abrogatis cibariorum legibus priſca ſeveritas luxu ceſ-
„ſit maligno. Mos Germanorum eſt, piſces carnibus admiſcere: nec felix
„putatur, qui tantùm carnibus veſcitur. Suaviſſimi igitur fuerunt piſces ap-
„poſiti, quos tum Danubius propinquus, tum Trauna præterlabens admini-
„ſtrabat. Neſcio quem accipenſerem laudant antiqui, quáſve murenas: Ego
„inter edendum ſæpe recordatus ſum ejus, quem Ariſtoteles dicit collum
„gruis optaviſſe, ut quàm maxima ciborum voluptate perfrueretur. Inter
„carnes autem ardeam comedimus, turdos altiles, arietes, orices, cervum,
„aprum, leporem: omitto reliqua. Nec, dum hæc legis, ſalivam in labra
„deducas, mundatóſque dentes lactuca fatiges. Inter alias autem voluptates
„jucundiſſimum erat ſervatas per hyemem glacies in fervente æſtu menſæ ap-
„poni, vináque illis reddi frigidiora. *Quid tibi de urbanitate, facetiis, mirôque
„dicendi lepore hujus Epiſcopi ſatis potuerim dicere?* Sunt nonnulli, qui hoſpites
„quaſi verecundia coacti vocitant, omnémque morſum dinumerant: ac cùm

„agnum lacerari dentibus cernunt, non minùs triſtantur, quàm ſi propria „membra manderentur. At hic Præſul tunc dolebat, tunc increpabat hoſpi-„tes, cùm ceſſare videbat: nec quòd edulia ponerentur, ſed quòd non eſa „fuiſſent, querebatur. Quòd ſi, ut dicimus:

Nobilitat multùm frons generoſa dapes:

„Quid tum dicemus, cùm lautæ menſæ copioſisque apparatibus & vultus læ-„ti, & verba gratiſſima adjunguntur? Poſtquam verò exempta fames epulis, „menſæque remotæ ſunt, ducit nos Pontifex per caſtrum, locáque ſingula „monſtrat: ſitum oſtendit, & quicquid eſt laudabile in aperto facit. Præbe „aures paululum: locum tibi deſcribam, ut cùm legeris, exhilarari etiam „poſſis. Caſtellum hoc in ea terra eſt, quæ inter Bavariam & Auſtriam jacet, „Marchionatus Anaſi. Quidam volunt hanc eſſe portionem Auſtriæ, poſt-„quàm ibi Ducatus erectus eſt. Sedet autem Caſtellum in rupe Traunæ, cui „ab oriente Auſtria, & ab Occidente Bavaria, Boream ſibi Bohemia præbet, „Auſtrum Styria. Trauna fluvius eſt miræ perſpicuitatis, qui ex Alpibus „Styriæ præcipitatus, quoſdam lacus efficit: exinde per quinque millia paſ-„ſuum diſcurrens planiciémque peramænam ſecans, non longè ab hoc Caſtel-„lo fertur in Hiſtrum. Habet hic amnis miri ſaporis piſces: nec ſcio an „alius feracior ſit. Scripſi jam tibi curſum ejus, qui admodum brevis eſt. „Jus in eo piſcandi multorum eſt. Pataviensis Eccleſia duodecim habet pi-„ſcatores, quorum quilibet tres Miniſtros ſecum ducit; Dux Auſtriæ qua-„tuor; Comes de Schaumburg totidem: Dominus de Walſee; Præpoſitus „S. Floriani; Domini de Trauna & Barones de Lichtenſtein totidem: qui „pro libitu ſuo piſcantur, ác familias ſuas nutriunt. Præter hos tamen, qui „in horum manus piſces advenlunt, ad teloneos hujus oppidl quadraginta „piſcium modii quotannis pervenire dicuntur ex his, qui ad menſuram ve-„nundantur. Nam grandiuſculi, numerati venduntur. Modius autem per-„magna menſura eſt, & ultra quàm putes capax. Quid plura? Nuſquam „terram aut arenam juxta hoc flumen effodies, quin aqua intercreſcente mox „piſces invenias. Hoc, quemadmodum vides, ad ornamentum caſtelli; lo-„cique voluptatem plurimum conducit. Sed adhibe ampliùs te mihi, totúm-„que intuere meliùs. Mihi ſi caſtrum aliquod detur inhabltandum, ubi ad „recreationem vivere velim: hoc potiſſimùm placeret. Quid enim eſt ad „plenam læticiam neceſſarium, quod hic deſideraretur? Fateor non eſſe hic „vineta, ſeu oliveta, non ficus, non cedros, non poma punica, & alia qui-„dem, quæ apud Italos habentur quam plurima. Sed vina huc Auſtriaca „quàm gratiſſima perferuntur, amica naturæ, guſtulque ſuavia, quæ nos in „prandio affatim bibimus: nec ex Atheſi deſunt, aut ex Tergeſto, quia ubi „pecunia eſt, illuc & vina vehuntur. Quòd ſi deſunt racemi, & cum ficubus „Melones; ſunt pyra & poma admodum guſtui ſapida, ſunt cæraſa multimo-„di generis. Eſt aër ſaluberrimus; ventulus ſuavis. Si nudus inceſſeris, ſi „os operueris, ſi ventrem oſtenderis, & quantumvis flantis auræ perceperis, „nihil exinde lædéris. Cùm æſtus ſit quantumvis alibi maximus, ſemper In „Caſtro flatus reſpirat amœnus. Proſpectus illinc ad novem, decémve Teu-„tonica miliaria protenditur: videntur montes, nemora, fluvii, Campi, col-„les culti, vireta jucunda. Hinc Trauna currit, iſthic Hiſter prolabitur. Pra-„ta quàm plurima ridentia, cùm tempus fert, circumſpiciuntur. Pomeria „circa Caſtellum tria ſunt, duo altiſſimis communita foveis, nec actibus om-„nino nuda: ubi ſtationes habentur, umbracula contra ſolem aptiſſima. Si „piſcari velis, aquæ in oculis ſunt: ſi aucupari, ſepes quàm plurimæ aviculis „refertæ circumſtant. Si venatio placet, vix ad mille paſſus Sylvæ diſtant, „quarumvis ferarum genere plenæ. Eſt in colle proximo nemus umbroſum „altiſſimis quercubus ſeptum, quod fovea ſépsque cingit in modum porcii, „ſeu leporarii: ubi quàm plurimæ feræ concluſæ ſunt. Illic etiam Niſi ſunt „quàm plures, quos in arboribus humana diligentia ad ardearum uſum cu-„ſtodit, qui ibi porrectis cibis nutriuntur. In planicie feraces ſunt agri, tan-

„tum

Deſcriptio Caſtri Eberſperg.

& Traunæ fluvii.

Deliciæ Caſtri Eberſperg.

„tum frumenti ſiliginiſque reddentes, ut ex eo, quod ſuper eſt, caſtro mu-
„nito, facilè poſſit vinum comparari. Hæc foris ſunt. Nunc arcem ipſam Conditio ejus
„interiùs conſpice. Eſt, ùt dixi, ſuper alta rupe conſtructum Caſtellum ex interior.
„tribus partibus, à planicie ſurſum erectum, ac ſua natura defenſum. Pars
„quarta duplicem habet foveam, pontémque duplicem. Profunditas fovea-
„rum altiſſima eſt: in hac parte turris eſt in cœlum tendens, undique pro-
„pugnaculis communita: in cujus ſummitate cuſtos reſidet, qui cornu quaſi
„tuba perpetuò clamitat, interdum & ruſticam muſam exagitat. Murus
„Cancelli undique duplex eſt, & in pleriſque locis triplex. In medio verò
„platea eſt arcularis: ibique fons amœniſſimus ſcaturit, ac per fiſtulas æreas
„bis ſex aquam propinat. Fontis ambitus marmoreus eſt. Inter columnas
„medium eſt tabernaculum, quod deſuper eminet æreum, mirificè ſtructum,
„ut Elchanoris opus dijudices, aut Polycleti: cujus fabrica trecentis & mille
„aureis empta eſt. Septem circùm proceræ ac frondoſæ ulmi tenduntur in
„cœlum, quæ umbram gratiſſimam reddunt. Cœna, dum æſtus eſt, in Can-
„cellis apud hunc fontem paratur. Piſces ex fluminibus in fonte tanquam in
„vivario reſervantur: ac dum ſedes in prandio, capi piſces, & in coquinam
„deferri cernis, quos è veſtigio coctos manducas. Eſt & alius fons lapideus,
„dulces & perlucidas aquas effundens; Tertius in coquina eſt, cujus cannu-
„læ lymphas in quamlibet ollam igni admotam inferunt. Eſt præterea hu-
„jus caſtri mirum privilegium, ſive conſuetudo. Ruricolæ, qui circumha-
„bitant, obnoxii ſunt quævis neceſſaria ad uſum caſtri præbere, exceptis, quæ
„majoris habentur ſumptus. Dant caſeum, butyrum, lac, lignum, ac fœnum
„ad cloacas opportunum: gratis mundant domum, ligna ſcindunt, diſcos
„menſarum exhibent ſcutelas & cacabos lavant. Poſt hæc capellam vidimus
„ad divinum cultum perornatam, ibi tres aræ conſecratæ ſunt. In ambitu
„ſuperiori poſt aulam majorem, habitatio Regi parata erat, ubi hæc loca no-
„tavi: Stuba una tapetibus ornata, & Atrebatenſibus pannis. Camera per-
„ampla, ubi & lectus aureis ornamentis & apparatu Regio relucebat: ex qua
„& feneſtra quædam in capellam præbebat intuitum. Erat & ſtudiolum, ſeu
„Muſæum perpulchrum: rurſúſque alia camera propinqua poſt habitacu-
„lum extrà murum caſtri pontibus ſuſtentatum, undique patulum in occi-
„duum & ſeptentrionalem, meridianúmque ſolem reſpiciens: ubi ſemper
„aura ſuavis reſpirat, cùm alibi fervidus æſtus ſentitur. Exinde aditus per
„pontes in alteram fertur cameram, quæ extra murum trabibus ſuſtentata
„eſt, & Orientem & Arctoum occiduúmque ſolem intuetur, quam Marſcal-
„cus regius inhabitat, qui & aulam & ſtubam & thalamum minore cultu,
„quàm Rex habuit. Ipſe ſibi Pontifex Cancellariam ſervavit: ubi rurſus alia
„manſio ſuis membris ad uſum Principis erat ornata. Cancellario perpul-
„chrum thalamum in alta turri, & ſub eo Vultero Regis Conſiliario adornâ-
„rat. Locum Caſtri, qui reſpicit Orientem meridianúmque ſolem, præfe-
„ctus arcis cum conjuge ac nonnullis nobilibus dominabus occupavit: nam
„& ibi manſiones quamplures fuêre, tum amplæ tum decoræ. Cellaria ſub
„aſtra perampla, & ſtabula multa. Inter Caſtellum & flumen Traunam vil-
„la quædam fuit aperta, quam hic Pontifex brevi tempore cinxit, & ad in-
„colentium tutelam armavit. Atque his in locis Romanorum Regem, &
„Sigiſmundum Auſtriæ Ducem ſuſcepit, honoravit, pavit, atque omnem
„equitatum, peditatúmque recreavit. Neque contentus his ſumptibus: rur-
„ſus cùm Rex Linchiam perrexiſſet, cum Cancellario viam præripuit, ac Pa-
„taviæ apud Regiam Majeſtatem manſit. *Eſt autem Patavia, præclara, divéſ-* Deſcribitur
que Civitas, inter Danubium Oenúmque ſita, quam priſci Cæſares Eccleſiæ tradide- Civitas Patav.
*runt. Danubius ex montibus Sueviæ venit. Oenus ex alpibus, quo Germaniam
ab Italia diſterminant. Atque hoc in loco mixtus Danubio, nomen amittit. Urbs
ipſa in longum tenditur: nec magno negotio formam inſulæ ſuſciperet, ſi quis ab Oeno
foveam in Danubium duceret. Nec enim quingenti paſſus ſunt ex una in alteram
aquam. Super Oeno pons eſt ligneus, qui ſedecim habet arcus, & civitatis partem,
quæ trans flumen eſt, civitati majori conjungit. Eſt & alius pons ſuper Danubium,*

per quem via eſt ad montes, qui Bohemiam reſpiciunt. Poſt hos montes, fluvius alius niger admodum perlabitur, qui ex Bohemia veniens, oppidulum Judæorum, & tertiam Pataviæ partem dividens, ſub caſtro Præſulis Danubio, quaſi ex oppoſito Oeni, ſeſe immiſcet. Itaque tria flumina uno in loco conjunguntur: ac propterea

Opinio Sylvii de nomine *Paſſau.*

locum iſtum quodam verbo Italico paſſum, *hoc eſt tranſitum vocitant. Nam & per hunc locum merces Italiæ in Bohemiam ferebantur, & ſuperiores Teutonici Auſtriam vel Hungariam petebant, ſicuti & hodie fieri videmus. In medio urbis templum eſt divi Stephani, primi Martyris, hujus Epiſcopatus patroni, egregiè cœptum, ſed nondum perfectum.*

Leonardus ædificat Chorum Templi Patav.

Chorus hic admodum pulcher ædificatur: ſed quia parcè nimiùm tum civitas, tum Capitulum ad fabricam conferebat, Leonhardus Epiſcopus magnam pecuniam ad hoc opus dedit: adeóque jam celeriter ædificatur, ut quadriennio putetur ex integro perfici poſſe.

Deſcriptio Palatii Epiſcopalis:

Apud hoc templum ædes Epiſcopi ſunt ad eam partem, quæ reſpicit Oenum, tum capaciſſimæ tum ſplendidiſſimæ: in quibus Fridericum Cæſarem ac Sigismundum Ducem aptiſſimè collocavit. Eſſet jam admodum longa epiſtola, ſi omnes ædium partes vellem deſcribere; ſi vel Capellæ reliquias, vel aureos pannos, quibus undique muri veſtiti erant, oſtendere contenderem: neſcio quis Princeps non ſe his ædibus egregiè habitare putaret. Ego & Regibus & Cæſaribus, atque ipſis Eccleſiæ Romanæ ſummis paſtoribus commendatiſſima, vel convenientiſſima hæc palatia judicaverim, niſi quis forſan Huſſitarum more nimiùm ſumptuoſa hæc ſacerdotibus exiſtimaverit.

item Arcis ſuperioris.

Sed nec hæc ſolùm habitacula Regibus digna ſunt: trans Danubium duæ quoque ſunt arces Epiſcopi, altera in radicibus apud aquas: ubi Danubius & Niger Bohemiæ fluvius (qui etiam fert uniones) conjunguntur. Eſt ad ſublimiorem arcem grandis aſcenſus, atque difficilis, qui tantùm ex uno angulo poteſt oppugnari. Sed tot ibi munitiones additæ ſunt, tam murorum quàm fovearum, ut expugnari poſſe nulla vi hominum videatur: ibi & aulæ ſunt, & Cameræ ſplendidiſſimæ: quas, qui viderit, nec ornatius aliquid, nec munitius unquam eſſe putaverit.

& inferioris.

At ubi deſcenderis in arcem, quæ infrà jacet, ornatum majorem videbis: teſtudinatas cameras & aulas quamplures, lectos ad regium cultum ſtratos. Mirari ergo potiùs quam commendare potui. Sunt meo judicio Teutonici mirabiles Mathematici, omnésque gentes in architectura ſuperant.

Leonardus architectonicæ deditus.

At hic Epiſcopus præcipuus eſt, ſive ſuapte natura in hoc inclinatus, ſive peritiſſimis Magiſtris edoctus. Vidi ego quàm plurimas arces tum apud Italos, tum apud alias gentes: ſed & illæ vel ad bellum ſuſtinendum conſtructæ, vel ad voluptatem paratæ fuerunt. Has verò ille ad utramque rem miro artificio coaptavit, ita ut nec ad jucunditatem, nec ad tutelam ulterius quicquam addi poſſet. „Quæ omnia Cancellario & mihi oſtenſa fuerunt, dum

Regem Pataviæ magnificè habet,

„Pataviæ Regem operiremur. Venit autem Rex die Lunæ cum Sigismundo „Duce, 12. Calendas Julii, triduóque manſit, quem Pataviensis Epiſcopus „cum omni familia tam coploſè quàm ſplendidè pavit, nec aliquem vel Prin„cipem, vel privatum hominem, qui Curiam ſequeretur, paſſus eſt Pataviæ „obolum exponere, cunctis ipſe ſumtus quàm liberaliſſimè præbuit. Sed „qui fuerunt, qui verecundiâ ducti nollent fercula petere, illis usque in do„mum ubertim edulia mittebantur, & vina. Nec potuit aliquis cibum mor„dere, qui non ex Epiſcopi coquina veniſſet. *Cùm Rex moneret Epiſcopum, ne tantis ſe ſumptibus oneraret. Tace* (inquit) *Rex: nolo, cùm hac vita emigravero, patronus meus me arguat Stephanus, qui ſcit hæc bona ſibi per tuos Anteceſſores elargita, dignéque tibi ex illis honorem impendi.* „Miniſtri præterea eſculenta, „& poculenta, equorúmque pabula tam voluntariè exhibebant, ut tunc ſe „quàm maximè lucrari putarent, cùm effuſiùs diſpenſarent. Ego mi Joan„nes, non potui (dum iſta cernerem) non lætari. Videbar videre priſcos „illos & admirabiles viros, quos tantopere commendat antiquitas: ſicut de „Seneca ſcribitur, Piſonéque, Gneio & Cotta, quibus & titulis & faſcibus

Laus iterata Leonardi.

„major fuit donandi gloria. *Fortunet DEus hunc præſulem, vitámque cornicis præbeat, & annos Neſtoris: Sapientiam autem ſibi usque in finem vitæ præſtet, quam modò habet.*

Potentia & amplitudo epiſcopatus Patav.

Nam etſi multos ſub ſe populos tenet, & Caſtella ultra triginta poſſidet, & diœceſim ad trecenta millia paſſuum extenſam à Ratisbona propè usque in Poſonium (quod eſt Ungariæ oppidum) regnat, tanta ejus tamen eſt prudentia, ſingularisque virtus, ut nihil dubium ſit, ſub ejus gubernatione præſtantiſſimam hanc

Eccle-

Eccleſiam, tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus proſperari. „Vale Cam-„piſii optime, & hujus clariſſimi viri laudes Reverendiſſimo Domino tuo, „meóque Cardinali Tarentino, & cæteris Romanæ Curiæ ſenatoribus ex-„pone: quamvis Tarentinus ipſe Prælatum hunc & noſcat, & amet. Ex Pa-„tavia 10. Calend. Julias anno 1444.

XXVII.

Æneæ Sylvii cum Leonardo neceſſitudo.

Erat Æneas nuper Felici Antipapæ à Secretis, deinde Friderico Cæſari, quo anno Aquisgrani coronatus Baſileam tranſiit, adhæſit: Magnus ſanè vir, ac lumen horum temporum; magna idem familiaritate cum Leonardo conjunctus, & verò etiam beneficiis obſtrictus: nam ei Leonardus Eccleſiam S. Mariæ Aſpacenſis in Bavaria haud procul ab Oeno fluvio ſitam ultrò contulit; neque dubitem Leonardo potiſſimùm auctore Sylvium in Aulam Cæſaris adſcitum, aperto tum primùm oſtio ampliſſimorum munerum, quæ deinde geſſit, quæque demum ei viam ad ſupremum Eccleſiæ faſtigium ſtraverunt: hoc enim, niſi multùm fallor, exquiſitæ illæ beneficiorum prædicationes, quas in epiſtolis ſuis adversùs Leonardum Sylvius facit, reſpicere videntur. Dedit ad eum epiſtolas tres, ſed unam præſertim plenam grati animi ſignificatione, nempe ab reditu Legationis Romanæ, quam Æneas mandato Cæſaris ex Conventu Norimbergenſi ad Eugenium ſuſcepit; de qua nonnulla libare convenerit, eá quoque gratiâ, quò pateat, duobus hiſce viris veluti cardinibus rem fuiſſe publicam ea tempeſtate potiſſimùm verſatam. Sic itaque ſcribit:

1445. *Epiſt. Sylvii XCVIII.*

„Reverendiſſimo Patri Domino Leonardo Epiſcopo Patavienſi Eneas „Sylvius &c. Reverendiſſime Pater, poſt humilem recommendationem & „obſequiorum meorum perpromtam exhibitionem. Speravi me in reditu „Paternitatem veſtram Reverendiſſimam apud Viennam comperiſſe, quòd „mihi jucundiſſimum fuiſſet, ut *de rebus Eccleſiæ, nonnullisque aliis contuliſſem;* „Ac propterea familiari meo Joanni, quem ad Eccleſiam deſtinavi meam, „nihil literarum commiſi V. R. P. conſignandarum. At nunc cùm *Oratores* „*regii Pataviam ſint petituri, dignationem veſtram allocuturi*, ſtatui pauca ſcri-„bere, quibus memoriam veſtri ex me non poſſe deleri ſciatis - *ſcio me plus debere, quàm poſſim perſolvere - facultates, corpus meum, vita ac poſtremò animus in veſtra poteſtate ſunt: nihil in his ampliùs juris habeo: ſic me veſtris beneficiis devinctum tenetis.* „Sed de his aliàs: nunc pauca dicenda ſunt de ſta-„tu Romanæ Curiæ. Caput illius Eugenius, fuit, dum ad eum veni, ſatis „ſoſpes, ſi poſſunt ſenes eſſe ſoſpites. In meo receſſu podagra, chiragrâque „debilior factus eſt: petitioni Regiæ non annuit: Concilium namque in „Alemanniam nec dedit, nec daturus eſt. Si quid aliud Regia Majeſtas cu-„piviſſet, optata retuliſſet; ſed nihil poſtulatum eſt, niſi quod pacem Eccle-„ſiæ concernebat; quamvis ille non pacem, ſed majorem quæri ſeditionem „diceret. Reliqua in adventum Paternitatis veſtræ reſervo. Valete. Data eſt epiſtola, ut ex argumento colligitur anno 1445. quo proinde Leonardus per Oratores Friderici Viennam evocabatur, uti colligitur ex epiſtola modò recitata, ſanè ob negotia, quæ ſeu pacem Eccleſiæ, ſeu res Hungaricas ſpectabant.

Leonardus aſſiduus in Eccleſiæ pacandæ negotio.

Epiſt. Sylv. LXXXI.

De Hungaricis eſt altera Æneæ ad Leonardum epiſtola, quæ hiſtoriam ab obitu Sigismundi Hungariæ Regis usque ad cædem Uladislai, atque Hungarorum in Ladislaum puerum conſenſionem complectitur. Data brevi poſt cladem Varnenſem, in qua Chriſtiani ab Amurate cæſi, Rege ipſo in acie, Juliano Cardinale in fuga interfecto. Contigit ea clades anno 1444. die decima Novembris.

XXVIII.

1446. *Pax Eccleſiæ reſtituta.*

Sed pacem Eccleſiæ, quod dudum Fridericus egerat, demum annus 1446. reſtituit; quando miſſis ex Conventu Francofordienſi, qui Kalendis Septembribus ceptus fuerat, ad Eugenium Legatis, Germaniæ Principes obſequium profeſſi ſunt, certis tamen conditionibus, in quarum omnes annuit Papa. Orator ad Papam fuit iteratò Æneas Sylvius, qui ſub initium anni 1447. cum aliis Romam venit, quam rem deſcribit ipſe in opuſculo retractationis: „Cùm, inquit, Cæſar ad unionem Eccleſiæ procurandam in Nurim-

1447.

 „berga

„ berga ſuæ nationis conventum inſtituiſſet, decreviſsétque ſummum Ponti-
„ ficem adhortari, ut Conſtantiæ novum Concilium indiceret, Legatúmque
„ mitteret, Baſileenſes pariter inducere, ut eò ſe transferrent, ut ibi pax Ec-
„ cleſiæ redderetur, primi Baſileenſes recuſavêre, quod audiens Thomas Aſ-
„ ſelbachius ex Germanis inſignis Theologus: Nunc, inquit, ſcio Baſileenſes
„ Spiritum S. non habere ductorem; quando tam æquam Imperatoris legem
„ effugiunt: idem multi alii dixêre viri doctiſſimi & opinione ſanctitatis illu-
„ ſtres. Quibus conſideratis caligo tandem ab oculis noſtris cecidit, quæ
„ velut aranearum tela verum cernere impediebat; recognovimus errorem
„ noſtrum, venimus Romam, Baſileenſe dogma rejecimus, Eugenio Pontifici
„ maximo caput ſubmiſimus &c.

Hoc munus Eugenio paulo antè obitum DEus repræſentavit: obiit enim eodem anno die 23. Februarii: cui ſexta die Martii ſuffectus Nicolaus V. pro quo eodem anno die 21. Auguſti promulgato edicto ſolenniter ſtudium ſuum declaravit Fridericus, idémque fieri mandavit ab Univerſitate Viennenſi, quæ eſto conſenſum unanimem à membris ſuis ægrè impetráſſet, tamen ad extremum imperanti Regi morem geſſit, Legatúmque Pontificis Joannem S. Angeli Cardinalem legitimo ritu excepit, idque ipſum per toram Diœceſim egit Leonardus, ùt qui princeps fuerat architectus pacis, & fidei adversùs Sedem Apoſtolicam conſtanter retinendæ auctor. Potiſſimam ille partem aſſidebat Cæſari, quod ex inſtrumentis ab eo plerumque in Urbe
1448. Viennenſi datis elucet. In aula Regia verſabatur anno 1448. quod liquet ex
Fugger. l. 5. c. 6. judicio Viennæ celebrato in cauſa diſſidii, quod in Urbe Schwinfordenſi inter Cives quoſdam & Senatum conflatum fuerat: in eo judicio leguntur aſſediſſe Joannes Ep. Friſingenſis, Leonardus Paſſavienſis, Fridericus Ratisbonenſis, Sylveſter Chiemenſis &c. Sententia contra cives ſeditioſos pronunciata, ſenatúſque, qui dejectus fuerat, in locum ſuum reſtitutus: Actum Wienæ anno 1448. die Martis ante Michaelis. Subinde & Felix V. idolum Baſileenſe in ordinem redactus, páxque Univerſalis Eccleſiæ rediit.

XXIX. Miſerat anno 1450. Nicolaus Papa in Germaniam Legatum Cardinalem
1450. Reformatio Ordinis ſacri per Auſtriam. Cuſanum Jubilæi promulgandi gratiâ, ſimul ut ſacram Eccleſiarum & Cœnobiorum diſciplinam in melius componeret. Ille deputatis ei negotio per Provinciam Salzburgenſem tribus Abbatibus diœceſis Patavienſis, nempe Srephano Mellicenſi, Martino Scotenſi, & Laurentio Cellæ B. V. in Auſtria inferiori ad luſtranda S. Benedicti Cœnobia, aliiſque ad alias Eccleſias, ſalutaria quæque conſtituit: Synodus quoque Salzburgi eam ob rem coacta, cui
Leonardus præſidet Synodo Salisb. Leonardus Patavienſis præſedit: ejus Synodi Conſtitutiones, ut Leonardus in Diœceſi ſua promulgaret, in uſúmque deduceret, literas hortatorias à Friderico Salzburgenſi, unà cum literis Nicolai Cuſani accepit.

1451. Ad eum literæ Archiepiſcopi Salisb. de promulgandis ſanctionibus Synodi. *Miſcel. Duel. p. 2. pag. 110.* „ Fridericus DEI gratia Salzburgenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus Apoſto-
„ licæ Sedis Legatus, Venerabili fratri, Amico noſtro Chariſſimo, D. Leo-
„ nardo Epiſcopo Patavienſi, fraternam in Domino Charitatem.

„ Recepimus pridie literas à Reverendiſſimo in Chriſto Patre, Domino
„ noſtro Generoſo, Domino Nicolao titulo S. Petri ad vincula SS. Romanæ
„ Eccleſiæ Presbytero Cardinali, Apoſtolicæ Sedis per Alemanniam Legato
„ ſub eo tenore, quem intelligetis ex copia collationata, quam cum præſen-
„ tibus Signeto noſtro conſignatam vobis transmittimus. Et quemadmo-
„ dum contenta in eadem Copia aliàs, *dum ſua P. R. hic Salzburgæ ſacro Pro-*
„ *vinciali Salzburgenſi præſideret Concilio*, unanimi ſunt voto concluſa; frater-
„ nitatem veſtram ſincero exhortamur affectu, vobíſque committimus, qua-
„ tenus per Diœceſim veſtram ea, quæ continentur in dicta Copia, tam Re-
„ gularibus, quàm ſæcularibus, Exemptis & non Exemptis Presbyteris publi-
„ cetis, & publicari faciatis, pia monendo adhortatione, ut ſua devotione
„ hujusmodi ſe ſtudeant mandato conformare; in eo grata noſtra & veriùs
„ præfati Domini noſtri, Reverendiſſimi Domini Legati beneplacita proſe-
„ quendo. Datum Salzburgæ, quarta decima menſis Aprilis, Anno Domini
„ Milleſimo, Quadringenteſimo, Quinquageſimo Primo.

Hæc

Hæc ferè ſunt, quæ de Leonardo & Eccleſia Patavienſi, ùt ſe per hoc tempus habuerit, ſcribenda ſuppetebant. Memoratur celebraſſe Synodos bis juxta Decretum Baſileenſis Concilii; in iis agitâſſe de reformando clero, ſed nihil profectum: ita quidem Bruſchius; cui quantum fidei ſit, cùm de Clero ſermo eſt, abunde noſcitur: lyra vetus invidentium Clericis bona temporalia, præcentore Wicleffo & Huſſo. Alia geſta & res ad Leonardum ſpectantes ordine Chronologico ſubjicimus.

Duæ Synodi Patavienſes.

XXX.

Anno 1425. ædificatus eſt à Civibus Pataviensibus murus civitatis in loco *ad arenas* dicto, ſuper feſtucas quercinas.

Supplementum Actorum Leonardi.

Anno 1426. Leonardus dedit Diploma pro monaſterio Subenſi, quo confirmat privilegium eidem Cœnobio quondam datum ab Manegoldo, Godefrido, Georgio Epiſcopis Pataviensibus de jure civili vulgò Purchrecht, & de libera devectione quinquaginta cupparum ſalis citra vectigal perſolvendum in Obernperg. Datum Pataviæ in die S. Georgii MCCCCXXVI.

MS. Hund. T. 3. p. 261.

Anno 1426. Leonhardus Epiſcopus Monaſterio Aſpacenſi conſtituit denarium perpetuis temporibus, ſingulis annis ab Inquilinis Parochialium Eccleſiarum in Trufflern, Puerpach, Münſter, Karpheim, Weichmerting, Wirting, Munichaim &c. ſolvendum Cuſtodi Monaſterii pro Officio Cuſtodiæ & pro conſervandis ornatibus Templi ejusdem monaſterii. Ita Hundius T. 2. p. 75.

Anno 1432. Leonardus confirmat permutationem bonorum quorundam factam à Monaſterio Mellicenſi cum Magiſtro Petro de Pirchenwart ſacræ paginæ Profeſſore, Rectore Parochialis Eccleſiæ in Dreskirchen. Datum Wiennæ die XVIII. menſis Octobris Anno MCCCCXXXII.

Anno 1435. ante feſtum Nativitatis Domini dum in caſtro inferiori Pataviæ minus cautè, & improvidè ageretur cum pulveribus bombardarum, factum eſt incendium & idem caſtrum exuſtum. Verba ſunt Andreæ Ratisbonenſis.

Eodem anno Joannes Abbas Zwetlenſis impetravit à Leonardo confirmationem privilegii quondam à Wernhardo Epiſcopo dati ſuper immunitate ſalis per terram ſuam liberè deducendi. Datum Wiennæ XXIX. Auguſti.

Anno 1436. Eugenius Papa dat literas ad Leonardum Epiſcopum queis diſpenſat ſuper affinitate inter Nobilem virum Joannem de Eberſtorff Baronem, & nobilem mulierem Gertrudem de Starhenberg Baroniſſam, ad hoc ut matrimonium inter ſe contrahere valeant. Datum Bononiæ anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXXXVI. pridie Kalendas Februarii, Pontificatus anno ſexto.

Archiv. Stat. Collect. Geneal. p. 24.

Anno 1437. Leonardus condidit inſtrumentum *Vidimus* ſuper privilegio Friderici II. Imperatoris conceſſo Ducibus Auſtriæ, illúdque eſt, quod vulgò extat apud Cuſpinianum & alios. Id privilegium memorato Epiſcopo à Wolfgango Pair de Hedersdorf, Rectore Eccleſiæ Parochialis in Haimburg, & Joanne Aichelperger de Novoforo, Rectore parochialis Eccleſiæ in Grillemberg, Licentiatis in Decretis, & Alberti Ducis Auſtriæ Secretariis oblatum fuit, præſentibus Sylveſtro Decano atque Doctore. M. Chunrado Bladegg Licentiato in Decretis & Canonico Eccleſiæ Pataviensis. Wiennæ Anno MCCCCXXXVII. die Mercurii. XVII. Aprilis. Petrus Sartoris de Kircheim Clericus Miſnenſis, Diœceſis Notarius inſtrumentum confecit.

MS. Bibl. Cæſar. n. 136. fol. 30.

Eodem anno Leonardus contulit Monaſterio S. Salvatoris Ord. Præmonſtrat. Eccleſiam parochialem S. Andreæ in Uttlaw; cùm perpenderimus, inquit, quòd dictum monaſterium paucis reditibus atque fructibus pro ſuſtentatione fratrum ipſi Domino atque Salvatori noſtro jugiter famulantium dotatum exiſtat, ipſius cultum ampliare cupientes &c. Datum & actum in caſtro noſtro S. Georgii ſupra Pataviam die ſecunda menſis Decembris Anno MCCCCXXXVII.

Hund. T. 3. p. 192.

Anno eodem conflagravit pars Civitatis Pataviæ, quam Novum-forum appellant.

MS.

Anno

Archiv. Mellic. Huberti. p. 116.

Anno 1438. Leonardus donavit Thomæ de Haſelbach quaſdam decimas de novalibus certis in Perchtoldstorf: Affectantes, inquit, venerabilem dilectum in Chriſto Magiſtrum Thomam de Haſelbach Sacræ Theologiæ Profeſſorem, plebanum in Berchtoldſtorff noſtræ Diœceſis tantò amplioribus beneficentiæ efferri gratiis, quantò idem ex influentia divina, diverſarum ſcientiarum & virtutum dotibus exiſtit illuſtris &c. Datum Wiennæ XIV. die menſis Maji. Anno Domini MCCCCXXXVIII. Quo itidem anno Mathias Epiſcopus Vittricenſis Leonard. Epiſc. Patav. Cooperator In Pontificalibus (uti ipſe in Bulla ſe vocat) reconciliavit Monaſterium S. Ypollti cum capellis eidem annexis. Datum ibidem, die IV. Decembris. Obiit ejusdem Monaſterii Præpoſitus Chriſtianus, pro quo electus Gaſpar. Leonhardus Epiſc. Patav. juſſit fieri generalem proclamationem in Eccleſia S. Ypoliti, ſi quis contra ejus electionem aut perſonam opponere aliquid habeat: id quod ſe ita mandaſſe ſignificat Conventui S. Ypoliti per literas datas Wiennæ in noſtræ habitationis Curia die XXVIII. Julii An. MCCCCXXXIX.

Anno 1442. pars civitatis Patavienſis exuſta eſt, cujus incendii occaſione deperditi aut confracti ſunt urcei complures, quorum jactura fertur æſtimata fuiſſe triginta ſeptem florennûm.

Archiv. Stat. Collect. Geneal. p. 92.

Anno 1445. Leonhardus Epiſcopus Joanni Ungnadio ſacro cubiculo Friderici Cæſaris Præpoſito (cujus frequens mentio in geſtis ejusdem Friderici apud Æneam Sylvium) contulit in beneficium bona quædam per obitum Leopoldi ab Eckertſau vacantia.

Leonardus vendit jus Civit. S. Hippolyti.

Anno 1446. Vendidit Reinberto de Walſee jus omne, quod habebat in Civitate S. Hippolyti, vetus Eccleſiæ Patavienſis patrimonium pro quinque & viginti aureorum millibus, ſub titulo redemtionis, ùt ait Bruſchius. Sed poſteris Reinberti perduellionis convictis civitas devoluta eſt ad Principes Auſtriæ, indè ad Comites de Trauthſon primùm pignoris, deinde & proprietatis nomine devenit, ſolenniori jurisdictione remanente penes Principem terræ, qui hodiedum Conſulem ſeu Judicem Senatúmque conſtituit, qui plebi jus dicunt & cauſam ſanguinis disquirunt. Ita Chriſtophorus Müllerus Canoniæ S. Hippolyti Præpoſitus. Verùm poſt obitum Georgii redemtam fuiſſe civitatem ab Udalrico Epiſcopo ſuo loco dicetur.

Anno 1447. Caſpar Harnberger Licentiatus, Curiæ Patavienſis Officialis teſtatur ſe vidiſſe formas privilegiorum quorundam Auſtriacorum. Datum & Actum Viennæ Patavienſis Diœceſis in ſtuba ordinaria noſtræ ſolitæ reſidentiæ. Anno dicto. Indict. 10. die 23. Martii.

Anno 1448. Leonardus ad preces Joannis de Egra Abbatis Zwetlenſis Capellam S. Wenceslai in Ciſtersdorff monaſterio Zwetlenſi donat. Datum Wiennæ die XXIV. Januarii. Sic Annales Zwetlenſes; qui itidem memorant eodem anno die 18. Aprilis Joannem Carvaial Cardinalem S. Angeli Nicolai V. Legatum (illum quem aliàs meminimus Viennam ad Fridericum, cùm ſe pro Nicolao declaràſſet, veniſſe) eundem hoc anno fuiſſe in monaſterio Zwetlenſi. & vidiſſe deſtructionem ejus (per Huſſitas factam) cum magna amaritudine & compaſſione cordis, abſolutionem quoque fratribus & indulgentias impertiſſe.

Emit caſtrum Ratzmanstorff.

Anno 1449. Leonardus emit à Georgio de Fraunperg in Meſſenhauſen caſtrum Ratzmanſtorf. Item redemit granarium in Zeiſelmaur. Ita Hundius.

XXXI.

MS. Judicium pravum de ejus moribus.

De moribus ejus diverſi interpretes: auri avidum, parcum, tenacem fuiſſe ferunt: Sumtuoſum in veſtitu, conviviis, ſatellitio; deditum apprime morionibus, mimis, & ludionibus; denique inſtrumenta ſuperbiæ ac voluptatis pro more ſecularis potiùs Principis, quàm Epiſcopi ſectatum: nomina conflâſſe permulta; indè ſtudium colligendi æs; per viam mutui & caritativi ſubſidii (ùt Schritovinus ait) à Clero & Abbatibus multa emunxiſſe; ut

Laudatus admodum.

obligata redimeret. Sed alia eſt Æneæ Sylvii oratio, quam ſuprà attulimus: Munificentiam Leonardi in hoſpites, in pauperes in cœlum effert: præter juſtitiam, æquitatem, prudentiam, cui parem ſe negat vidiſſe; *Nec Princeps eſt*, inquit, *his in partibus, ante cujus oſtium plures paſcantur inopes: neque hic ſicut pleri-*

plerique bona Eccleſiæ inter neceſſarios partitur, aut in alios illaudibiles uſus convertit, ſed elargitur pauperibus Chriſti quamplurima. Hæc & alia Æneas teſtis oculatus, & ſanè quàm candidus, quæ non opus eſt hic repetere. Civibus Patavienſibus adeò ferunt extitiſſe gratum, adeò ſtudia ipſorum ſibi adjunxiſſe, ut eum naturalem Dominum ac Principem ſuum (vocabulum Anteceſſoribus usque denegatum) unanimi conſenſu palámque vocitarent. Tanta inerat morum comitas, animorúmque conciliatrix benevolentia. Haud tamen perenne erat hoc civium ſtudium: nam lites aliquando acres cum Epiſcopo exercuiſſe olim narravimus; atque ſeriùs etiam nempe Friderico jam Cæſare rerum potiente controverſiam inter eos agitatam indè manifeſtum eſt, quòd Rudigero Starenbergio & Joanni Schaumbergio litem Pavavienſium componendam Fridericus mandârit. In eo minùs rectè ajunt ſibi ſuísque Leonardum conſuluiſſe, quòd monetam materia deteriore corrupit: ita ferunt immutaſſe, ut ſeptima pars veniret in lucrum, nigrâ (ut vocant) monetâ in albam non ſatis candidè & juſtè converſâ. Sed excuſationem facilè Leonardus inveniat à neceſſitate temporum, cui è principio ſuæ gubernationis conflictatus & æs magnum contrahere, & bona quædam in pignus locare coactus eſt; præterea bellum Huſſiticum, quod è vicino urgebat: denique exempla aliorum id æratis Principum, qui penuriæ æris levandæ hanc veluti dextellam adinvenerant; at commodo minore ſuo, quàm populi detrimento.

Archiv. Starenberg. Collect. Geneal. p. 220.

Incuſatus ob monetam viciatam.

XXXII.

Obitus Leonardi.

Exercuêre Leonardum dolores podagrici, in quibus ad extrema deductus migravit anno 1451. ipſa die Corporis Chriſti incidente in diem S. Joannis Baptiſtæ, ùt ſcribit Schrirovinus. Sepultus Pataviæ ſub marmore, quod ipſe ſibi primo pacificæ poſſeſſionis anno fabrefieri curaverat. Inſcriptio marmoris eſt hæc:

Anno Domini MCCCCLI. obiit Reverendus in Chriſto Pater & Dominus D. Leonhardus de Layming natus, hujus Eccleſiæ Præſul bene meritus & Caſtri & Eccleſiæ munificus reparator, die S. Joannis Baptiſtæ.

Nefas ſit omittere epiſtolam Æneæ Sylvii de lapide ſepulcrali, quem ſibi Leonardus tempeſtivè admodum effingi curaverat: ea ſic habet:

Epiſtola Æneæ Sylvii de tumba Leonardi.

„Reverendo in Chriſto Patri, ac Illuſtri Principi, D. Leonhardo Epiſcopo „Patavienſi, Domino ſuo magno, & futuro Maximo: Aeneas Sylvius „Poeta, imperialiſque Secretarius. S. P. D.

„Baſilicam divi Stephani Protomartyris, cui præſides in urbe tua Patavienſi, „cùm nuper intrâſſem, mirarérque veteres ſepulturas: Nihil (inquit Magni„ficus Caſpar Cancellarius) adhuc vidiſti: moderni Epiſcopi ſpectandus eſt „lapis. Sequentíque die cùm viri præſtantes advenîſſent, Sylveſter Chie„menſis Epiſcopus, ac Joannes Magiſter Regiæ Cameræ, tu illos cum Can„cellario (poſtquam ſolenni prandio recreaveras) ùt lapidem cernerent, ad„duxiſti: nec dedignatus es me quóque unà inter ſpectatores vocare. Vidi „ergo mirificum marmor, quod tam ſubtili ingenio ſculptum erat, ut vel Phi„diæ vel Praxitelis opus videri potuerit: nec meo judicio (qui tamen Roma„nas ſtatuas contemplatus ſum) altioris ædificii quicquam huic operi poterat „adjungi. Vera tua illic jacebat imago. Job in utrumque latus erat inſcul„ptus, ſuper pectus tuum Crucifixus reſidebat. In infulis quoque circa bea„tam Virginem bis tua effigies cernebatur. Ad pedes tuos duo Leones tam „vivis ſimiles, ut terrorem injicerent aſpicientibus. Angeli undique volan„tes aſtabant. Arma tum tua tum Eccleſiæ in plerisque locis viſebantur. „Laudavi ergo te mirum in modum, qui etſi altum tenes dignitatis gradum, „multáſque poſſides opes, non tamen eſſe te hominem oblivíſceris: Sed „quod hominis ſapientis, & mortalem te noſcis, & de morte ſedulò cogitas: „quò fit, ut te non niſi juſtum judicare poſſim. Nam qui vivendo moritu„rum ſe continuò meditatur, is procul dubio, & vitam ducit meliorem, & „cùm dies obitus adeſt, minùs angitur. Quia prævifa jacula (ſicut Grego„rius inquit) minùs nocent: & facilè contemnit hujus mundi blanditias, & „inquinamenta refugit, qui ſemper cogitat ſe moriturum. Unum tamen in

„tuo ſepulchro defuit, quia non erat ibi Epitaphium te ac tuis virtutibus di„gnum. Volui igitur ſupplere defectum, edidíque nonnullos Elegos, qui ſi „placebunt, in aliquo ex lapidibus Sarcophagi tui poterunt inſculpi, & ad „poſteritatis deduci memoriam, ut non ſolùm præſentes, ſed etiam futuri „populi, qualis Prælatus fueris, & quàm Eccleſiæ utilis, recognoſcant: & „qui tibi ſuccedent, non locum duntaxat, ſed & virtutes tuas habere procu„rent. Vale optimè: & fac, quod tuus Æneas (ſi fas eſt dicere) tuiſſi„mus fiat.

Inter Codd. Theol. num. CLXVIII. refertur in Commentar. Gentiloti.

Extat in Bibliotheca Cæſarea Membraneus foliorum 107. in quo continetur liber ritualis ſive Agenda Eccleſiæ Patavienſis, initio ſeculi decimi quinti ſcriptus; id quod claret ex formulis, quibus presbyteri ordinati preces pro Rege, Duce, & Epiſcopo fundere jubentur, ad hunc modum conceptis:

Signanter tamen orabitis pro Diœceſano veſtro Leonhardo Paſtore & Gubernatore Eccleſiæ Patavienſis, cujus gratia nunc promovemini ad ſacros Ordines &c.

Illud in hoc codice obſervatione dignum occurrit, quòd in formula conſecrationis Epiſcopi, quæ incipit fol. 97. hujusmodi interrogatio & reſponſio legatur:

Vis Sanctæ Salzburgenſi Eccleſiæ ùt Metropolitanæ tuæ debitam ſubjectionem & obedientiam exhibere? Volo.

Porrò ante Leonardum obiit frater ejus, de quo Epitaphium, in Cœnobio Engelhartzell ſic habet: *Wilhelmus van Laymingen qui obiit die IV. Aprilis anno MCCCCL.*

Suffraganei Leonardi fuerunt Mathias Epiſcopus Victricenſis; de quo aliàs dictum eſt: de quo Annuæ Zwetlenſes, ad an. 1437. conſecráſſe ex commiſſione Leonardi Epiſcopi templum ejus monaſterii ab Huſſitis deſtructum. Alter fuit Nicolaus, qui conſecravit Chriſtiannum Kolb Abbatem Syttanſtetenſem in die S. Andreæ Apoſtoli; anno 1441. Nicolaus Epiſcopus Marcopolenſis de Ordine Prædicatorum Diœceſis Patav. Suffraganeus reconſecravit altare Cœnobii Gemnicenſis Nonis Julii. Anno MCCCCLIII.

EPISCOPUS PATAVIENSIS LIII.
Udalricus III.

I. 1451. Contra voluntatem Friderici Cæſar. electus.

POſt obitum Leonardi Fridericus Cæſar ad civitatem Patavienſem literas dedit 29. Junii, quibus petebat, ne quid interim novaretur, neve cuipiam ſe addicerent, dum ipſe de negotio ſedis decerneret. Inſtabat autem apud Capitulares, uti Albertum Schaumbergium, Præpoſitum Wiennenſem, ſed nondum adultum, in Præſulem aſſumerent. Submiſit etiam Legatum Presbyterum cum literis Pontificiis, quibus proviſio ſedis in præſens reſervabatur Pontifici, addito mandato, ut ne aut Capitulo fas eſſet ire in ſuffragia, aut civibus operam ſuam in quenquam conferre. Ex adverſo autem Bavariæ Duces Albertus & Ludovicus miſſis Pataviam Legatis Canonicos ad electionem concordibus votis ſuſcipiendam hortabantur; quod illi

Ejus genus. executi elegerunt Udalricum de Nusdorff, illuſtri familia, quam pluribus privilegiis Imperialibus fuiſſe munitam, ait Schritovinus, atque hæreditarios Archiepiſcopatus Salzburgenſis *Seneſcalcos* in ſubſcriptionum titulis appella-

Studia. tos. Genitrix Udalrici nata de Staufer. Ipſe porro Udalricus artium liberalium fundamenta poſuit in Patavino Italiæ Gymnaſio, Doctor Juris Canoni-

Functiones. ci ibidem creatus, indè in Ladislai Hungariæ Regis Cancellariæ ſeu Scrinii Protonotarium evaſit, ibidémque, ùt ait Schritovinus, *mirificis & ineffabilibus laudibus* ad dignitates ſacras eluctatus eſt. Nam primùm Canonicus Patavienſis, Præpoſitúſque Eccleſiæ Friſingenſis ob egregiam virtutem ac do-

Dies electionis. ctrinam conſtitutus; deinde anno 1451. 19. Julii Profeſto S. Margaritæ V. & M. unanimi Canonicorum voto ad Infulam Patavienſem vocatus eſt. Ejus cauſam & Canonici & civitas Patavienſis & Bavariæ Duces apud Pontifi-

cem

cem & Cæſarem commendabant, orabántque, uti electionem firmam ratámque haberet. Indignè ferebat Cæſar repulſam, egítque cum Pontifice, uti ne Udalrico confirmatio indulgeretur. Sub idem enim tempus Fridericus Romam profectus eſt ad coronam Auguſtalem, quam 14. Kalend. Aprilis anni 1452. per Nicolaum accepit. Inter hæc conſpiratio Auſtriacorum contra Fridericum inita ad eximendum ejus tutelæ Ladislaum, qui jam propemodum adoleviſſet; hæredem unicum ampliſſimarum terrarum præter Auſtriam, Hungariæ Bohemiæque. Dudum ac ſæpius eorum preces eluſerat Fridericus; ſed nunc demum factione comparata, cujus caput Eyzingerus erat, ſumtiſque armis rem agere ſtatuunt. Miſſus à fœderatis nuncius cum literis ad Udalricum & Capitulum, præterea civitatem Patavienſem; quo in commune fœdus pro aſſerendo in libertatem Ladislao invitabantur: Electus cum Capitulo nihil moratus eorum partibus acceſſit, ſtrenuéque pro eliberatione Ladislai contendit: Secus civitas, quæ fidem Imperatori debitam ejúſque mandatum excuſans, etſi vehementer ab Epiſcopo & Capitularibus urgeretur, cùm & bona civium, etiam illa, quæ in Auſtria reperiri poterant, occuparentur, & terror illis de adimendis avitis privilegiis injiceretur, tamen obfirmatis animis perſtiterunt. Quæ porro adversùs Cæſarem à provincialibus patrata ſint, quémque ad modum Ei in Nova-Civitate obſeſſo, Ladislaum extorſerint, accuratè deſcribit Æneas Sylvius, qui interfuit.

Ei Cæſar adverſatur. 1452.

Ipſe cum Auſtriacis contra Fridericum conſpirat.

II. 1453. Lis agitatur coram Pontifice,

Ea res indignationem Cæſaris contra Udalricum & Canonicos tantò vehementiùs accendit, novámque dedit anſam conquerendi de eo cum Pontifice; cùm interea etiam Udalricus per ſuos procuratores Romæ multa adversùs Cæſarem effunderet, quibus infamari ſe Ille indigniſſimè ferebat. Neque enim deerant Romæ, qui cauſam Electi contra potentiam Cæſaris tuerentur; neque Pontifici probabatur, loco eum concordibus ſuffragiis obtento moveri; illud quærebat, ut cum Cæſare conciliaretur: adhibitus eam in rem Æneas Sylvius, qui plures hoc in negotio epiſtolas Romam dedit, in quibus eſt centeſima trigeſima ſexta ad Comitem Petrum de Noxeto Pontificis Miniſtrum, in qua ita loquitur: „Scripſiſti mihi pridem uti ſuaderem Cæſari, ne rem
„Patavienſis Eccleſiæ ampliùs ſuſpenſam teneret, ſineretque promoveri Ele-
„ctum: id feci magno conatu & multis vicibus, ſed nihil profuit mea ſolici-
„tudo: Cæſar in ſuo propoſito perſeverat: neque paſſurus eſt, quantum in
„ſe, Electum ipſum promoveri, niſi humiliatum. Ille verò, neſcio quid ſe-
„creti habeat, ſuperbus eſt, neque dignatur Principi ſe ſubmittere: habes,
„quomodo res ſe habeat; nunc veſtrum eſt cogitare & facere quod magis ex
„uſu ſit. Datum ex Gretzio Stiriæ. X. die Auguſti. Anno 1453. Rurſus idem Æneas in literis ad Pontificem ſequenti die ſcriptis hæc inſerit: De Auſtria
„hæc ſunt: veniunt nunc ad Sanctitatem veſtram Legati Regis (Ladislai) di-
„cuntur acturi de cenſuris & de Eccleſia Patavienſi: de hoc ultimo ſcit ve-
„ſtra Pietas, quid Cæſari promiſſum ſit: durum eſt offendere tantum Prin-
„cipem; & Eccleſiam ſemper vacare fortaſſe durius. Neſcio quid dicam:
„veſtra Sanctitas meliorem partem eliget &c. ex Gretzio Stiriæ die XI. Au-
„guſti. Anno quo ſupra. Denique uberrimè rem omnem explicat epiſtola
„centeſima quadrageſima octava.

qui ſtudet Cæſarem Epiſcopo placare.

Fruſtra; idque culpâ Epiſcopi.

III. Pontifex mittit Breve pro Udalrico.

Etenim Pontifex interea per Oratores Ladislai Regis impulſus, videtur animum applicuiſſe ad Udalricum, ſuámque ſententiam Cæſari declaraſſe per transmiſſum Breve ſeu literas, quæ, quàm parùm gratæ extiterint Friderico, quídque iis acceptis egerit, denique quid Conſilii captum ſit, ita declarat Sylvius ad Comitem ſuprà laudatum Petrum de Noxeto reſcribens: „Suſceptis, inquit, literis tuis unà cum Bre-
„vibus Sanctiſſimi Domini noſtri mox Cæſaream Majeſtatem adivi, quæ tunc
„fortè in menſa ſedebat. Expectavi finem prandii, deinde ſemotis arbitris,
„reddidi ſibi Apoſtolica ſcripta, fingens me neſcire, quid illa continerent.
„Cæſar ut aperirem, útque legerem juſſit. Quo facto remanſit aliquantu-
„lum territus, dixitque: alia iſta ſcripta ſunt, quàm quæ nuper accepimus:
„Cui ego: nova, inquam, Cæſar impedimenta, nova remedia quærunt. De-
„inde proſecutus multa in eam partem locutus ſum, ut mentem Cæſaream

Moleſtè ferente Cæſare;

„ad voluntatem Domini noſtri Sanctiſſimi perducerem: petivi quoque re-
„ſponſum. Sed multùm animus ejus turbatus erat, duo potiſſimè conſide-
„rans: unum, quod Electus contra voluntatem ſuam in civitate imperialis
„Feudi obtineret Epiſcopatum: alterum, quòd tam manifeſtè & publicè per
„Oratores Electi diffamatus eſſet: quibus cùm mederi verbis ſtuderem, re-
„ſponſum tandem depoſcerem; ait ſe velle reliquos Conſiliarios habere at-
„que cum his pleniùs deliberare; juſsítque ut cum illis venirem ad ſe. Res
„eſt dilata per aliquot dies, ùt eſt modus curiæ noſtræ, quæ nihil abſolvit
„ſine mora. Cùm reventum eſſet ad Conſilium, Magiſter Ulricus Sonnen-
„berger & ego ſoli fuimus, qui partes Electi juvimus, conatique magnopere
„ſumus Cæſaris mentem ad illum inclinare. Sed neque Cæſar flecti potuit,
„neque reliqui Conſiliarii ejus propoſiti erant, ut Electo mos gereretur. Sic
„res impedita eſt: eò tamen deductum negotium eſt, ut placeret Cæſari Ec-
„cleſiæ Patavienſi provideri de quacunque perſona excepto Electo, quemad-
„modum ex literis Imperialibus plenè percipies: neque plus hac vice obti-
„neri potuit. Facit ſibi hoc incommodum Electus ipſe, qui nimis niſus eſt
„Cæſarem parvifacere. Miſit enim huc ex ſuis unum Secretiſſimum Mari-
„ſcallum N. Curiæ ſuæ, per eúmque non decem millia, ùt mentiti ſunt Ora-
„tores ſui Romæ, ſed duo millia tantùm florenorum obtulit, ſi Cæſar ſibi in-
„jurias remittens pro eo Papæ ſcriberet. Viſum fuit Cæſari grave, tantam
„injuriam pro tam parva pecunia remittere. Ille autem dixit ſe ad ſuum Do-
„minum iturum, reverſurúmque poſt dies aliquot cum majori poteſtate;
„ſperaréque bene poſſe negotium terminari. Sic ille abiit, neque unquam
„reverſus eſt. Scripſimus Magiſter Ulricus & ego ipſi Electo, ſperabamúſ-
„que negotium pro minori ſumma poſſe componi, quàm ſex millium flore-
„norum: neque putabamus rem illicitam, quòd ille pecuniam daret pro of-
„fenſa Domino ſuo facta, ſi gratiam mereri vellet. Eſt enim modus omnium
„gentium, ut damna pecuniis reſarciant. Ille autem Electus, qui pluries
„mihi ſcripſerat & Magiſtro Ulrico, ut cauſam ſuam adjuvaremus, neque
„nuncium ad Cæſarem remiſit, neque ad nos reſcripſit; neſcimus, quæ cau-
„ſa eum retinuit; niſi quia putabamus habuiſſe eum ſcripta de Curia, per
„quæ certificatus ſit, etiam invito Cæſare Papam ſibi proviſurum. Sic bonus
„vir ſibi ipſi turbas facit. Et nunc Procuratores ſui Cæſarem publicè diffa-
„mant; quod quàm moleſtè ſublimitas Imperatoria tulerit, nequeo expri-
„mere. Utrumque ſit, Cæſar ad id devenit, ut placeat ei Eccleſiæ Patavienſi
„de quavis perſona provideri, dummodo Electus excludatur: per hanc viam
„poterit Dominus noſter Eccleſiam illam pacificare. Neque enim difficile
„erit alium reperire, qui ſuam Eccleſiam Electo tradat, & accipiat Patavien-
„ſem. Vel Friſingenſis, vel Brixinenſis, vel Eyſtetenſis, vel Auguſtenſis,
„vel alius quivis requiratur. Mihi tamen videtur hoc medium magìs, quod
„ſubjiciam, videlicet, quòd Dominus noſter Sanctiſſimus onus hoc concor-
„dandi Electum cum Cæſare in ſe ſuſciperet, & faceret, quòd Electus ratum
„ſe habere promitteret, quidquid per ſuam Sanctitatem determinaretur, dan-
„dumCæſari pro ſua ſatisfactione injuriarum: putarem enim hoc Imperatorem
„non recuſaturum; & ſic ille Eccleſiam obtineret; alioquin non intelligo,
„quomodo Papa poſſit ſine indignatione Cæſaris hunc Electum promovere;
„& poſſent in hac re multa naſci mala; nec expediret inter Papam & Impe-
„ratorem, qui modò ſe ſummè amant, naſci rubiginem propter hanc Eccle-
„ſiam. Hæc Æneas, qui aliis interjectis, ad extremum hæc ſubjicit: De Be-
„neficiis Patavienſibus ad eum modum diſtribuendis, ùt ſcribis, habeo tibi
„ingentes gratias, precórque id ſolidum eſſe procures, ſi confirmari eum aut
„provideri ſibi contingat.

„Poſt hæc jam ſcripta, inquit, captatâ horâ magis felici allocutus ſum
„iterum Cæſarem ſuper facto præfati Electi, dixíque ſibi me timere, ne tan-
„dem Papa cogeretur Electo providere, quòd non facilè reperietur, qui pro-
„movendus eſſet ad Eccleſiam, quam alius poſſideret; durúmque eſſet Ro-
„mano Pontifici inſignem Eccleſiam diutiùs vacantem dimittere, & multo-
„rum

Marginal notes:

duas ob cauſas.

Æneas Sylvius tuetur partes Epiſc.

Cæſar vult alium Epiſcopum.

Nonnihil cauſæ præbente Udalrico.

Conſilium de permutatione Eccleſiarum.

Aliud conſilium de arbitrio per Papam ſuſcipiendo.

Ad id Pontifici remittendum Æneas Cæſarem hortatur.

„rum Principum pro Electo rogantium ſpernere preces. Quòd ſi ille promo-
„veretur invita ſua Majeſtate, nimis ſibi dedecoroſum eſſet: ex alia parte
„conſiderare me ajebam, grave eſſe ſuæ ſerenitati conſentire, ut ſuus inimi-
„cus non reconciliatus, & qui nullam ſuper damnis & injuriis ſatisfactionem
„impendiſſet, ad Eccleſiam inſignem ſui Feudi promoveretur. Ob quam
„rem retuli me reperiſſe unum remedium, per quod & Sanctiſſimo Domino
„noſtro Papæ & ſuæ Majeſtati mos gereretur. Id autem monui, proponi
„Sanctiſſimo, quòd ſua Majeſtas remitteret ad Dominum noſtrum Sanctiſſi-
„mum plenum arbitrium componendi ſecum ipſum Electum & inducendi
„eum ad ſatisfactionem pro damnis & contumacia convenientem, & quid-
„quid Dominus noſter in hoc facto ordinaret, Majeſtas Imperatoria ratum
„haberet, proviſo, quòd ſimiliter Electus ipſe Domini noſtri arbitrio aqui-
„eſceret: Confirmabam enim ſperare me, Sanctiſſimum Dominum noſtrum
„inducturum illum Electum ad convenientem recompenſam; & tunc ille ſine
„controverſia poſſet promoveri. Ad hæc dixit Cæſar, ſe de Domino noſtro Approbat Cæſar;
„Clementiſſimo plenè confidere: juſſit tamen in conſilio rem proponi: quo
„facto omnes Conſiliarii hoc medium commendârunt, & ità commiſſum mi-
„hi fuit, ut Beatitudini Domini noſtri ſcriberem. Sic ergo Dominus noſter
„dignetur hoc negotium in ſe aſſumere, & inducere Electum ad humilitatem
„& ſatisfactionem, quoniam Cæſar de ſuo arbitrio contentus remanebit.
„Alioquin verò ſtante illo contumace nunquam conſentiret eum promoveri,
„quemadmodum pleniùs & apertiùs ſuper hoc de mandato Cæſareo Apoſto-
„lico Culmini ſcribo. Non fuit viſum certis de cauſis, quòd Imperator hoc
„ſcriberet, ſed veniet intra paucos dies ad Curiam Romanam ſuper uno alio
„ſatis magno negotio Dominus Joannes Hinderbachius Decretorum Doctor,
„& ipſe de hoc plenam habebit poteſtatem. Tamen ex nunc Cæſar conten-
„tum ſeſe dicit in eo futurum eſſe, quod ſanctitas Domini noſtri inter Ipſum
„& Electum duxerit ordinandum; ità tamen quòd ille de damnis & injuriis petità tamen
„illatis aliquam faciat emendam tantis exceſſibus convenientem. Habes quid Satisfactione.
„in re Patavienſi per me factum ſit: non potui plus: Sed per hunc modum
exiſtimo negotium ipſum bene conſumari poſſe. Vocet pietas Domini no-
ſtri Procuratores Electi, qui dicunt multa Imperatori oblata, & dicat eis ſe
velle negotium componere; & ſi habent poteſtatem, jubeat eos ſcribere Do-
mino ſuo & facultatem quærere: eo modo aut res votivam habebit expedi-
tionem, aut honeſtiùs illis reſiſtetur. Poteſt autem Sanctiſſimus Dominus
noſter ſcribere Cæſari, ſe hujusmodi medium à me ſibi transſcriptum eſſe de
mente & voluntate ſuæ Majeſtatis, & dicere, quòd id velit arbitrium accepta-
re; & tunc res erit planiſſima. Et ſi videtur, bonum eſſet, quòd ſuper hoc
literæ Apoſtolicæ ad me mitterentur, antequam hinc diſcederem. Sic enim
magis inſtructus ad vos venirem. Vale. Ex Gretz die XVIII. Septembris
Anno MCCCCLIII.

Ex his perſpicuè & cauſa & momenta controverſiæ, & ejus remedium IV.
intelligitur: quanquam enim quæ fuerit ſententia Pontificis, cui arbitrium delatum eſt, haud repererim, ſatis tamen ex dictis colligitur Udalricum juſſu Pontificis ad ſatisfactionem convenientem adductum, atque ab ipſo Cæſare Pontifici commendatum; quod alioqui Papa niſi pace Cæſaris nihil eſſet facturus. Cæterùm Anno 1454. die 4. Novembris Ulricus in ſede confirmatus 1454. Ulricus confirmatur in ſede.
eſt, uti intelligitur ex literis Nicolai Papæ, quibus concedit facultatem, ut à quocunque maluerit Catholico Antiſtite munus conſecrationis recipere valeat; ac eidem Antiſtiti, ut munus prædictum Ulrico impendere liberè poſſit, ſic tamen ut Archiepiſcopo Salisburgenſi, cui Eccleſia Patavienſis jure metropolitico, inquit, ſubeſſe dignoſcitur, nullum in poſterum præjudicium generetur. Datum Anno 1454. tertio Nonas Novembris. Ubi notandum, ejusmodi literas de libertate conſecrationis ſæpius datas Epiſcopis Patavienſibus, ſub eadem pene formula, ùt videre eſt in Summario Salisburgenſi. Num. 28. Deinde alias dedit ad Archiepiſcopum Salzburgenſem, quibus ait *hodie ſe Eccleſiæ Patavienſi de perſona dilecti filii Ulrici authoritate Apoſtolica providiſſe* &c.

Eum Ejúſque Eccleſiam favori ejuſdem Archiepiſcopi commendat. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnat. Domini 1454. pridie Nonas Novemb. anno octavo. Anno ſequenti Fridericus Imperator Ulrico Regalia contulit; 1455. item eidem Epiſcopo & Capitulo Patavienſi privilegia confirmavit.

Relatio Schritovini. Schritovinus, qui tum vivebat & Catalogum ſuum Friderico Cæſari dedicavit, rem omnem compendio deſcribit, in eo tamen lapſus, quòd Udalricum anno 1452. electum ſcribit; cùm certum ſit anno priori electum fuiſſe. Illud etiam cum epiſtola Sylvii non congruit, quod ait Electo adverſatum fuiſſe Udalricum de Sonnenberg; cùm Sylvius dicat Sonnenbergium unà ſecum Udalrici cauſam apud Cæſarem tutatos eſſe; niſi illud ſit, quod initio retulimus, de presbytero, quem Cæſar ad Capitulum Patavienſe cum literis inhibitoriis allegavit: is fortè presbyter, Sonnenbergius fuit, vel niſi (quod veriſimilius) poſtquam Cæſar ſpe promovendi Schaumbergium evolutus eſt, apud Pontificem pro Sonnenbergio ad cathedram evehendo contenderit: Verba Schritovini ſunt hæc: *Udalricus electus anno 1452. habuit adverſarium Dominum Udalricum de Sonnenberg: pro epiſcopatu contendens annos ſex* (imò quatuor duntaxat) *ſed fruſtra. Papa Nicolaus commiſſa cauſa Domini Cardinali S. Sabinæ* (videlicet Æneæ Sylvio Epiſcopo Senenſi, qui poſtea primùm menſe Decembri anni 1456. purpurâ exornatus eſt) Papa, inquam, *intelligens electionem validam, interpellatus multipliciter ipſum confirmare diſtulit, niſi priùs cum Imperatore ad concordiam deveniret, qui magnam ſummam pecuniæ expetiit pro Regalibus conferendis & pro injuria, fortè ideò, quod, cùm pro Domino Alberto de Schaumburg Præpoſito Viennenſi adoleſcente ſuas petitorias literas ad Capitulum transmiſerat, ſuis votis fruſtratus ſit. Interim ab anno 1452. usque ad quinquageſimum quintum incluſivè multa jacturâ & ſpiritualium & temporalium extitit Eccleſia per Capitulum ejuſdem gubernata. Demum dum Imperator ſuum præbuiſſet aſſenſum (quo ſpiritu motus, neſcio) in Dominum Electum, atque eundem manu propria ſummo Pontifici inſinuare non poſtergaſſet, obtenta eſt ejus confirmatio: qui & Men-* Conſecratus à Salisburg. *ſe Majo à ſuo Metropolitano conſecratus eſt, & mox audita ſua confirmatione ſub ſpecie charitativi ſubſidii gravem exactionem ſub Eccleſiaſticis pœnis & cenſuris à Prælatis & Clero extorſit Prædeceſſorum more.* Hucusque Schritovinus.

V. Igitur compoſitis inter Cæſarem & Udalricum offenſionibus, obtentâque per Archiepiſcopum Salzburgenſem Sigismundum Volkenſtorffium conſecratione Udalricus poſtquam ſolenni pompa de monaſterio S. Nicolai ur-
Suſcipit à Cæſare Regalia, bem Patavienſem ingreſſus Sacramentum à civibus ſuſcepiſſet, ad Cæſarem in Nova-Civitate Auſtriæ degentem contulit ſe, impetravitque eodem die Diploma, quo Fridericus Imperator teſtatur ad ſe cultu Imperatorio ſedentem „veniſſe Udalricum Epiſcopum Patavienſem Principem & Conſiliarium, in„quit, noſtrum, eodem die, quo datæ erant hæ literæ; demiſſéque ſuppli„caſſe conferri ſibi Regalia &c. quandoquidem igitur Deceſſores Udalrici, „Patavienſes Epiſcopi Anteceſſoribus ſuis Romanis Imperatoribus exactam „fidem & ſubjectionem præſtare conſueverint, quemadmodum ipſe quoque „Udalricus in præſenti præſtet, ſpéſque indubitata ſit, eam quoque in poſte„rum præſtaturum, idcirco placere, conferri eidem Udalrico omnia Regalia, „quæ ab ſe utì Romano Imperatore conferri poſſent, accepto eapropter ex „eodem Epiſcopo fidei, quæ Imperatori & Domino deberetur, Sacramento „&c. Datum in Nova-Civitate, Sabbatho ante diem Inventionis S. Stephani „Anno MCCCCLV. Ad mandatum proprium Imperatoris Ulricus Wetzli „Vice-Cancellarius.

& confirmationem privilegiorum. Alterum Diploma eodem die datum eſt, quo Fridericus privilegia Epiſcopi & Capituli Patavienſis confirmat, his ferè verbis.

„Ex debito, inquit, quo omnibus & ſingulis noſtris & ſacri Imperii „ſubditis, ac præcipuè Principibus gratiam & benevolentiam exhibere nos „convenit, eòque ampliùs adversùm eos, in quibus & fides perennis, & „promtum aſſiduúmque eluceat obſequium; cujusmodi cùm Venerabilis „Udalricus Epiſcopus, ejúſque Deceſſores extiterint, confirmamus Eidem „Principi ac Conſiliario noſtro, præterea Præpoſito, Decano, Capitulo & „Eccle-

„Eccleſiæ Patavienſi omnia & ſingula privilegia, libertates, jura, judicia, redi„tus, fundos, cenſus, homines & bona, decimas, propria & feudalia &c. „quæcunque ab Romanis Imperatoribus & Regibus Anteceſſoribus noſtris, „ac Principibus Auſtriæ, præterea Palatinis Rheni, Bavariæ Ducibus, aliisque Chriſtianis Principibus collata ſunt, in omnibus ac ſingulis eorum pun„ctis, articulis, clauſulis &c. iisque in poſterum idem robur ineſſe manda„mus, atque ſi ad verbum his literis forent inſerta, ſupplemúsque defectus „omnes, ſi qui ſeu ab oblivione aut depravatione vocum, ſeu ſiniſtra inter„pretatione, aut alio quocunque modo in eorum primævis literis aut hiſce „noſtris ſubvenire poſſint. Concedimus etiam Eidem Udalrico Epiſcopo „Bannum ſanguinis, ſic ut ipſe in officiales ſuos liberam poteſtatem exerceat, „pro æquo & more hactenus conſueto. Vetamus itaque omnibus & ſingu„lis Principibus, Comitibus, Baronibus &c. uti ne quis uſum eorundem pri„vilegiorum impedire ullo modo attentet, &c. Sub pœna centum marcarum „auri, quorum dimidium alterum Cameræ noſtræ Cæſareæ, alterum Epiſco„po & Eccleſiæ Patavienſi perſolvatur. Datum in Nova-Civitate: Sabbatho „ante diem Inventionis S. Stephani (ſecunda Auguſti) Anno MCCCCLV. „Regni noſtri ſexto decimo. Imperii quarto. Ad mandatum proprium Do„mini Imperatoris Ulricus Welzle Vice-Cancellarius.

VI. *Status Auſtriæ turbatus.*

Status Auſtriæ hac tempeſtate turbatus admodum fuit. Extortâ Friderico tutelâ Ladislai, procerum ſtudiis adoleſcentiæ Regis illudebatur. Vetuerat Nicolaus Papa graviſſimis literis, ne qui tutelam Cæſaris impedirent. „Sed contemtis Apoſtolicæ ſedis mandatis (uti ſcribit Æneas Sylvius) & tan„tæ Majeſtatis authoritate deriſa ſceleratum propoſitum tenuêre. Docta eo „tempore Viennenſis Schola indoctam ſententiam protulit, quæ per appel„lationem ad futurum Concilium interponendam ſuſpendi poſſe Romani „Præſulis mandata reſcripſit. Civitas Viennenſis & omnis Auſtria ex eo „tempore ſemper in armis fuit, temeratæ Religionis pœnas pendens: La„dislaus ſumma populorum alacritate apud Viennenſes exceptus cuncta ex „voluntate Comitis Cileenſis adminiſtravit. Hæc & alia Sylvius. Agebat apud Ladislaum Udalricus Patavienſis Conſiliarii & Cancellarii munus, quemadmodum ex ejus literis anno 1456. datis apertum fit. Cum Friderico Cæſare tentata incaſſum concordia, ſeu quòd imbellem victores Auſtrii contemnerent, ſeu quòd Comes Ciliæ, ùt Sylvius adnotat, minus è re ſua duceret concordes eſſe Auſtriæ Principes. *Ulricus à conſiliis & Cancellis Ladislai Regis.* Fervebat tunc Pontificum ſtudium in excitandis adversùm Turcas Chriſtianis Principibus: erat ex occupata per Mahometem Conſtantinopoli recens terror: dies funeſtiſſimæ internecionis inciderat vigeſima nona Maji anno 1453. *Terror ex Turcis.* Concurſatæ indè per Legatos Apoſtolicos Chriſtianæ provinciæ. Nicolaus Cuſanus S. Petri Cardinalis, celeberrimus id ætatis vir; præterea Joannes Papienſis Epiſcopus ab latere Nicolai Legatus in Conventu Ratisbonenſi & Francofordenſi conſilia Pontificis iſthuc promoverant, ut expeditio in Barbarum decerneretur: jámque negotii perurgendi gratiâ, Electorum complures ad Novam Civitatem convenerant anno 1455. *Decernitur in eos bellum.* ſed ingentia molimina mors Nicolai Pontificis, quæ eodem anno 9. Kal. Aprilis inciderat, evertit; telámque de integro texendam habuit Callixtus Papa, qui in Thronum Romanum 12. Kal. Maji impoſitus fuerat. Is etiam voto in Turcarum excidium concepto memorandus, non hortatu tantùm, ſed claſſe quoque ſuis opibus ornata Ducem belli ſe præbuit, languentibus inter hæc, aut inteſtina diſcordia inter ſeſe confligentibus Chriſtianis, queis nec verba nec exemplum Pontificis, neque inſignis ille verbi Divini præco Joannes Capiſtranus, qui hoc tempore ingenti populorum concurſu, & miraculorum gloria per Germaniam, Bohemiam, Auſtriam, Hungariam viſebatur, nec denique præſens ab exitiali hoſte diſcrimen excutere veternum poterant. Joannis Capiſtrani cùm meminerim, haud omittendum, quod ipſe ſcribit in epiſtola ad Rockizanam Pragenſem Pſeudo-Antiſtitem; nimirum ſe ab Auſtralibus, Patavienſibus & cæteris, apud quos tranſitum fecit, honorificentiſſimè ſuſceptum. *S. Joannes Capiſtranus Pataviæ exceptus.*

Inter

Inter hæc Ladislaus Rex monetæ reducendæ, quam aliàs diximus annis ſuperioribus vehementer fuiſſe vitiatam, operam dabat; quâ causâ ad vicinos Principes Salzburgenſem, Paſſavienſem, & Bavaricum Legatos anno 1455. miſit, Ulricum Stahrenbergium, & Reinpertum Polhemium.

Agitur cum Pataviensi de corrigenda moneta.

Ulricus Viennæ negotia procurat.

Octobri menſe ejusdem anni Udalricus Epiſcopus Viennæ adfuit, quo tempore memorabilis fervebat Academicorum Scholarium adversùm cives ſeditio. Privilegia querebantur læſa; carceribus publicis includi Univerſitatis Alumnos; à mechanicis, quibus venia erat geſtandi arma, plagas quandoque & vulnera inermes ipſos referre: igitur facto ad Aulam Univerſitatis armatorum juvenum concurſu impetratum, ut privilegia & ſtatuta Univerſitatis publicè legerentur; id quod factum eſt, ùt Acta referunt, præſentibus „Reverendiſſimo in Chriſto Patre ac Domino Epiſcopo Patavienſi, & Nobili „Domino Rudigero de Stahrenberg, & Georgio Magiſtro Hubarum; Statutúmque, ut pacta cum civibus in fraudem privilegiorum, revocentur &c.

VII. 1456. Impetrat diploma pro immunitate vectigalium.

Anno ſequenti Udalricus impetravit ab Ladislao Rege confirmationem immunitatis vectigalium in ſequentem ſententiam:

„Ladislaus DEI gratia Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ Rex, „Dux Auſtriæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Luzenburgi; Marchio Moraviæ & Burgoviæ, Dominus Marchæ Vinidorum & Portus-Naonis, Comes Habſpurgi, Tirolis, Ferreti, & Kyburgi, Landgravius Alſatiæ &c. declaramus ope harum literarum omnibus hominibus præſentibus & futuris. „Quoniam laudabile & æquum ſit, ut Majorum noſtrorum, Auſtriæ Principum veſtigiis, quæ bonorum operum ſunt, præcipuéque in iis, quæ DEum „attinent, inſiſtamus; cúmque nobis Venerabilis Udalricus Epiſcopus Paſſavienſis amicus noſter & Cancellarius exhibuerit privilegia quædam à Majoribus noſtris Leopoldo, Friderico, & Rudolpho Romanis Regibus ac „Principibus Auſtriæ, Eccleſiæ, Capitulóque Paſſavienſi collata, quorum „tenore vinum eorum, frumentum, atque omnis generis victualia liberè ac „citra vectigal transvehere valeant; cujusmodi literæ, ac ſpeciatim Rudolphi Regis laudati coràm à nobis inſpectæ, ad verbum ita ſonant: Rudolphus DEI gratia Romanorum Rex & ſemper Auguſtus, Univerſis Sacri Romani Imperii fidelibus, præſentes literas inſpecturis gratiam ſuam & omne „bonum. Ex quo ad Imperii Romani dirigenda molimina nos Divina Bonitas vocavit, libenter præ cæteris, qui noſtræ curæ ſunt crediti &c. Datum Wiennæ IV. Calendas Maji. Anno Domini MCCLXXXI. Regni verò „noſtri anno VIII. In mentem porro revocavimus *ingens ſtudium atque operam, quam Venerabilis Amicus & Cancellarius noſter Udalricus Epiſcopus Paſſavienſis, Præpoſitus, Decanus, & Capitulum ejusdem Eccleſiæ præſtiterunt in eo, uti nos ad Auſtriæ, provinciæ noſtræ gubernacula tanquam Princeps hæreditarius pervenïremus; ideóque prædictus Epiſcopus Udalricus in hodiernam usque diem veluti Conſiliarius & Cancellarius noſter in ſufferenda mole ac negotiis Regnorum provinciarúmque noſtrarum fideliter nos adjuverit, idque in præſenti faciat, ac porro factùrum fiduciam præſtet;* „Quapropter deliberata mente, ac de ſententia „conſiliariorum noſtrorum easdem literas, immunitates, & gratias poteſtate „Regia benevolè renovavimus, confirmavimus, & corroboravimus; atque „præſentibus literis renovamus, confirmamus & roboramus; ſic ut eidem „Epiſcopo & Capitulo Paſſavienſi, eorúmque ſucceſſoribus in perpetuum res „omnes ad eorum alimoniam, neceſſitatem atque uſum, ùt vinum, frumentum atque alia, univerſim ac ſingulatim pertinentia, à vectigalibus, teloneis, „portoriis immunia, citra impedimentum per ſtationes publicanorum noſtrorum ſeu per Danubium ſeu Oenum fluvios devehere liceat &c. Datum „Wiennæ Sabbatho ante Bartholomæi Apoſtoli Anno MCCCCLVI. Regni „noſtri Hungarici XVII. Bohemici III. Hucusque Diploma, ex quo illud firmatur, quod aliàs diximus, Udalricum & Capitulum Patavienſe in fœdere cum Provincialibus Auſtriæ contra Fridericum Imperatorem ad eripiendum ex ejus tutela Ladislaum ſtetiſſe. Sed quo fructu in palatio verſatus ſit Ulricus, quæque ejus fuerit in religionis commodum opera, multis patuit argumentis.

Merita Episcopi Patav. de Ladislao Rege.

Sanè

Sanè pietas Regis adoleſcentis, Catholicæque Religionis ſingulare ſtu- VIII.
dium, quo teſte Ænea Sylvio Rokezanam Pſeudo-Epiſcopum Pragenſem, at- Udilitas Ulrici
que omnem ejus gregem, Pragæ cùm eſſet, palam averſabatur, eámque pro- in Ecclesiam,
debat indolem, qua ſpem faciebat indubitatam expurgandæ penitus, ſi vita
ſuppetiſſet, Bohemiæ; hæc inquam nemini potiùs atque Udalrico referenda
in acceptis. Nam Ciliæ Comes, qui ante alios pollebat, parùm de fide cura-
bat, ut in quadam epiſtola ſcribit Æneas Sylvius. Alii Procerum privatis im-
pliciti factionum ſtudiis. Res ipſa perſuadet, Udalrico curam Religionis om-
nem, quod ejus muneris erat, incubuiſſe. Res Hungaricas Joannes Hunnia-
des procurabat, alter id ætatis cum Scanderbego Turcarum terror; cujus
poſtremum facinus fuit illa Mahometis ad Taurunum clades quæ anno 1456.
die S. Magdalenæ patrata eſt. Sed victoriæ gaudium mors Hunniadis brevì
ſecuta corrupit. Refert Anonymus Scriptor rerum Auſtriac. ad annum 1456. *MS. Bibl. Caeſ. n. CCCCXLIII.*
Ulricum Epiſcopum Patav. deſcendiſſe Budam ad Ladislaum Regem, qui re-
cèns ex caſtro Tumeſpurkh reverterat: Conſilia coquebantur contra Ladis-
laum Huniadem Joannis nuper defuncti filium, qui de inſidiis vitæ regiæ pa-
ratis ſuſpectabatur; ob quod anno ſequenti 1457. die Mercurii poſt Domini-
cam Reminiſcere captus & capite plexus eſt. Rediit indè ex Hungaria Ulri-
cus Epiſcopus cum Rege, adfuitque conventibus, qui habebantur cum Gu-
bernatore Bohemiæ Georgio de Cunſtad, de abitione Regis in Bohemiam.
Congreſſus poſtremus fuit poſt Aſſumptionem B. V. in Schretntal, quò ab
Rege miſſus eſt Ulricus Patav. cum Michaele de Maydburgk, Rudigero de
Starchenwergk, Georgio de Puechaim & aliis. Conventum de variis articu-
lis, qui in lite fuerant; inter cætera, uti Rex ab eo tempore tusque ad feſtum
S. Martini ſeſe conferret in Bohemiam.

Interea quærebatur Regi Sponſa, quam ex Gallia petere placuit, Mag- 1457.
dalenam Caroli Regis filiam. Legatio ſolennis iſthuc inſtituta menſe Octo- Legatio ejus in Galliam
bri, *in qua primas partes* (Æneæ verba ſunt) *geſſit Ulricus Pataviensium Præſes,* pro ſponſa
moribus ac doctrina præditus, quem tradunt, inquit, *octoginta equos albicantes du-* Ladislai.
xiſſe. Ei civitas Pataviensis pro ſumtibus itineris mutuos dedit florenos mille.
Collegæ Udalrici fuerunt Stephanus Collocenſis Archiepiſcopus, Simon de
Terviſio Univerſitatis Viennenſis Decretorum Doctor & Cantor Strigonien-
ſis, Georgius de Schönberg; Dominus Zdenko de Sternberg Capitaneus
Pragenſis, Dominus de Lippa, Dominus Rudgerus de Stahrenberg, Domi-
nus Oswaldus Eizinger, Nicolaus de Lüzelburg, idem in Univerſitate Vien-
nenſi Decretorum Doctor cum pluribus aliis. In ea legatione (pergit Æneas)
ſeptingenti equites profecti ſunt, quadrigæ auratæ, Matronæ ac Virgines
ſplendido apparatu; quæ Sponſam ducerent, veſtes præterea donáque tanto
matrimonio digna miſſa. Anonymus ſuprà laudatus ait Ulricum Epiſcopum
iviſſe cum equis XXXII. quorum omnes erant coloris griſei (*Apfelgräb*) ſer-
vos omnes fuiſſe veſtitos indumentis purpureis. Univerſim autem fuiſſe
equites quingentos. Legati urbem Rhemenſem incredibili pompâ ingreſſi:
ubi cùm de dote aliíſque rebus ad regni ſtatum pertinentibus prolixè tracta-
retur, triſtis allatus nuntius conſilia & curas omnes in luctum convertit in- Incaſſum ſuſcepta ob
opinata mors Sponſi Regis, quæ contigit eodem anno 1457. Pragæ decimo mortem Re-
Kalendas Decembris, cùm horis vix triginta decubuiſſet, anno ætatis duo- gis.
devigeſimo. Quo audito Ulricus Pataviensis cum legationis Collegis re- 1458.
vertit domum, appulítque Paſſavii feria ſexta ante Dominicam Quinquage-
ſimæ anno 1458. uti adnotat idem Anonymus rebus geſtis æqualis. Bohe-
miæ Regnum inter multos competitores obtinuit Georgius Podiebradius
poſt ejuratam Huſſitarum hæreſin. Hungariæ Rex electus à potioribus Ma-
thias, ab aliis Fridericus Cæſar, quem etiam titulo Regis Hungariæ uſum di-
plomata declarant. Auſtriam inter ſe partiti Fridericus Imper. & Alber-
tus frater.

Extant Alberti Archi-Ducis, qui ſextus appellatus & Auſtriam ſupra Ona- IX.
ſum hoc tempore tenebat, literæ, quibus Udalrico Epiſcopo & Capitulo Pa- 1450.
tavienſi confirmavit immunitatem portoriorum & vectigalium, & denique Diploma Alberti Archiducis pro Ulrico,
univer-

univerſum tenorem literarum Ladislai Regis de eodem argumento. Datum Linzii die S. Agnetis Anno MCCCCLIX. Quo itidem anno in Dominica *Lætare*, Fridericus Imp. à factione, quæ adverſabatur Mathiæ Corvino, electus eſt in Regem Hungariæ Neoſtadii, ubi aderat Archiepiſcopus Salzburg. aliique Epiſcopi & Abbates, haud dubiè etiam Ulricus Patav. qui & proceſſionem cum Sacris Reliquiis inſtituerunt.

1460. Epiſcopi uſus in negotiis publicis. Res Auſtriæ rurſum turbatæ, quas non eſt noſtrum referre; Hoc tamen: Anno 1460. diſſidium Friderico fuit cum Conrado quodam Fraunauero, propter caſtrum Orth, quod nuper fratri ejus Gerardo, pacto fiduciario ab Cæſare creditum fuerat, videlicet ne eo Ladislaus Rex potiretur. Repetebat illud Fridericus diémque Conrado dixit: Judex erat Udalricus Pataviensis, cui Aſſeſſores ex Auſtriacis ac Styriis proceres aliquot dati. Conradus Judicem non competentem cauſatus, quòd foro contumax abeſſet, jure Caſtri excidiſſe judicatus eſt. Res ad arma deducitur, extorto Conrado caſtrum: ſed is viciſſim Udalrico Epiſcopo Trebenſejum inſigne municipium armis eripit, præſidio munit, incolas in verba jurare cogit, novum vectigal loco imponit. Hæc Gerardus de Rho probatus in paucis Auſtriacarum rerum Scriptor; qui miſerrimam id temporis air fuiſſe conditionem Auſtriæ, quæ non tam juſto bello, quàm latrociniis vexabatur, templis pagorum jam in prædonum receptacula converſis. Epiſcopus ut ab hoſtili invaſione ſe explicaret, eodem anno 1460. feſto S. Andreæ impoſuit civibus Pataviensibus profeſſionem juratam omnium facultatum mobilium & immobilium, auri, argenti, ſuppellectilium, cimmeliorum & cæterorum, ſolis victualibus quotidianis, & inſtrumentis operariis exceptis; exegîtque in ſingulas libras denarios 4. Etiam de egenis, queis res, quam profiterentur, non erat, petiti duo denarii. Ex hoc tempore, inquit auctor Manuſcripti, usque ad Epiſcopum Wigileum quotannis vel exactio vel taxatio vel penſio hebdomadaria de civibus & hoſpitibus Pataviæ collecta eſt. Itaque Udalrico domeſticis opibus contra vim nitendum fuit. Nam Fridericus Cæſar à Provincialibus conſtrictus læſorúmque jurium arceſſitus, & quod licentiæ fomes eſt, ſpretus. Alberto Archi-Duci, cui Superiorem Auſtriam tractatu ceſſiſſe diximus, Auſtria inferior quoque à factioſis deſertur: hinc fratres inter ſeſe commiſſi, multa Cæſaris ignominia, fœdum obſidium in regia ſua ab civibus experti.

(Margin: ei rapitur locus Trebenſee. — Gravem exactionem imponit Pataviensibus. — X. Fridericus ab Auſtriacis premitur.)

Eum defendit Papa per cenſuras. Miſerat Pius II. Papa, idem qui nuper Æneas Sylvius Friderici Imperatoris domeſticus, qui anno 1459. 3. nonas Septembris Callixto Succeſſor datus eſt, ex Conventu Mantuano eodem anno celebrato Legatum Beſſarionem Cardinalem, qui fratres ad concordiam reduceret: Sed profectu nullo: cauſam tamen Cæſaris tueri nunquam deſtitit Pius. Vienneſes, qui auſi eſſent obſidere Cæſarem, ſententiâ Apoſtolica conſtrinxit, eorum abſolutionem, præterquam in mortis articulo ſibi uni reſervans. Literæ ejus ad Burchardum Salzburgenſem Cardinalem & Archiepiſcopum ſcriptæ, datæque Romæ die XVI. Januarii. Anno MCCCCLXIII. Pontificatûs anno V. Mandat earum literarum copiam ſingulis Suffraganeis è veſtigio transmitti, efficíque ut ſtrictiſſimè obſerventur. Paſſavienſis Epiſcopus, qui Friderico fidem conſtanter ſervavit, ejúsque adhærebat lateri, acceptis Pontificiis literis morem ille quidem continnò geſſit; ne quæ tamen adversùs ipſum exiſterent Viennenſium odia, & ſcilicet furorem populi metuens, Apoſtolicíſque mandatis cupiens eos reddere tractabiles; egit cum Univerſitate Viennenſi per literas, uti bonis eos placarent verbis: Sed juverit audire Acta: quæ ſic habent:

(Margin: 1463. — Quas exequi Pataviensis jubetur.)

„Secunda Aprilis congregata eſt Univerſitas ad audiendas literas Reverendiſſimi Patris Epiſcopi Patavienſis Univerſitati transmiſſas. Hortabatur „autem in his, quòd Univerſitas voluntatem ſuam & executionem zelo bono „procedentem in meliorem partem interpretari dignaretur apud illos, qui „ad eam aut ſuos per conſuetudinem recurrerent. Executio autem ejus erat „in Summario iſta: quòd S. Apoſtolica Sedes reſervavit ſibi abſolutionem „quorundam Incolarum & habitatorum hujus oppidi Wiennenſis ſuper cer„tis delictis & criminibus per eos, prout continebant Brevia, commiſſis, &

„per

„ per nullos alios quàm per ſe, præterquam mortis articulo, impendendam.
„ Unde & apud ſe conſideravit, quòd fortaſſis hi, quos res ipſa tangeret, ſi
„ qui tales eſſent, contra eum ob hujusmodi promulgationem amaricari poſ-
„ ſent; ideo hortabatur, ſi nonnulli horum ad aliquos de Univerſitate pro Con-
„ ſilio recurrerent, & contra hujusmodi inſinuationem muſſitarent, quòd
„ tunc conſulti informarent tales, quòd ipſe procederet ex bono zelo, & eſſet
„ pii Paſtoris providere ſaluti animarum ſibi commiſſarum, & quòd multa
„ graviora oriri poſſent, ſi Apoſtolicis mandatis non fieret obtemperandum,
„ & ſimilia; inducendo eos ad patientiam hortaretur. Et hoc aſſumſit, &
„ concluſit Univerſitas, ídque ſuis omnibus mandavit. Hactenus Acta, quæ
porro referunt, quemadmodum Albertus Archidux, ejúsque deinde impulſu
etiam Univerſitas à ſententia Pontificis provocationem fecerit ad Pontificem
meliùs informandum.

Inter hæc Epiſcopus omnem contendebat operam, ut Cæſarem cum Procurat pacem publicam.
Archiduce in concordiam redigeret, & patriæ calamitatibus poneret aliquan-
do modum. Egit cum Bavariæ Ducibus & Archi-Epiſcopo Salisburgenſi, ut
ipſi quoque ſtudium ſuum interponerent. Conventus primùm inſtitutus
Landishutæ; indè ob periculum contagionis translatus Schardingam, ubi
præter Patavienſem aderat Friſingenſis; item Duces Bavari Ludovicus, Joan-
nes & Sigismundus cum Archiducibus Alberto & Sigismundo. Ibi pactio-
nes nonnullæ pro pace conceptæ ſunt; quibus Epiſcopus uti ſupremam im-
poneret manum, cum univerſo Principum cœtu Salisburgum aſcendit. Tum
induciis inter Cæſarem & Archiducem conſtitutis decretum, uti Ordines Au-
ſtriæ univerſi convenirent ad oppidum Tulnam die S. Mauritii id eſt 22. Sep-
tembris. Igitur ad diem dictam inſtituta ſunt eo in loco comitia, in quibus
potiſſimæ rurſum partes penes Patavienſem erant. Propoſitæ conditiones
bene multæ in commodum Provincialium; quas accuratè recenſet Haſelba-
chius lib. V. Chronici. Inter eas erant nonnullæ pro Epiſcopo & Eccleſia
Patavienſi: „ Uti exactiones ſi quæ in poſterum impoſitæ fuerint Sacerdoti-
„ bus, id ne fiat citra conſenſum Diœceſani: & ſpecialiter Capitulum Pata-
„ vienſe non tractetur ùt hoſpites, ſed ſicut tempore Regis Alberti, cum eo
„ mitiùs agatur. Item ſi Barones & communis patria hoc modo venirent in
„ concordiam, uti Epiſcopus Patavienſis amplexetur vias, per quas in his ne-
„ gotiis obſervetur practica; & ut in his provideatur patriæ opportunè, ſecun-
„ dùm quod ſua Venerabilitas ſe obtulit. Et quoniam in præterita patriæ di-
„ ſcordia multum damnorum ac injuriarum perpeſſus fuerat idem Epiſcopus
„ Patavienſis, ſtatutum, ut hæc omnia ſint deleta & ſopita, ita ut nec juſtitia
„ mediante ſpirituali vel ſeculari, neque alia via quacunque renoventur aut
„ moveantur. Actum Tulnæ de menſe Octobris anno 1463.

Sed liti ſubinde inſperatum finem impoſuit mors Alberti, quæ eodem
anno, die 2. Decembris æmulum ſuſtulit de medio: dominatum Auſtriæ
univerſum bonâ etiam gratiâ Sigismundi Archiducis vindicante ſibi Frideri-
co. Pax etiam cum Hungariæ Rege Mathia, ſequeſtre Udalrico Patavienſi, XI.
firmata, reſtitutione coronæ Regiæ, quam Fridericus annos jam ferè quatuor Pacem conficit inter Cæſarem & Regem Hung.
& viginti detinuerat. Agmen Hungarorum ad Neapolim Auſtriæ conducen-
do ſacro cimmelio miſſum, Legationis Principe Stephano Colocenſi & Joan-
ne Varadinenſi Epiſcopo; allata pecunia Cæſari numeranda; ubi mutuâ dif-
fidentia Cæſarianis & Hungaris inter ſe altercantibus, cùm illi priùs numera-
ri pecuniam, hi primùm tradi coronam contenderent, tandem Patavienſis &
Varadinenſis Epiſcoporum interventu, ſublato jurgio pacis & concordiæ ca-
pita literis conſignata anno 1463. uti Fridericus Mathiam filii, hic illum patris
loco habeat: Friderico Hungariæ Regis titulus, atque Mathia ſine hærede
mare defuncto, etiam regnum permaneat.

In negotio Cæſaris utramque paginam faciebat Patavienſis, in locum 1464.
etiam Imperialis Cancellarii adoptatus anno 1464. quo anno redditum eſt ei Fit Cancellarius Imperii.
mandatum novi Pontificis Pauli ſecundi, qui datis ad Archiepiſcopum Salzb.
Burchardum tit. SS. Nerei & Achillei Presbyterum Cardinalem literis *horta-*

tus & deprecatus eum eſt, ut ſolempnes proceſſiones in ſua dioceſi & Provincia indicat & Suffraganeos de aſſumptione ſua (ſcilicet in Pontificatum) *certiores efficiat, ut in civitatibus & dioceſibus ſuis idem faciant, & ut preces altiſſimo effundantur, injungat*, contra Turcas nimirum, in quos expeditio ornabatur. *Datum Rome apud S. Petrum An. MCCCCLXIV. III. idus Septembris: Aſſumptionis noſtre anno primo.* Transmiſit hoc mandatum Archiepiſcopus etiam ad Pataviensem, qui propterea literas ad Officialem Viennenſem dedit:

Udalricus Dei gratia Epiſcopus Patav. Imperialis Cancellarius Venerabili & egregio in Chriſto ſincerè dilecto fideli Magiſtro Alexio Tunmar Decretorum Doctori Officialatus noſtri in Wienna Commiſſario &c. Pridem Reverendiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri Domini Burckardi Sacroſancte Rom. Eccleſ. Cardinalis Archiepiſcopi Saltzburg. literas accepimus, ac in eiſdem copias bulle Sanctiſſimi Domini noſtri Domni Pauli Pape moderni, quarum tenorem videbitis interclusum. Cùm autem non tam dicti Domini noſtri Cardinalis & accepti precepti, quam Domini noſtri Pape memorati voluntati promptiùs & devotè obedire debeamus ac & velimus; Tue dilectioni in virtute Sancte obediencie committimus & mandamus, quatenus proceſſiones indicas & orationes fieri facias, ac à decanis ſingulis & vices eorum gerentibus in decanatibus eis commiſſis indicere jubeas juxta copiam literarum & copiarum hic incluſarum ſeriem ac tenorem &c. Datum Patavie IX. die menſis Novembris. Anno Incarnat. Domin. MCCCCLXIV.

XII. 1465. Tractat negotia Cæſaris. Brevì autem Udalricus ad negotia palatina revocatus eſt. Nam Viennenſibus ad obſequium Cæſaris redeuntibus, & veteres offenſas condonari orantibus (Legatos eam ob rem Neoſtadium miſerant) Cæſar per Antiſtitem Pataviensem reſpondit, omnium ſe ipſis gratiam facere, & ſi in poſterum in officio manſerint, eo erga illos animo futurum, quo paucos ex Majoribus ſuis Auſtriæ Principibus fuiſſe crederent. Ea Legatio facta eſt, ùt ex Actis Univerſitatis Viennenſis eruitur, *poſt feſtum Scholaſtice* (quod incidit in decimam Februarii) *anno 1465.* quo tempore Bohemi milites nuperno bello conducti ob ſtipendia parùm rite ſoluta, inter ſeſe conglobati fines inferioris Auſtriæ latrociniis divexabant. Conventus provincialium ad oppidum Tulnam eapropter indictus, deinde ad Egenburgum, quo Cæſar ex ſuis miſit Pataviensem Præſulem. Parùm admodum ad rei ſummam actum eſt. Rurſum autem ætate adulta Cæſar, ne quid à Viennenſibus novaretur, eò allegavit Pataviensem cum Erneſto Duce Saxoniæ Electore, & Gurcenſi Epiſcopo, qui ad aream palatii convocatis omnibus civitatis Ordinibus Sacramentum de integro Friderici nomine ſuſceperunt: Denique eodem anno Udalricus Patavienſis cum Alberto Saxoniæ Duce Cæſaris vicem ſuſtinuit in Conventu Corneoburgenſi Kalendis Decembris; ubi ordines ad concordiam inter ſeſe colendam & communem patriæ hoſtem exturbandum rurſum admoniti. Hæc in Auſtriæ negotiis à Patavienſi eo anno facta referuntur in commentariis rerum Auſtriacarum.

XIII. Cæſar dat Epiſcopo veniam erigendi certa telonia. „ Cæterùm eodem anno die 3. Martii Fridericus edidit diploma, quo „Udalrico Epiſcopo, quem *Romani Imperii Cancellarium* appellat, ob damna „multiplicia, quæ ipſi & Ejus Eccleſiæ per bella ſeu Auſtriaca ſeu Bavarica, „ſeu alibi per Romanum Imperium geſta (cùm ipſe Epiſcopus neceſſitates, „obſequium & negotia Cæſaris procuraret) illata ſunt, atque etiamnum in„feruntur; quibus damnis niſi per ſingularia fomenta, & compenſationem „caveretur, periculum foret, ne in majorem atque irreparabilem jacturam ac „decrementum ejus Eccleſiæ evaderent: eam igitur ob cauſam; quódque „idem Epiſcopus & ejus Eccleſia minimè de minoribus Romani Imperii mem„bris cenſeatur; præterea ob preces ejuſdem, ac merita ſingularia &c. de„cernit, veniámque dat ac privilegium ſingulare ipſi Udalrico ejúſque Suc„ceſſoribus, Eccleſiæque Patavienſi, ut certam ſummam denariorum telo„nei nomine de ſingulis vini plauſtris, quæ per Danubium juxta Pataviam in „poſterum ſubvehentur; ſimilitérque de qualibet ſalis Oeno fluvio deportan„di cuppa exigere poſſit. Inſuper facit gratiam erigendi in territorio ſuo, „cis atque trans Oenum fluvium, nova vectigalia de qualibet merce, quam

„care-

,, eatenus transduci contigerit &c. Datum Neoſtadii feria ſecunda poſt Do-
,, minicam Invocavit Anno MCCCCLXV. Régni Romani XXV. Imperii
,, XIII. Regni Hungarici VII.

,, Ad mandatum Domini Imperatoris proprium. Joannes Rot, Doctor
,, Protonotarius. Ita ibi: ubi obiter adnoto, Joannem Rot fuiſſe Patavienſem & Wratislavienſem Decanum anno 1467. ùt liquet ex ejus ſubſcriptionibus eo anno factis.

Anno ſequenti Fridericus confirmavit Udalrico & Eccleſiæ Patavienſi omnia privilegia, libertates, jura, immunitates &c. condito diplomate, quod veluti continuatio eſt ſuperioris in hæc verba: 1466. Privilegia ampliſſimè confirmat.

,, Nos igitur, precibus memorati Epiſcopi, Principis, Cancellarii, Com-
,, patris, ac Conſiliarii, Præpoſiti, Decani, & Capituli Eccleſiæ Patavienſ. ùt
,, putà ratione conſonis inclinati; tum etiam, quòd juſta petentibus, non ſit
,, denegandus aſſenſus; nihilominus nobiſcum animo revolventes, ſedula &
,, fida miniſteria, quæ prænominatus noſter Princeps non modò nobis, Roma-
,, nóque Imperio, in ſtudioſis & vigilibus Imperialis Cancellariæ laboribus,
,, ſed etiam grato animo recenſentes gravia & quotidiana obſequia, moleſtós-
,, que labores, quos aſſiduè ſuſtinet in adminiſtrando Imperialis Cancellariæ
,, noſtræ judicio, cujus etiam per noſtram Celſitudinem judex deputatus &
,, præfectus eſt, in eâque parte etiam onuſtam Imperii molem & ſarcinam
,, nobiſcum quotidie perfert; non per errorem, aut improvidè, ſed animo
,, deliberato, ſano Principum, procerum, nobilium, & fidelium noſtrorum
,, accedente Conſilio, atque ex certâ noſtrâ ſcientiâ, Udalrici Epiſcopi, Prin-
,, cipis, Cancellarii, Compatris, Conſiliarii, ac Præpoſiti, Decani, Capituli Pa-
,, tavienſ. omnia & ſingula privilegia, univerſáſque libertates, gratias, immu-
,, nitates, jura, conceſſiones, donationes, & indulta, quæ ſeu quas communi-
,, ter & diviſim, à Divis Romanorum Imperatoribus ſeu Regibus, prædeceſ-
,, ſoribus noſtris, Ducibus Auſtriæ & Bavariæ & aliis Principibus & perſonis
,, cujuscunque ſtatus, gradus, ordinis, aut præeminentiæ, conditioniſque ſint
,, vel fuerint, ritè obtinuerunt, in omnibus & ſingulis ſuis articulis, continen-
,, tiis, tenoribus, ſive ſententiis, punctis & clauſulis, prout de verbo ad verbum
,, ſcripta & ſcriptæ ſunt, ac ſi tenores omnium præſentibus ſpecificè forent in-
,, ſerti, etiam ſi de his jure & conſuetudine mentio fieri deberet ſpecialis; nec
,, non alia eorum bona, alta & baſſa judicia, laudabiles conſuetudines, uſus &
,, honores eorundem & quicquid de præſenti legitimè poſſident; ſupra ſcripta
,, etiam privilegia memoratorum noſtrorum prædeceſſorum & Ducum Bava-
,, riæ, approbamus, ratificamus, & de novo concedimus & autoritate Roma-
,, nâ Imperiali, noſtris aliàs Sacri Romani Imperii juribus ſemper ſalvis, au-
,, ctoriſamus & confirmamus; omnem etiam defectum, & juris ſolennitatem,
,, ſi qua in præmiſſis quomodolibet requireretur, eadem Imperialis poteſtatis
,, plenitudine ſupplentes; præfato etiam Udalrico Epiſcopo, ejúſque ſucceſſo-
,, ribus bannum imperiale concedentes, quod ſubindè fide dignis perſonis,
,, criminalium cauſarum judicibus ſubdelegare poſſint, quemadmodum cæ-
,, teri Imperii Principes jure vel conſuetudine poſſunt. Quocirca univerſis &
,, ſingulis Principibus Eccleſiaſticis & Secularibus, Marchionibus, Comitibus,
,, Baronibus, nobilibus, proceribus, Walivis, univerſitatibus, communitatibus
,, cæteriſque juris & imperii ſacri ſubditis, communiter vel diviſim, diſtrictè
,, præcipiendo mandamus, ne præfatum Udalricum, Principem, Cancella-
,, rium, Compatrem & Conſiliarium, ac Præpoſitum, Decanum & Capitulum
,, Eccleſiæ Patavienſ. devotos noſtros dilectos, & illorum ſubditos prædictos
,, in confirmatis per nos privilegiis, juribus, gratiis, libertatibus, immunita-
,, tibus, conceſſionibus, donationibus & indultis impediant, moleſtent, aut
,, perturbent, aut impedientibus, ſeu impedire volentibus, auxilium, Conſi-
,, lium præſtent aut favorem, directè vel indirectè, quovis quæſito ingenio
,, vel colore, quinimò eos in his, pro noſtri & ſacri imperii reverentiâ, veluti
,, tenentur, foveant & tueantur. Cæterùm ut memoratus Udalricus Epiſco-
,, pus majori ſe à noſtra Celſitudine beneficentiâ, propter aſſiduos & fidos

„ejus in noſtra Imper. Curia labores, affectum arbitretur, ipſum Epiſcopum, „Præpoſitum, Decanum & Capitulum, ſingulóſque Canonicos & perſonas, „nec non univerſum utriusque ſexus clerum, prædictos, cum bonis eccle- „ſiarum, nec non eorum ſucceſſores pro tempore exiſtentes, cum eorum ju- „ribus ſive corporalibus ſive Incorporalibus, jurisdictionibus præſentibus & „futuris, in noſtram & ſacri Imperii tuitionem, Salvoguardiam, defenſionem „& protectionem aſſumimus, præſentium per tenorem. Verùm cùm pa- „rùm proſit, privilegia & gratias concedere, niſi ſit qui illas tueatur & defen- „dat, hoc imperiali edicto firmiter ſancimus & ſtatuimus, ut quoscúnque „Sacri Imperii Principes, aut alios cujuscunque ſtatus Imperii ſubditos, ſæpe „nominatus Epiſcopus, aut Præpoſitus, Decanus, Capitulum, ſingulares Ca- „nonici, aut Clerici Eccleſiæ Patavienſ. pro tutandis & exequendis his noſtris „præſcriptis gratiis & indultis duxerint requirendos, is aut hi, ad hanc no- „ſtram juſſionem, & cujuslibet ex ſuprà tactis inſtantiam noſtra Imperiali „freti auctoritate, quam per tenorem eis & cuilibet ipſorum concedimus & „largimur, moleſtatores illos cujuslibet ipſorum ad ſuam vocare præſentiam, „prævià cognitione cauſæ præmiſſa, ad condignam ſatisfactionem valeant „compellere & tueantur. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc noſtræ „approbationis, ratificationis, innovationis, de novo conceſſionis, confirma- „tionis, inhibitionis, ſtatuti, tuitionis, aſſumtionis paginam infringere, aut „ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, „indignationem noſtram & Imperii ſacri graviſſimam, nec non in præfato- „rum Romanorum Imperatorum, Regum & Principum privilegiis & cen- „tum Marcarum auri puri pœnas, medietatem Imperiali noſtro ærario ſive „Epiſcopo, Præpoſito, Decano, & Capitulo Patavienſ. prædictis applicandis, „ſe noverit Ipſo facto irremiſſibiliter incurſurum. Signum Sereniſſimi Prin- „cipis & Domini Domini Friderici tertii Romanorum Imperatoris ſemper „Auguſti, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Regis, ac Auſtriæ, Styriæ, Ca- „rinthiæ & Carniolæ Ducis &c. Hujus præſentis viginti duorum foliorum „Regiſtri teſtimonio, ſub aurea bulla, typario noſtro impreſſa. Datum in „Nova-Civitate, in die S. Maximiliani Epiſcopi, Anno Domini, Milleſimo, „quadringenteſimo, ſexageſimo ſexto. Regnorum noſtrorum, Romani Vi- „ceſimo ſeptimo, Imperii decimo quinto, Hungariæ verò octavo.

In hoc diplomate obſervatu dignus eſt titulus *Compatris*, quem Fridericus Udalrico tribuit; fortè quod Maximilianum filium, qui anno 1459. 22. die Martii natus eſt, de ſacro fonte ſuſcepit: nam aquam ſalutarem effudiſſe legitur Sigismundus Salzburgenſis.

XIII. *Rex Bohemiæ devovetur à Papa.*

Eodem anno 1466. Paulus II. Pontifex miſſo in Germaniam & Bohemiam Rudolpho Lavantino Catbolicos ad ſignum Crucis contra Georgium Podiebradium, Apoſtolicis mandatis inobedientem, evocavit. Dudum in eum judicia Romæ celebrata; ſed interventu Friderici ſuſpenſa ſententia. Demum anno prædicto 1466. 23. Decembris emiſſum novum ab Roma fulmen in Regem, uti manifeſtum & pertinacem hæreticum & relapſum in hæreſim: Ei ſacris & regno interdicitur.

Contra eum agitur in Conventu Norimberg per Pataviensem Cæſaris Legatum.

Fridericus Imperator Pontifici morem geſturus, ſpecie belli Turcici comitia ad Norimbergam indixit primùm ad feſtum S. Jacobi anno 1466. ſed paucis eò comparentibus alius conveniendi terminus præfixus eſt menſis November, ùt conſtat ex literis Georgii Podiebradii apud Peſſinam & aliis Friderici ad Archiepiſcopum Salzburg. quibus eum ad Conventum Norimbergenſem ad feſtum S. Martini invitat: Cæſaris nomine (nam hunc turbæ domeſticæ foras egredi prohibebant) comparuiſſe dicitur Udalricus Patavienſis: à Pontifice ſubmiſſus Laurentius Ferrarienſis Epiſcopus: aderat & Fantinus, olim à Pio II. ad Georgium Bohemum miſſus; qui Principes ad arma in Bohemiam inferenda hortatus eſt; quod itidem Udalricus Patavienſis habuerat in mandatis à Cæſare: qua de re Georgius Rex per literas cum Friderico graviter queſtus, ingratum atque Immemorem beneficiorum appellans: cùm enim, inquit, ſæculares Principes, qui aderant, dolos & machinamenta hujus-

modi

modi palàm deteſtarentur, Fantino viriliter reſiſtentes, eíque graviter exprobrantes, quòd in præſenti ſolenni Conventu, in quo de Chriſtianæ ac Romanæ Reipublicæ ſalute tractatur, ſalus ipſa ſponte ſeſe offerens à foribus Aulæ contemptibiliter arceatur; at veſtri factores, inquit, totius navis anchoram tenentes, voluntatem Domini ſui ſcientes, conviciis hujusmodi oblectati nonnullos æquè Catholicæ pacis oſores aſſeclas ſuæ vanitatis invenerunt &c. Datum Pragæ anno 1466. menſe Decembri.

Sententia Pontificis ut per Diœceſim quoque Patavienſem promulgaretur, Rudolphus Lavantinus mandatum dedit per literas: quarum inſcriptio & initium eſt: *Rudolphus Dei gratia Epiſcopus Lavantinus Sacroſanctæ Sedis Apoſtolicæ ad Alemanniæ & Regni Bohemiæ partes Legatus miſſus: Venerabilibus in Chriſto nobis ſinceræ dilectis Officiali Reverendiſſimi Patris Domini Udalrici Epiſcopi Patavienſis in Wienna; fratri Angelo Gwardiano Conventûs fratrum minorum de obſervantia in Vienna Patavienſis Diœceſis & Magiſtro Paulo Baun, Prædicatori Eccleſiæ Majoris Patavienſis, omnibúsque aliis &c. Datum Wratislaviæ in hoſpitio noſtræ ſolitæ Reſidentiæ ſub noſtro ſigillo, anno Domini MCCCCLXVII. die verò XX. menſis Maji. Pontificatus Sanctiſſimi Domini noſtri D. Pauli PP. II. anno tertio.* Transmiſſæ fuerunt hæ literæ unà cum excommunicatione Georgii Bodiebrati renovata Romæ anno 1467. Sept. Kal. Apr. ad modò dictum fratrem Angelum de Stiria Ord. Minor. Guardianum loci Wiennenſis apud S. Theobaldum & Bernardinum; qui easdem Officiali Patavienſi Alexio Tumer recognoſcendas exhibuit. Hic eas per Notarium publicum tranſumi curavit, notari ſigillo, juſſitque fidem integram adhiberi tranſumto, quæ præſtari debet literis Originalibus. Actum Wienne Patav. Dioceſ. Anno MCCCCLXVII. Indict. XV. die Jovis. Secunda menſis Julii. Pontificatus Pauli II. anno tertio. Indè Officialis miſſo per Diœceſin mandato, intérque alios ad Georgium Talhaym plebanum & Decanum in Zwetl juſſit eandem excommunicationis ſententiam more ſolito promulgari, ac prædicari Crucem contra dictum Georgium, propoſitis Indulgentiis ampliſſimis. Datum Wienne die Mercurii XV. Julii. An. MCCCCLXVII. Ejusdem mandati literas dedit Paulus Wann Arcium & S. pagine Profeſſor, Patavie predicator (qui à Laurentio Ep. Ferrarienſi A. S. Legato deputatus ſpecialiter fuerat Commiſſarius generalis per totam dioceſin Patav.) Is inquam mandatum miſit ad Prelatos, Capitula, Eccleſiarum Rectores, Vicarios, presbyteros, altariſtas, Clericos religioſos & ſeculares per Decanatum Laureac. ut quemadmodum ipſe Bullas Pontificias Patavie promulgaſſet, ſic & ipſi promulgent. Dat. Patavie die XXII. Auguſti An. MCCCCLXVII.

1467. Excommunicatio ejus jubetur promulgari in Diœceſi Patav.

Cod. MS. Bibl. Caeſ. Jur. Civ. num. CCXXXVIII.

XIV. Curatur Canonizatio D. Leopoldi.

Aliud negotium minùs ingratum tractabat Udalricus Epiſcopus, conſecrationem Leopoldi pii Marchionis Auſtriæ. Dudum Auſtriacos ea cura inceſſerat ob res miras & inſolita beneficia ad beati viri tumulum patrata. Eos etiam ſtimulabant calamitates patriæ, quas deſidiæ ſuæ in promovendo Divi honore tribuebant. Igitur anno 1465. Prælati Cœnobiorum Joannes Medlicenſis, Martinus Gotwicenſis, Jeronymus Scotorum Wiennæ, Georgius S. Crucis, Petrus Campi-Liliorum, Laurentius in Cellis S. Mariæ, Joannes Zwetlenſis, Wolfgangus Altenburgenſis Abbates S. Benedicti & Ciſtercienſes: item Joannes Neuburgenſis, Philippus ad Sanctum Ypolitum, Wolfgangus in Herczogenburga, Stephanus ad S. Dorotheam Wiennæ, Præpoſiti Canonicorum Regularium S. Auguſtini: item Martinus in Morobacho, Bartholomæus in Achſpach Priores Carthuſienſis Ordinis collato ſtudio preces Pontifici fecerunt literis datis Anno Dom. MCCCCLXV. die XII. menſis Decembris.

Quorum ſtudia continuò ſuffulſit Udalricus Epiſcopus *patriæ & diœceſis Ordinarius* (ùt refert Franciſcus de Pavinis in Summario Canonizationis Sixto IV. oblato) *atque apud Paulum II. conſimilem pariter fecit inſtantiam, tum pro Divini honoris augmento & inclyti Ducatus Auſtriæ ſolatio ac ſuffragio, ſuæque diœceſis & jurisdictionis excellentia devotiſſimo deſiderio Cæſareæ Majeſtati concurrere cupiens, precibus & devotione, quibus valuit, humillimè & affectuoſiſſimè proſecutus*

ſecutus per literas datas Anno Domini MCCCCLXVI. die XX. Januarii. His inſtitit Fridericus Cæſar per literas datas Kalendis Februarii ejusdem anni.

Quibus inclinatus Pontifex negotium Beſſarioni Tuſculano, Alano Prænestino Epiſcopis & Cardinalibus, item Franciſco S. Euſtachii Diacono Cardinali commiſit. Hi mandatum Epiſcopis Patavienſi, Gurcenſi, Petinenſi, præterea Abbatibus Scotorum Viennæ & Cellæ S. Mariæ dederunt, uti generalem inquiſitionem ſuper vita & miraculis ejusdem pii Leopoldi ſolenniter facerent. Datum Romæ anno MCCCCLXVI. die XXI. menſis Aprilis.

1468. Igitur ſubdelegati Ulricus Patavienſis, Michaël Petinenſis, Mathias & Joannes dictorum monaſteriorum Abbates ad examen teſtium & jurium in hujusmodi neceſſariorum ſolenniter proceſſerunt, ac literas citatorias an. MCCCC LXVIII. die ſecunda Decembris emiſerunt ad univerſos & ſingulos, quicunque de vita, moribus, ſanctitate, miraculis Leopoldi ſcientiam haberent; ex omnibus accuratam veritatem per teſtes & juramenta exegêre, eáque per Notarios mandârunt in tabulas referri. Ipſi his non contenti, ſtatum etiam ſepulcri coràm inſpexerunt, venerationémque, qua coleretur, tabulas & ſigna impetratorum beneficiorum explorârunt. Hæc omnia legitimis inſtrumentis adnotata cum ſubſcriptionibus & ſigillis ad Cardinales Commiſſarios transmiſerunt unà cum literis datis Wiennæ anno Dom. MCCCCLXX. die XVIII. menſis Martii. Quo tempore Ulricus Patavienſis, ùt idem Commentarius refert, eandem etiam geminavit inſtantiam per epiſtolam datam die XX. Martii. Excitaverat etiam Academicos Viennenſes, uti in partem ſupplicum & ipſi venirent, pondúsque piis omnium votis apud ſedem Pontificiam per ſuas literas adderent. Qui nihil cunctati, communi nomine ad Paulum ſcripſerunt eodem anno MCCCCLXX. die XXIII. Martii.

XV. 1469. Decernitur Epiſcopatus Viennenſis.

Inter hæc Fridericus Cæſar abierat Romam ſub finem anni 1468. negotiorum pariter & pietatis cauſâ. „Impetravit tunc à Pontifice ut territo„rium oppidi Wiennenſis & confines cum omnibus & ſingulis Eccleſiis, mo„naſteriis, capellis, aliíſque Eccleſiaſticis ac piis locis; nec non populo, in„colis, habitationibus, cæteríſque Eccleſiaſticis & ſecularibus appertinentiis, „ùt bulla loquitur, rebus quibuscunque & bonis eorundem in eo ipſiúſque „territorio & diſtrictu conſiſtentibus ab omni juriſdictione, ſubjectione & „poteſtate Epiſcopi & Capituli Patavienſis eorundémque Vicariorum & Of„ficialium prorſus eximatur & perpetuò liberetur: ubi Pontifex ipſius oppidi „Collegiatam Eccleſiam, Præpoſituram S. Stephani aliàs *omnium Sanctorum* „nuncupatam in Eccleſiam Cathedralem erig[?]t & Epiſcopalis dignitatis ho„nore ac titulo inſignit. Datum Romæ apud S. Petrum An. MCCCCLXVIII. „XV. Kal. Februarii. Pontificatus anno V. Qui annus in computo vulgari ſeu Juliano eſt MCCCCLXIX.

Obſiſtit Epiſcopus.

Hoc quidem à Pontifice in præſenti decretum, poſt annos demum complures effectui datum eſt, intercurrentibus impedimentis ſeu ab Epiſcopo Patavienſi, ſeu à difficultate novæ dotis pro Viennenſi Præpoſito & Decano inveniendæ. Id enim Papa mandaverat. Cæterùm & Udalricus Epiſcopus omnem movit lapidem, quo cœptum turbaret, néve tantam plagam Diœceſis Patavienſis abſecto tam nobili membro acciperet. Conſtat implorâſſe opem ac ſuffragium Univerſitatis Viennenſis, quo apud Fridericum Cæſarem intercederet. Ita namque legitur in Actis Academicis ad annum 1472. „Accepit Univerſitas à Reverendiſſimo in Chriſto Patre Domino Udalrico „Epiſcopo Patavienſi literam per Magiſtrum Alexium Tumer ejusdem Wien„næ Officialem. Lectâ coram congregata Univerſitate literâ prædictus Do„minus Officialis propoſuit petendo nomine Epiſcopi ſui, quòd Univerſitas „dignaretur adjungere certas perſonas nomine Univerſitatis Ambaſſiatis præ„fati Reverendiſſimi Epiſcopi, ituris ad Cæſaream Majeſtatem ad Novam ci„vitatem, volentibus proponere Domino Imperatori certos articulos & ra„tiones, ne Cæſarea Majeſtas ſpecialem Epiſcopatum erigeret in Wienna, „dividendum ab Epiſcopatu Patavienſi. Poſtulatis hiſce maturè diſcuſſis de„crevêre Doctores: Quòd nulli eſſent adjungendi nomine Univerſitatis;

„tum

„tum quòd non ſciret Univerſitas articulos; tum quòd nihil agendum eſſet, „quod alii non poſſent facere; tum ne Univerſitas notetur apud Dominum „Imperatorem, quæ ſtipendia haberet ab eo; tum etiam quòd dictus Epi-„ſcopus haberet plures viros in Univerſitate ſub ſua jurisdictione, ùt pleba-„nos. Hinc illos poſſet mittere ſuo nomine. Hæc ibi.

Ex quibus intelligitur Cæſarem ab Urbe reducem non continuò protuliſſe decretum Apoſtolicum. Secùs enim in Synodo Patavienſi, quam anno 1470. Ulricus celebravit, ea de re fuiſſet in commune conſultum; & quia Doctorum quidam Viennenſium eidem intererant, haud dubiè non latuiſſent Univerſitatem articuli & rationes contra erectionem Epiſcopatûs Viennenſis conceptæ. Ea de Synodo documentum habetur in iisdem Actis Academicis, quæ ad annum 1470. notant, Udalricum Patavienſem indixiſſe Patavii Synodum ad Dominicam tertiam poſt Paſcha (XIII. Maji) pro tuenda conſervandâque Cleri diſciplina: ad quam ut Univerſitas nonnullos mitteret Doctores, per Officialem ſuum Magiſtrum Alexium Tumer deſiderabat. Decrevit Senatus Academicus 26. Martii, feria ſecunda in craſtino Annunciationis, ut mitterentur Magiſter Paulus de Mellico, & Joannes Harrer. Sanctiones ejus Synodi tranſcripſimus è codice MS. quem benevolentiæ Reverendiſſimi & Ampliſſimi Præpoſiti Collegii Canonicorum Regularium in Tyrnſtein Hieronymi acceptum fero. 1470. Synodum celebrat.

Conſtitutiones Synodales Reverendiſſimi Patris, ac Domini Domini Udalrici Epiſcopi Patavienſis.

Udalricus Dei gratia Epiſcopus Patavienſis, Imperialis Cancellarius, ad perpetuam rei memoriam. „Paſtoralis noſtri officii debitum, quo Deo per-„mittente præſumus, nos ammonet, quatenus primò ſuper ratione, & „cultu Deo omnipotenti debitis jugiter exhibendis, ac ſanctis ejus honoribus „impendendis: Secundò ſuper exceſſibus noſtrorum ſubditorum corrigen-„dis, ac moribus eorum reformandis, ne eorum ſanguis de manibus noſtris „in finali judicio requiratur, ſolerter intendamus. Fuiſſemus denique à pri-„maria noſtre ſublimationis ad epiſcopalis dignitatis apicem inſtitutione eis „intendendo mente devota avidi, impedientibus autem variis mundi, præ-„ſertim noſtre diocefis tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus negotiis „inevitabilibus, eis, quibus animo, & labore ſtudioſis intendere volebamus, „nequaquam operam dare poteramus. Arridentibus autem in preſentiarum „tempore, ac opera opportunis, que obmiſimus, accuratiori volumus ſup-„plere ſolicitudine, ac labore. Quare ad preſentes diem, & horam noſtros „in Chriſto ſincerè dilectos confratres, Seyfridum Præpoſitum, Valentinum „Decanum, totúmque Capitulum, ac ſingulos Abbates, Præpoſitos, Officia-„les, Prelatos, Archi-Diaconos, Decanos, Plebanos, Vicarios, Altariſtas, Ca-„pellanos, ſociósque divinorum, inſuper totum clerum noſtre diœceſis con-„vocamus, ad quorum aviſationes, & requiſitiones &c. in ſcriptis traditas; „& aſſignatas, eorúmque aſſenſu, & conſilio ſubſcripta fecimus, ordinavi-„mus, & concluſimus ſtatuta, ſeu conſtitutiones Synodales, volentes, preci-„pientes, ac mandantes diſtrictè ſub penis obedientie, excommunicationis, „ac aliis inibi contentis, ac fulminatis, inviolabiliter obſervari, teneri, ac „effectui mancipari.

I.

De Reverentia Deo, & cultui divino impendenda.

„Incipientes itaque priùs cultum, & honorem Dei procurare cupientes „ſtatuimus, volumus, & ordinamus, quatenus ad Eccleſias Dei humilis ſit, & „devotus ingreſſus, quieta converſatio, Deo grata, inſpicientibus grata, & „que conſiderantes non ſolùm inſtruat, ſed & edificet, & reficiat. Convenientes ibidem nomen illud, quod eſt ſuper omne nomen JEſu Chriſti, „pre-

„precipuè dum aguntur miſſarum ſolemnia, flectant genua cordis, quod vel „capitis inclinatione teſtentur. Nullus ibidem ſeditiones excitet, conclamationes, aut inanes converſationes, colloquia, aut fabulas faciat, impetúmve „committat. Sint ibidem inſuper quæcunque alia, que divinum poſſint turbare officium, aut oculos divine Majeſtatis offendere, penitus extranea, ne „ubi peccatorum eſt venia impetranda, ibi peccatorum detur occaſio, aut „deprehendantur peccata committi. Ceſſent igitur in Eccleſiis, earúmque „cemiteriis negotiationes, precipuè nundinarum, aut fori cujuscunque tumultus.

II.

De Baptiſmo.

„Inhibemus inſuper, ne pueri noviter baptizati ad altare pro receptione „vini ex calice tempore miſſarum deferantur, aut per celebrantes miſſas eis „vinum ex calice porrigatur, cùm ex hoc multi temere credant, tales fieri „ſcientificos, & malam gerant fidem, qua occaſione pericula anime oriuntur.

III.

De Pater noſter, Ave Maria, & veneratione Sanctorum.

„Inſuper committimus ſub pena obedientie omnibus Eccleſiarum parochialium rectoribus, vicariis eorundem, ac prædicatoribus univerſis, „quatenus omni ſermonis tempore, ſignanter diebus dominicis, Pater noſter, Ave Maria, Symbolum Apoſtolorum, decem precepta, ac formam „baptiſmi populo ſuo materna lingua ſuis ſubditis diligenter pronuncient, „ne ea valeant ignoſcere, vel ignorare, diligentérque alliciant, informent, & „inducant, ut diligenter addiſcant, ut Deum valeant etiam ore implorare, & „ſalutem animarum ſuarum procurare. Nihilominus eos inducant ad ſuſcipiendum confirmationis Sacramentum, quod ſalubriter noſcitur à Deo inſtitutum, & effectum facere ſalutarem.

IV.

De Clericis peregrinis.

„Firmiter inhibemus, ne Presbyteri peregrini ignoti, aut extra diœceſim noſtram ordinati in publico ad miſſarum ſolennia celebranda mittantur, „niſi per literas teſtimoniales, vel alias Canonicè de ipſorum ordinatione nobis, aut officialibus noſtris generalibus priùs fiat fides.

V.

De Officio Vicarii.

„Et quia Eccleſiarum plebani, ſive Rectores, & Prelati monaſteriorum „in Eccleſiis ſibi incorporatis ſuis rectoribus adeò relinquunt exiguam portionem, quòd eâ nequaquam poſſunt ſuſtentari, nonnulli verò antiquas augent penſiones, ſive abſentias, quod eorum Vicarii minùs rationabiles, ac „tolerabiles faciunt excogitatis ingeniis exactiones, ſtatuimus, ut ipſis Vicariis ſufficiens, & honeſta portio de proventibus Eccleſie aſſignetur; alioquin ipſi Rectores, & Prelati, ſi moniti non aſſignaverint, ſuis poterunt beneficiis privari. Nullus quoque ſub pena ſuſpenſionis ab officio ad curam „animorum intitulatus vicariam perpetuam, vel temporalem ſimilis beneficii „aſſumere preſumat.

VI.

De Collectoribus.

„Veridicâ recepimus relatione, quòd hoſpitalia, quibus de gratia permittitur eleemoſyna in diœceſi noſtra colligenda in tribus diebus Dominicis, „vel feſtivis, tales collectiones permittant per pedellos, & alios nuncios colligere, vel faciant imponi, qui paciſcuntur cum eis pro certa ſumma danda, „ſive plus, vel minus colligatur, ex quo ſequuntur multe fraudes. Aliqui „enim,

„enim, ut plus habere valeant, colligunt hoſtiatim; alii bis imponunt collectam; aliis fraudibus in præſentiarum, quæ fieri ſolent, obmiſſis. Volumus propterea, quatenus ampliùs talia hoſpitalia per ſuos nuncios literas noſtras eccleſiarum parochialium rectoribus, ſeu vicariis eorum præſentent, qui eas exequantur juxta earum tenorem. Fiat quoque collectio per Magiſtrum Zeche, vel alium fidum per hujuſmodi Rectores, aut Vicarios deputandum, quæ collecta ſigilletur, & per eos includetur, ſicut actenus eſt obſervatum. Nullus ergo ampliùs hoſtiatim habeat colligere, nec admitti debet ad colligendum, niſi Officialis, Archi-Diaconus, aut Decanus, literis noſtris examinatis, ne fraus committatur, ſuas inſuper hujuſmodi collectoribus literas aſſignet, ut eſt conſuetudo.

VII.

De Suffraganeis.

„Non ſine diſplicentia percepimus, noſtros Suffraganeos in ordinatione Clericorum, Eccleſiarum Conſecratione, & Officiales in literis tradendis ad ſuffraganeos, cùm examinati ſunt, ac eorum Notarios in ſolariorum expetitione excedere. Super quo volumus, ac præſentium conſtitutionum tenore mandamus, quatenus in antea Domini Suffraganei in præmiſſis non excedant, ſed pia moderatione expenſarum, ſumptuum, & aliorum onerum præmiſſa ultra condignum, & æquum minimè exigant. Officialis autem pro ſuis literis ſicuti citatione ſimplici ſit contentus. Notarius autem de quolibet intitulato duos denarios monete currentis; ſimiliter Pedellus, aut Curſor pro ſuo labore in intromittendo duos recipiat, & amplius non petendo.

VIII.

De eodem.

„Inſuper volumus, quòd Suffraganei noſtri Profeſſi ordinem, habitum ſuum deferre debeant, ſicuti clara juris diſpoſitio exiſtit. Et nullum ad quemcunque gradum, niſi aut noſtris Officialibus, aut cui commiſerimus, fuerint priùs præſentati, ordinare præſumant, inquantum noſtram voluerint evitare indignationem.

IX.

De officio Ordinarii.

„Inſuper ſacerdos parochialis quilibet plebem ſuam doceat diligenter, ut cùm in celebratione miſſarum hoſtia levatur ſalutaris, quilibet devotè flectat genua ſua, vel ſaltem ſe reverenter inclinet; idem faciens, cùm eam presbyter portat ad infirmum, quam in decenti habitu ſuperpoſito mundo velamine ferat manifeſtè, ac honorificè ante pectus ſuum cum omni reverentia, & honore, ſemper nola parvula, & lumine precedentibus, niſi locorum repugnet diſtantia, vel temporis qualitas, quatenus ex hoc fides, & devotio apud homines augeatur.

X.

De Majoritate, & obedientia.

„Statuimus preterea, ut nulli Clerici nobilium Capellani in Capellis caſtrornm Dominorum ſuorum celebrare præſumant, niſi antè Epiſcopo, vel loci Archidiacono, Officiali generali, aut Decano obedientiam faciant manualem, & quòd ad Synodos veniant, ſtatuta inibi capitula, mandata, & ordinationes, ibidem inſtituta, & ordinata recepturi, & ſuis Dominis, ac eorum caſtrenſibus, ſecundùm quod fuerit opportunum, relaturi; cùm frequenter plebani, aut eorum Vicarii, in quorum terminis caſtra conſiſtunt, hoc facere commodè non audeant. Quod ſi ſecùs facere quiſquam præſumpſerit, per ipſos Epiſcopum, Archidiaconum, Officialem, aut Decanum condignè puniatur.

XI.

De ſpoliis, & captivitate perſonarum Eccleſie.

„ Statuimus etiam ſub excommunicationis pena late ſententie, diſtrictè „ precipientes, ut ſi quam predam, vel ſpolium rerum eccleſiaſticarum ad di- „ vinum cultum deputatarum, ſeu etiam Eccleſiaſticam perſonam captivam „ ad aliquam civitatem, oppidum, villam, ſeu caſtrum adduci contigerit: „ ſacerdotes & capellani civitatum, villarum, oppidorum, ſive caſtrorum, „ poſtquam ſciverint, non exſpectato ſuper eo ſuperiorum mandato abſtineant „ à divinis interim, quousque dicta perſona captivata, aut res Eccleſiaſtice „ prelibate in prefatis locis detinentur.

XII.

De his, que vi, vel metus cauſa fiunt.

„ Etiam ſtatuimus, hos, qui abſolutionem, vel quamcunque revocatio- „ nem ab excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti ſententiis per vim, „ vel metum extorſerint, quamvis hujusmodi abſolutiones, & revocationes à „ jure ſint irrite, excommunicationis ſententie ſubjacere. Et quia Clerici, „ presbyteri, ac religioſi nonnulli non attendentes, quantum ſit obedire bo- „ num, quod victimis antefertur, & quod peccatum eſt ariolandi nolle aqui- „ eſcere, & ſcelus idololatrie non velle obedire, rerum ſuarum, vel corporum „ vanum videlicet metum, cùm nobis, ac noſtris, & noſtrorum mandatis obe- „ dire tenentur, allegantes, quo minùs hujusmodi mandata exequantur, ex „ quo propter contemptum clavium Eccleſiaſtice diſcipline virtus diſſolvitur: „ ſacre hujusmodi approbatione Synodi ſtatuimus, ut nulla rerum prædicta- „ rum, aut metus corporum, ſubditorum noſtrorum inobedientiam mandata „ hujusmodi exequi non curantium valeant excuſare: & in tantum, quod ſi „ metus corporis ſimplici proprio juramento duntaxat, & non legitimis co- „ ram nobis, vel eo, à quo mandatum ſubditus receperit, oſtenſus fuerit do- „ cumentis, nihilominus cedat loco. In eis autem, que in non faciendo con- „ ſiſtunt, ut puta, non communicare excommunicatis, vel non celebrare in „ loco interdicto, & hujusmodi aliis, nec rerum, neque corporum quantus- „ cunque metus prolatus fuerit, excuſat. Cùm nullo metu debeat peccatum „ mortale ex inobedientia committere, ſicut ſanctorum auctoritatibus com- „ probatur.

XIII.

De fide inſtrumentorum.

„ Placuit noſtre Sancte Synodo, ut nullus ſe Publicum Notarium aſſe- „ rens in Officio tabellionatus aliqualiter admittatur; nec credatur ejus in- „ ſtrumento, niſi coram nobis, aut noſtris Officialibus, vel eorum vicegeren- „ tibus de ſuo Officio plenam faciet fidem. Quoniam ſepe ex notariis inco- „ gnitis, & imperitis gravia ſolent pericula evenire.

XIV.

De vita, & honeſtate Clericorum.

„ Licèt ſacri canones decreverint ſalubres ſuper victu, habitu, & vita „ Clericorum conſtitutiones, nihilominus non vanum credimus, ea in no- „ ſtris ſtatutis Synodalibus refricare, quo minus ſimplices valeant ignorare. „ Statuimus propterea juxta juris communis diſpoſitiones, ut Clerici Officia, „ & Commercia ſecularia, maximè inhoneſta non exerceant; mimis, jocula- „ toribus, & hiſtrionibus non intendant; tabernas prorſus, niſi fortè cauſâ „ neceſſitatis in itinere conſtituti, evitent. Ad aleas, & taxillos non ludant, „ nec hujusmodi ludis interſint. Coronam, & tonſuram habeant congruen- „ tes, & ſe in officiis eccleſiaſticis, & aliis bonis ſtudiis exerceant diligenter. „ Clauſa deferant deſuper indumenta, id eſt, ſuperior veſtis eorum ſit clauſa, „ nimia brevitate, vel longitudine non notanda. Pannis rubeis, aut viridi- „ bus, nec non manicis, & ſocularibus conſuticiis, freno ſeu pectoralibus de-

„ aura-

„auratis, aut aliam ſuperfluitatem gerentes non utantur. Corrigias auri, vel „argenti ornatum habentes non ferant, ſicut nec annulos, niſi quibus ex officio competit dignitatis. A crapula, & ebrietate omnes Clerici abſtineant, „ac aliàs ſe habeant, teneant, ac regant, puta in circumferentiis veſtium ſericeis diverſorum colorum, atque aliis variis coloribus pellium in habitu, & „ſtatu, vita & honeſtate, ùt ſacre diſponunt conſtitutiones. Quod ſi quicunque Clericorum in ſacris ordinibus conſtitutus, vel in minoribus beneficiatus, portaverit habitum à ſacris canonibus, aut nobis inhibitum, ſi monitus „fuerit, ultra penam inobedientie eo ipſo amiſſionem illius habitus incurrat „ipſo jure. Et ut hæc conſtitutio noſtra noſtris effectu temporibus non careat, noſtris Archidiaconis, Officialibus, & Decanis in virtute ſancte obedientie precipimus diſtrictè, quòd per diſtrictam jurisdictionem ſibi commiſſis per ſe vel alios, vel alium, unica monitione duntaxat premiſſa, precipiant, quatenus infra decemdium talem habitum deponant, & nullo ampliùs tempore reaſſumant, alioquin ipſum habitum eis auferant, etiam violenter, & eum in opus pium convertant de noſtro conſenſu, ſi habitus notabilis fuerit eſtimationis. Decet etiam Sacerdotes, & Clericos in domibus „ſuis honeſtè converſari, cùm diſcipulorum Chriſti in ſuo officio gerant vices, quatenus aliis ſint bone vite exemplum, mandamus penis ſupradictis, „ut ibidem in domibus ſuis honeſtè converſentur, moribus inſiſtant gravibus, „& decentibus, nullas coréas, aut alia inhoneſta conventicula ſecularium „perſonarum admittant, ſi noſtram voluerint evitare ultionem.

XV.

De Inſtitutionibus.

„Quoniam nonnunquam contingit, quòd ad vacantem prelaturam, aut „quodcunque beneficium, aut officium eccleſiaſticum, regulare, vel ſeculare duo vel plures aſſerunt ſibi jus competere, eliguntur, vel inſtituuntur, & „alter, qui minore, vel nullo jure utitur, ut eum, cujus pinguius, vel majus „jus eſt acquiſitum, per potentiam, vel tedium fatigare, & exhaurire poſſit, „attrahit favorem potentium laicorum, vel advocatorum, quibus ut eis aſſiſtant, & manuteneant, promiſſiones faciunt, de juribus, & libertatibus Eccleſiaſticis remittendis, ſeu etiam de pecuniis mutuandis; Nos huic morbo „occurrere volentes preſentis ſtatuti remedio ſalutari, hujusmodi promiſſores, & potentium laicorum attractores, volumus ipſo jure ſententia excommunicationis innodatos eſſe, & nihilominus eos fore inhabiles, ſive inelígibiles ad hujusmodi beneficia, & dignitates. Mutuatores etiam pecuniarum „talium in hoc caſu volumus carere actionibus pro mutuo hujusmodi repetendo.

XVI.

De vacatione prelature, aut beneficii.

„Quoniam ſepius relatione plurimorum didicimus, quòd nonnulli nobiles, ac poteſtates ſeculares, & eorum officiales, cùm aliquam contigerit „vacare prelaturam, beneficium, vel Officium in noſtra Diœceſi, ſtatim gentes, vel famulos ibidem mittant armorum, aut eorum officiales graves faciunt in ipſis prelaturis, vel beneficiis expenſas, & quod deterius eſt, nonnunquam hi, ad quos collatio, vel preſentatio ſpectat, futurum paſtorem „compellunt eligere per abuſum poteſtatis ſecularis, vel potentie inordinate, „quem nihilominus non admittunt ad poſſeſſionem etiam à ſuperiore confirmatum, aut conſtitutum, donec de certa pecunie quantitate concordet cum „eisdem, atque eandem perſolvat. Nos hujusmodi dampnande ambitionis „audaciam reprimere cupientes, auctoritate hujus ſacre Synodi ſtatuimus, ut „nullus quacunque eccleſiaſtica, vel mundana prefulgeat dignitate, talia de „cetero preſumat, per que offenditur eccleſiaſtica libertas, & Eccleſie multipliciter aggravantur. Quod ſi ſecùs actum fuerit, niſi infra menſem à tempore hujusmodi vacationis, aut extorſionis reſtituerit, aut extortum jam

„promiſſum remiſerit realiter, & cum effectu, ipſum volumus excommuni„cationis ſententie eo facto ſubjacere, à qua nullatenus abſolvatur, donec re„ſtituat extorta, & reſcindat promiſſa, in quibus etiam nulla eorundem re„miſſio ſibi debet locum vendicare.

XVII.
De Pignoribus.

„Ad omnem dubitationem, ſive quæſtionis materiam amputandam, ſta„tuimus, ut ſi quis predium ſuum, cui jus attinet patronatûs, cuicunque ob„ligaverit, indiſtinctè jus preſentandi apud ipſum obligantem reſideat; cùm „tale jus eſtimari non poſſit, & contrà in ſortem nequeat computari.

XVIII.
De Teſtamentis.

„Quia omnia jura clamant, quòd ultima voluntas, vel ultimum homi„nis teſtamentum immobile debet perſeverare, & nihil ſit, quod magis ho„minibus debeatur, quàm ut ſupreme voluntatis liber ſalvus exiſtat, auctori„tate hujusmodi ſtatuimus, ut, ubicunque jura à teſtamentorum non prohi„bent factione, etiam in ſanitate, vel lecto ægritudinis conſtituto, legandi, „diſponendi, & ordinandi de bonis ſibi collatis juſta, & ad pia loca, perſonas „eccleſiaſticas, & alias quocunque, dummodo contra legitimas non veniant „ſanctiones, libera ſit facultas. Volentes, & precipientes diſtrictè, quòd per „noſtros ſubditos judices, univerſi clerici & laici impedientes defunctorum „legata, ſive ultimas voluntates per excommunicationis in perſonas, inter„dicti in loca ſententias, quindecim dierum canonica ammonitione premiſſa, „ferendas ab hujusmodi impedimentis deſiſtere compellantur. Et ad quo„rum executionem, & debitam aggravationem, ſi contumacia eorum exege„rit, tempore faciendi ipſi judices prelibati, ad quorum officium teſtamen„torum defenſio utroque jure ſuadente dinoſcitur pertinere, tam benevolos „ſe exhibeant, & paratos, ne negligentia de eorum manibus in die diſtricti ju„dicii requiratur.

XIX.
De Sepulturis.

„Inſuper ſtatuimus, & ſub pena ſuſpenſionis precipimus firmiter, & „monemus, ut quilibet ſacerdos noſtre diœceſis, cujuscunque dignitatis, emi„nentie, ſtatus ſeu religionis fuerit, infra octo dies, cauſa legitima ceſſante, „poſtquam ei de morte Epiſcopi Patavienſis pro tempore exiſtentis conſtite„rit, per ſe vel alium miſſam pro defunctis dicat in remedium Epiſcopi „memorati.

XX.
De ſepulturis, & preventis, & funeralibus.

„Pridie in Synodo noſtro maturè deliberatum eſt, qui preventi in mor„te dici debeant. Cùm autem pro ſepultura, tanquam ſpirituali bono, juxta „juris diſpoſitionem nihil exigi debeat, volumus, quòd pro licentia ſepelien„di preventos per eos, qui hujusmodi dare habent licentiam, nihil temporalis „exigatur. Sed qnia pro beneficio meritò ſit beneficium, non prohibemus, „quin ipſi, qui licentiam hujusmodi dant, bonis mediis ſine labe Simonie, ac „alia pravitate, conſanguineos, aut propinquos ipſius preventi ſepeliendi in„ducere poterunt ad dandam eleemoſynam pro fabrica Eccleſie noſtre Pata„vienſis, ut unde gratiam receperint, non immeritò benevolentiam, aut gra„titudinem retribuant, ac beneficium recognoſcant.

XXI.
Ne pactiones in ſpiritualibus fiant.

„Inherentes deinde veſtigiis noſtrorum Predeceſſorum, quatenus & pa„ctiones in ſpiritualibus non fiant, diſtrictiſſimè inhibemus, ut ſuper defun„ctorum

„ctorum remediis ante exequias, & ſepulturam defuncti nulla pactio, ſeu con-„ventio intercedat. Defuncto autem ſicut convenit ſepulto, quidquid ex te-„ſtamentis, vel laudabili conſuetudine ſacerdoti debetur, vel Eccleſie conve-„nit perſolvendum, ab heredibus defuncti, vel ab illis, qui in bonis ipſorum „ſuccedunt, petatur, & ad ejus ſolutionem, ſi opus fuerit, per eccleſiaſticam „cenſuram compellantur.

XXII.

Ne Religioſi, preſertim mendicantes, ſermonem ante prandium faciant.

„Et quia, niſi unicuique ſua jurisdictio reſervetur, Eccleſiaſticus ordo „confunditur, inhibemus diſtrictè, nè Religioſi preſertim Mendicantes qui-„cunque ante prandium contra Clement. *Dudum, de ſepulturis*, ſermonem fa-„ciant ad plebem, niſi ſpecialiter à nobis, aut aliàs decenter deſuper fuerit „privilegiatus, de quo ipſum plebanum, vel ejus Vicarium, ubi ſermo fieri „debuerit, volumus fieri certiorem.

XXIII.

Ne Religioſi habitum deponant.

„Cùm plerique fratres ordinum Mendicantium, ac Religioſi aliorum „ordinum ſue Religionis habitum abſque cauſa rationabili manifeſtè non de-„ferentes, excuſationem in peccatis, exceptionis Privilegium, de quo mini-„mè apparet, in ſue anime periculum, & plurimorum ſcandalum allegando, „ſicque excommunicati à jure exercent ſui ordinis Officium; ſacra appro-„bante Synodo ordinamus, ut nullus noſtrorum ſubditorum tales ad ſui of-„ficii executionem admittant, niſi habitum ſue Religionis manifeſtè deferant, „ſintque laudabilis converſationis, & bone fame, omnéſque tales, cùm ſint „à jure excommunicati, evitent, faciántque ab aliis arciùs evitari, in quan-„tum noſtram voluerint evitare ultionem.

XXIV.

De Parochiis, & alienis Parochianis, & juribus Parochialibus.

„Nos Sanctorum Patrum, qui Eccleſie Sancte Dei, & perſonis eccleſia-„ſticis terminos, quos non licet transgredi, poſuerunt, ſtatuta conſideran-„tes hujus approbatione Synodi univerſis ſacerdotibus, tam Religioſis, quàm „ſecularibus, cujuscunque ordinis, conditionis, ſive ſtatus exiſtant, in civi-„tate, Diœceſi noſtra Patavienſi degentibus ſub debito juramenti, quod Epi-„ſcopo in receptione ſacerdotii preſtiterunt, & ſub interminatione divini ju-„dicii, firmiter inhibemus, ne quis alienum Parochianum, vel cujus cura per „nos, vel noſtros Officiales alii eſt commiſſa, excepta neceſſitatis cauſa, que „legem non habet, ad Confeſſionem recipere, aut ei aliquod Eccleſie Sacra-„mentum porrigere preſumat, non petita deſuper, & obtenta, aut conceſſa „licentia proprii ſacerdotis. Cùm certi, & indubitati juris exiſtat, talem à „tali crimine ſolvi non poſſe aliquatenus, vel ligari, & ex hoc ordinem Ec-„cleſie per majores, & Sanctos Patres divina providentia inſtitutum confun-„di, & perturbari. Et hoc preſens ſtatutum per univerſos plebanos, ſeu eo-„rum vicegerentes ſingulis quatuor temporibus, & in precipuis feſtivitatibus „coram ſuis Parochianis precipimus publicari.

XXV.

De Juribus parochialibus.

„Iterum interrogatio eſt facta in noſtra ſacra Synodo de his, qui non „ſolvunt jura parochialia, cenſus, teſtata, & ſimilia debita ad Eccleſias, & „pias cauſas, an à Confeſſione, an à Sacramentis Penitentie, & Euchariſtie „debeant ſuſpendi? Declaramus, ſi tales confiteantur ſe obnoxios, & teme-„rariè, vel ſine cauſa, cùm ſolvere poſſint, nolle ſolvere, quia in peccato con-„ſiſtunt, tenendo rem alienam temere, non debent, imò nequeunt abſolvi, „per conſequens nec communicari. Si verò ex paupertate, vel ob aliam cauſam

„cauſam rationabilem, quo minùs ſolvere poſſint, aut debeant, propone-„rent, in tali caſu hujusmodi non veniunt repellendi. Videat autem confi-„tens, quàm bene in ſua conſcientia verſetur coram Domino Deo, cui om-„nis conſcientia patet, cujus ipſe Confeſſor in hac parte locum tenet, pro-„pterea talis bene erit aviſandus, ne faciens contra conſcientiam edificet „in gehennam.

XXVI.

De Parochis, & ſacerdotibus Curatis.

„Veridicâ percepimus relatione, quòd nonnulli Curati ab Eccleſiis ſuis „ſe per aliquot dies abſentent appropiando civitatibus, negotiorum vel in-„terdum laſcivie cauſa, non attendentes ſue cure animarum; propterea ſepe „inopinati infirmi in agone, aut mulieres pregnantes negliguntur in ſuarum „animarum jacturam. Nos huic morbo providere volentes, ne anime à „nobis, aut dictis curatis in noviſſimo diſtricto judicio requirantur, diſtrictè „comminando mandamus, quatenus ubi plures ſunt ſacerdotes, ſemper unus „apud dotem, & plebem pro infirmis, pregnantibus, & ſimilibus curandis „remaneat. Si verò unus duntaxat inibi eſt, per vicinum ſacerdotem, aut „alium modum accommodum diſponat. Ne hujusmodi infirmi, & puerpere „negligantur, ſecus facientes arciùs puniemus, & puniri faciemus.

XXVII.

De Jure Patronatûs.

„Ad extirpandam tam deteſtabilem corruptelam quarundam eccleſia-„rum, vel capellarum patronorum, qui rectoribus earundem defunctis, do-„tem aut domum, & Eccleſiam, vel Capellam rebus mobilibus, & interdum „immobilibus in ſalutis proprie diſpendium, & ſcandalum plurimorum ſpo-„liant; Statuimus, ut ſive Clericus, vel laicus hoc facere preſumpſerit, cujus-„cunque dignitatis exiſtat, ſit à jure preſentandi ea vice ſuſpenſus, & ſuperior „immediatè ipſam Eccleſiam, vel Capellam conferat, quòd ſi negligens fue-„rit, iterum ſuperior eam conferat ipſo jure, ſitque nihilominus excommu-„nicatus ipſo jure, & arciùs ab hominibus Chriſti fidelibus evitetur, donec „cum debita ſatisfactione reſtituat ablata.

XXVIII.

De celebratione Miſſarum.

„Predeceſſorum noſtrorum docti veſtigiis ſtatuimus, ut nullus ſacerdo-„tum novitiorum illa die, qua primam Miſſam celebrare voluerit in exordio „publicationis Sanctiſſimi ſui Officii oblaturus Deo primitias gratie, & ſalu-„tis ſibi collate, aliquos ad convivium convocare, aut invitatos habere, vel „procurare per ſe, vel alium ullo modo preſumat; ſed ad ſolum Deum, cu-„jus militie eſt adſcriptus, dirigat aciem ſui cordis, maximè illa die devotus „curis, & ſolicitudinibus temporalium, quibus mentes hominum diſtrahun-„tur, debeat eſſe exutus, vanitatibus remotus, hiſtrionum curſibus, tumulti-„bus, & inſolentiis reproborum, qui etiam venire aſſolent non vocati, „fore liber.

XXIX.

De Baptiſmo.

„Baptiſmus cum reverentia ſumma celebretur, maximè in diſtinctione, „& prolatione verborum, in quibus Sacramenti virtus exiſtit, his ſcilicet ver-„bis: *Ego baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Et quidem „ſimul fiat ablutio, & forme verborum prolatio, dicente Auguſtino: *Acce-„dit verbum ad Elementum, & fit Sacramentum.* Et ad talem ſimultatem ſufficit, „ut unum eorum incipiatur, antequam alterum finiatur, ita videlicet, ut ab-„lutio non finiatur, antequam forma verborum incipiatur, & è converſo. „Doceántque ſacerdotes tam mares, quàm feminas in neceſſitate debere par-„vulos baptizare eadem forma proprios infantes, ſi ſumma neceſſitas exigat, „pote-

„poterunt baptizare. Et ſi ſacerdos ſuper hoc diligenter inquirens debitam „formam in baptiſmo invenerit, quod factum eſt, approbet, ſuppleat circa „baptizatum quoad unctionem olei in pectore, & in ſcapulis, ac criſmate in „vertice, quod à laicis eſt obmiſſum. Si autem in baptizante debitam for„mam non invenerit obſervatam, non differat pueros baptizare. Item ſta„tuimus, ut in curatis Eccleſiis Baptiſmus, criſma, oleum, & Euchariſtia, ſub „fideli cuſtodia clavibus adhibitis obſerventur, ne poſſit ad ea manus teme„raria extendi. Pallia quoque, altare, vaſa, corporalia, & veſtimenta mini„ſtrorum munda, & in decentia conſerventur. Nimis enim videtur abſur„dum in ſacris ſordes negligere, que dedecent etiam in prophanis.

XXX.

Iterum de Baptismate.

„In Baptiſmo credimus obſervari debere, quòd Baptizandus poſt Ba„ptiſmum debet criſmari etiam in baptiſmo criſmato. Baptiſmus quoque „debet criſmari in Sabbatho Paſchæ, ubi habetur novum criſma, & Pente„coſte. Nec debet conſuetudo variari in legitimis, & non legitimis natis: „cùm parentum peccatum non obſtat ipſis natis. Et in immerſione, vel „perfuſione ſervetur conſuetudo hucusque introducta. Nec queri debet de „nomine Patris, preſertim ubi perſona poſſit ſcandalizari, & peccata occul„ta pandi.

XXXI.

De Decimis.

„Cùm decime tam prediales, quàm perſonales indiſtinctè debeantur, ùt „authoritates tam veteris, quàm novi teſtamenti, & jura clariſſima teſtantur, „quas Dominus Deus ſibi in ſignum Univerſalis Dominii reſervat, ac retinuit, „quarum uſum ipſe Dominus Deus clericis conceſſit, & quia cùm malè ſol„vuntur, homines in decimas computantur. Nec Dominus locuſtas, ſive „alia nociva fructuum, aut plagas ab eisdem ammovet; tollítque fiſcus, quod „non recipit Chriſtus, ùt actu, & cottidiano cernimus aſpectu, poterúntque „homines ad ſolutionem, ſive preſtationem hujusmodi decimarum primò „eccleſiaſtica cenſura compelli, ſive coërceri, ùt clari juris eſt. Declaramus „omnes, & ſingulos predia poſſidentes, ac detinentes ad prediales decimas „ſolvendas integrè ſine fraude, & dolo collectis fructibus, expenſis ſemini„bus, ac cenſibus, tributis, ſalariis, ac impenſis minimè deductis teneri. Síque „in uno agro plures fructus diverſis temporibus, etiam eodem anno prove„niunt, de ſingulis ſolvendas fore, ac deberi decimales parochie, ubi ſunt „ſita predia, perſonales etiam ſimiliter ſint debite, & ſolvende, ſecundùm „quod ſervat conſuetudo parochiæ, ubi quis recipit Eccleſiaſtica Sacramenta, „niſi aliis ſpeciali jure competere dinoſcantur. Præterea liquet de croco, „canapo, lino, & ſimilibus fructibus decimas ſolvendas fore. Inſuper ne„dum majores ſed & minores debentur Eccleſie parochiali, ſive ejus rectori. „Si que aliquibus jure competerent ſpeciali, poſſunt plebani, & eccleſiarum „Rectores, vel eorum Vicarii ad eas decimas dandum requirere, & niſi de „jure huiusmodi informentur, poterunt de jure expetere. De aucis autem, „pulliſque, ne fiat fraus his, qui percipere habent decimas, ſi quis uno anno „non tot habeat aucas, aut gallinas in numero decem, vel ultrà, non tamen „viginti, debent hujusmodi auce, & galline cum ſequenti anno, vel ſequen„tibus computari, & denuo juxta numerum ſemper decima perſolvi, dolo, „& fraude quibuslibet procul motis. Contra non ſolventes quoscunque „adeatur authoritas judicii, & ſuperiorum.

XXXII.

De Immunitate Privilegiorum Clericalium.

„Et quia Privilegia Clericorum, & Eccleſiaſtice libertates per multos „heu! ſeculares etiam potentes minimè tenentur, ſed multipliciter infrin-

„guntur, quatenus eadem & eædem metu pene ſi non amore clericalis ordi-
„nis teneantur.; volumus, ordinamus, ac inviolabiliter obſervari mandamus,
„quatenus capitula: *Quamquam de cenſibus*, & *capit. Quoniam*, & *capit. ultim.*
„*de Emunitate Eccleſiarum lib. VI.* ac articuli, qui in cena Domini de mandato
„ſummorum Pontificum, ſingulariter Sanctiſſimi Domini noſtri Domini Pau-
„li II. noviſſimè publicati, que infrà de verbo ad verbum continentur, impo-
„ſterum ſingulis quatuor temporibus, ſive Dominico die ſequenti in ambo-
„ne coram populi multitudine, Sermonis tempore materna lingua diligenter
„exponantur, & publicentur, ne homines fortaſſis horum jurium ignari igno-
„rantiam pretendere valeant, ac ſententias inibi inflictas per ignorantiam ju-
„ris, que non excuſat, miſerabiliter incurrant. De Karolina antem publi-
„canda meliùs cenſemus deliberandum.

XXXIII.

De eodem.

„Quia ſacre edes in honorem Dei Omnipotentis, & Sanctorum ejus
„edificate meritò ſunt à fidelibus honorande, quatenus ſalubriùs gratiam no-
„bis obtineant, & ſalutem; ſtatuerúntque ſummi Pontifices, quòd reus cri-
„minis fugiens ad Eccleſiam, non eſt ab ea violenter extrahendus, nec indè
„donari debet ad mortem, vel aliam penam corporalem, ſed Rectores Eccle-
„ſiarum ſibi obtinere debent membra, & vitam; ſuper eo tamen; quod ini-
„què fecit, eſt aliàs legitimè puniendus. Niſi publicus latro fuerit, vel no-
„cturnus depopulator agrorum, qui dum itinera frequentata, vel publicas
„ſtratas obſidet aggreſſionis inſidiis, ab Eccleſia extrahi poteſt, impunitate
„non preſtita, aut ſi ſub ſpe impunitatis in Eccleſia, vel cimiterio deliquit;
„quam conſtitutionem volumus arciùs ſub excommunicationis pena ſervari.

XXXIV.

Ne Commercia in Eccleſiis fiant.

„Dominus noſter JEſus Chriſtus voluit domum ſuam habere ſanctifica-
„tam, ab ea expellens vendentes, & ementes, quatenus ſecularia, & mundana
„inibi minimè exercerentur. Hoc exemplo permoti diſtrictè prohibemus
„omnibus, & ſingulis eccleſiarum plebanis, aut eorum vicegerentibus, ne
„inſtitores, lebetarii, & alii in cimiteriis, & porticibus eccleſiarum commer-
„cia ſua vendant, & habeant. Et nè precones, & alios officiales, ſive quos-
„cunque laicos, ad proclamandum, intimandum, ſeu faciendum ſua ſecula-
„ria negotia, edicta, ſeu vocationes, & ſimilia, in Eccleſiis ſuis admittant.
„Quod ſi fecerint, eos arciùs puniemus. Si verò iidem precones, officia-
„les, & laici propria authoritate contra voluntatem plebanorum, ſive vica-
„riorum ea fecerint, decernimus eos hac conſtitutione ab ingreſſu Eccleſiæ
„ſuſpenſos ipſo facto. Quod ſi hac ſuſpenſione non obſtante ingreſſi fuerint,
„debere excommunicari. Item volumus ſervari, & publicari capit. ult. de
„Emunitate Eccleſ. quod etiam infrà ponitur, & incipit: Eos, qui.

XXXV.

De Regularibus, & Monachis.

„Volumus itaque, & ordinamus, ac diſtrictè precipiendo mandamus,
„quatenus Abbates, Priores, Prepoſiti, & alii Prelati ordinum, S. Benedicti,
„& Auguſtini Canonicorum Regularium viſitationes, reformationes, Syno-
„dos, ſive congregationes faciant, & obſervent in ſingulis ſuis punctis, &
„clauſulis Cap. *In ſingulis*, & cap. *ſequentes.* De ſtatibus monachorum diſpo-
„nant, noſtro jure Ordinario ſemper ſalvo. Fiat tamen ſemper ſingularis
„diligentia pro reformatione monaſteriorum monialium, & clauſura eorun-
„dem. Juxta cap. *Periculoſa* eo. ti. lib. VI. reſervatóque nobis imprimis,
„quatenus viſitatores ydoneos iſta vice predictis monaſteriis viſitandis, & re-
„formandis poſſimus, prout volumus, deputare, mox ùt nobis arriſerit

„oppor-

Digitized by Google

„opportunitas, ac facultas, proviſo inſuper, quod hujuſmodi Abbates, Priores, Præpoſiti, & alii prelati ordinum prediɛtorum in hujuſmodi viſitationibus, reformationibus, Synodis, congregationibus, & aliis indiɛtis, & contentis taliter ſe habeant, ut meritò à nobis valeant commendari, ſcituri, quòd ſi in eisdem, aut eorum aliquo negligentes, aut remiſſi fuerint, aut aliqui ex ſubditis premiſſorum rebelles, & inobedientes, contra tales, & eorum quemlibet ad penas graviores procedemus juxta canonicas ſanɛtiones.

XXXVI.
De Religioſis.

„Papa Clemens in Concilio Vien. excommunicat ipſo faɛto per ſedem Apoſtolicam duntaxat abſolvendos, qui Clericis, aut laicis Sacramenta Unɛtionis extreme, vel Euchariſtie miniſtrare, matrimoniáve ſolemnizare, non habita ſuper his parochialis Presbyteri licentia ſpeciali, aut qui excommunicatos à canone, preterquam in mortis articulo in caſibus à jure, vel per privilegia ſedis Apoſtolice conceſſis, vel à ſententiis per ſtatuta provincialia, aut ſynodalia promulgatis, ſeu qui à pena, & à culpa abſolvere preſumpſerint, ſubjungens, quòd tales locorum ordinarii, poſtquam de hoc eis conſtiterit, facere debent publicè nunciari. Inhibens inſuper eisdem, ne in ſermonibus ſuis eccleſiarum prelatis detrahant, aut retrahant laicos ab eccleſiarum ſuarum frequentia, vel acceſſu, ſeu indulgentias pronuncient indiſcretas. Et infrà, Ne etiam in caſibus ſedi Apoſtolice, ac locorum ordinariis reſervatis quemquam abſolvant, aut perſonas eccleſiaſticas ad loca multùm remota conveniant. Ut autem his decreta inconcuſsè ſerventur, Mandamus in virtute S. Obedientie omnibus eccleſiarum reɛtoribus, eorum vicariis, ac aliis presbyteris noſtre diœceſis, quatenus premiſſa in ſuis eccleſiis ipſos religioſos facere non permittant, ac deſuper diligenter intendant. Si qui quos, vel quem invenerint talia facientes, nobis ciciùs, & ſine mora, aut noſtris Officialibus, Decanis, aut Archidiaconis intimare, & notificare procurent, deſuper per nos contra eos debitè providendi juxta diɛti ſacri Canonis ſeriem, ac tenorem. Si que alia in derogationem jurium parochialium attemptare preſumpſerint, preſertim in confeſſionibus audiendis, predicationibus, candelis benedicendis, & aliis juribus exercendis, aviſati curabimus providere de remedio opportuno. Sique nonnulli ſe à nobis juxta Clementinam, *Dudum, de ſepulturis*, licentiam impetrâſſe dicerent, talibus niſi habita deſuper notitia literarum noſtrarum non credatur. Abbates, & Prepoſiti Canonicorum Regularium poſſunt Monachos, vel Religioſos ſuos ab excommunicationis ſententia infliɛta à jure pro violenta manuum injeɛtione in alium religioſum, ſive inciderint ante, vel poſt ingreſſum Religionis, dummodo talis exceſſus non ſit enormis, ſimiliter novitios, & hoſpites ſecum habitantes, cùm tunc cenſeantur monaſtice perſone, abſolvere. Secus autem, ſi injecerint manus hujuſmodi in clericum ſecularem. Tunc enim abſolvi habebunt ab Epiſcopo in eo caſu, quo poteſt alios ſimiliter excommunicatos abſolvere. Non autem à qualibet alia excommunicatione Canonis, niſi in jure videatur expreſſum. Succedunt etiam conventus religioſorum in adminiſtratione ſpiritualium, & temporalium ſuo mortuo prelato.

XXXVII.
De Veneratione Sanɛtorum.

„Volumus inſuper, ut feſta Sanɛtorum, ſignanter per vacationem laborum non multiplicentur, ſed ſervetur breviarium Eccleſie noſtre Patavienſis, & feſta Sanɛtorum Uſitatorum, feſtum inſuper Annunciationis Marie, ac aliorum feſtorum in jejunio currentium, permittimus ſingulos ad breviarium memoratum, quod diligenter perleɛtum dat informationem, quo minùs intimatio fieri debeat ad omnes ſingularitates. Si tamen dubium in eis occurrerit, poterit fieri recurſus tempore ſuo ad chorum Eccleſie noſtre

„Pataviensis, ubi clarè informabuntur. Habeatur inſuper feſtum ſecundùm „nos *medium*, id eſt, *omnia laudate. Evangeliſtarum, de quatuor doctoribus*, „juxta capitulum *glorioſus* de reliquiis, & veneratione ſanctorum lib. VI.

XXXVIII.

Ne in die S. Blaſii longa benedictio dicatur.

„Quoniam in benedictione aquarum Sancti Blaſii, & Sancti Stephani „vulgariter nuncupata, errationes, & ydololatrie, ſive fides perverſa, ſepius „per ſimplices committuntur, placet, & ſuademus, quod hujusmodi benedi„ctiones obmittantur. De thurificationibus autem, que circa Nativitatem „Domini, & ſimilia feſta in domibus frequenter fiunt, & ab antiquis hucus„que facte ſunt, toleramus ea intentione, ſicuti anteceſſores noſtri fideles fre„quentarunt, ac Sancta Mater Eccleſia tolerat, & toleravit hucusque. Inhi„bentes diſtrictè ſub obedientia pene, ne dicte benedictiones aquarum amodo „fiant, transgredientes denunciatos pena debita volumus per ſuos judi„ces feriri.

XXXIX.

De reparandis edificiis, & ſtructuris monaſteriorum.

„Inherentes ſtatuto in Synodo Pataviensi tempore felicis recordationis „nomine Leonardi Predeceſſoris noſtri facto, Mandamus, Statuimus, & Or„dinamus, quòd omnes, & ſinguli Abbates, Abbatiſſe, Prepoſiti, Priores, & „Prioriſſe, eccleſiarum parochialium Rectores, altariſte, & alii beneficiati mo„naſteriorum, prioratuum, eccleſiarum, & beneficiorum aliorum in dicta ci„vitate, & Diœceſi noſtra Pataviensi curias, dotales domus, & habitationes „eorum ad dicta beneficia ſpectantes in edificiis, & ſtructuris neceſſitatis con„ſervent, & collapſa reforment, quantocius commodè valuerint. Alioquin „viſitatores locorum predictorum mittendi, aut noſtri officiales, auctoritate „hujus Sancte Synodi taxabunt expenſas pro reformatione edificiorum pre„miſſorum neceſſarias, arreſtabúntque; arreſtabimus, aut arreſtari faciemus „fructus, & obventiones beneficiorum predictorum, & illos pro reforma„tione predictorum impendi facient, aut nos faciemus contradictione ali„qua non obſtante.

XL.

De Hyſtoriis celebrandis.

„Similiter adherentes Synodo in noſtra civitate hac Patavie anno mil„leſimo quadringenteſimo triceſimo ſeptimo celebrata declaramus, quòd be„neficiati, & clerici in ſacris ordinibus conſtituti non artentur ad omnes hi„ſtorias, quas Kathedralis Eccleſia noſtra Pataviensis ex ſingulorum inſtitu„tione obſervat, decantat, aut ſolemnizat, ſed unusquisque ſatisfacit confor„mando ſe breviario dioceſis noſtre Pataviensis in dicendis horis Canonicis.

XLI.

De Adminiſtratione Sacramentorum, & veneratione locorum.

„De adminiſtrandis ſacramentis conformiter, & quòd ſacramentorum „locus cum luminaribus provideatur, & quòd companatores, ac moniales „claves non habeant ad Sacramenta, committemus viſitatoribus expedienda, „& iſto ſynodali ſtatuto eis committimus, quatenus ibi diligenter provideant, „& intendant juxta rationem, & patrum ſanctorum inſtituta. Similiter de „miſſalibus, & agendis fiat.

XLII.

Ne corpus Chriſti ad ſegetes indignè portetur.

„Dudum in noſtra dioceſi inolevit corruptela fortaſſis primò ex fide„lium devotione, quòd nonnullis temporibus almum corpus Chriſti per „campos, & ſegetes, ac diverſa loca, etiam ad ignem deportatur; interdum „minùs devotè ibi cavillationes, riſus, fabulationes, & otia committuntur, & „ubi

„ubi deberet fieri cultus, & honor divinus, inſuper orationes, & cantus de„votionis, fiunt potiùs deriſiones, vel irriſiones, & priùs enarrata. In plu„ribus etiam locis leguntur quatuor evangelia ad quatuor mundi partes cum „ſuis ceremoniis, contra fulgura, & tonitrua. Indè ſurgit dubietas multùm „periculoſa, ac ſi Deus non eſſet ubique preſens, & imploratus, ſive invoca„tus adeſſet, niſi premiſſis adhibitis, fitque cultus creature, qui cultus impen„di debet creatori, pluráque alia mala, ex quo non parva ſurgit ydololatria, „& incauta fides apud vulgares, & ſimplices, non ſcientes hujuſmodi ſuas „cerimonias, ac peregrinationes ad laudem, & honorem Dei applicare, ſed „potiùs portationi, vel aliis cerimoniis ibidem corpori divino impenſis. Ea„propter ne, ubi debemus gratiam impetrare, impetremus iram, vel vindi„ctam, ad tollendum omnem ſcrupulum, incautam fidem, ac malas inten„tiones preſenti ſynodali ſtatuto precipimus, & mandamus, quatenus per „amplius hujuſmodi deportationes, proceſſiones, evangeliorum, ſive oratio„num lectiones, ac alia hujuſmodi ſimilia; ubi dedecus Deo, fidei prejudicium, „ac animarum periculum poſſit evenire, minimè fiant. Quod ſi ſecus factum „fuerit, tam plebanos, quàm alios curatos, quàm plebiſanos, & laicos alios „debita curabimus pena ulciſci, ac à noſtris Officialibus, & Archidiaconis id „fieri faciemus. Et tamen pro conſervandis fructibus ad victum fidelium, „quatenus exinde Deus laudetur, & fideles in vita ad Dei honorem, & lau„dem conſerventur, poterunt fieri alie devote orationes, ac implorationes „juxta Eccleſie Katholice morem, & inſtituta.

XLIII.
De Preventis.

„Inſuper Synodi immediatè prelibate morem amplectentes, declaramus „apud plebanos, & Eccleſiarum Rectores circa preventorum mortem hunc „ſervari modum: quòd ſi quis Chriſti fidelis devotè circa feſta paſce peniten„tie, & Euchariſtie Sacramentum percepit, & ſi dando operam rei licite, gra„tia exempli, ſi feriata die exerceret piſcaturam, amputaret ligna in ſilva, vel „eundo per pontem caſu precipitaretur, aut aliàs ex permiſſione divina ſub„itò dies ſuos clauderet extremos, quòd talis non cenſeretur preventus. Si „verò talis, etiamſi hujuſmodi ſacramenta in paſca ſuſcepiſſet, daret operam „rei illicite, ut ſi daret ſe ad latrocinia, concitaret ſeditionem, vel tumultum; „ſive piſcaretur, vel mercaretur die feſtivo, aut Sabbathum preter neceſſita„tem à Sanctis Patribus, & ab Eccleſia inſtitutum ex contemptu publicè ſol„veret; aut ſi proſtratus ægritudine recuſaret penitentie, Euchariſtie, ac ſa„cre Unctionis Sacramenta ſuſcipere. Et tunc ſi tali caſu precipitaretur, cen„ſetur preventus, & nequaquam, ùt is, qui ad feſta paſce negligit recipere „predicta Sacramenta Penitentie, & Euchariſtie, ad eccleſiaſticam ſepulturam „veniet admittendus; cùm tales, & ſimiles in peccato publico reperiantur de„cedere mortali, & indè eccleſiaſtica ſepultura ipſis in majorem cederet dam„pnorum accumulationem.

XLIV.
De caſibus Epiſcopalibus plebanis, aut eorum vicariis committendis.

„Ceterùm quum non nulli ſontes ſepius majora reticent peccata ſolam „notam veniendi ad authoritatem epiſcopalem timentes, volumus itaque ta„libus, & ſimilibus ſalubriter providere, ex ſtatuto ejuſdem Synodi permoti „Ordinamus, quòd nos, noſter Vicarius generalis, aut Officialis Magiſter fa„brice, aut alius ad hoc deputandus ad omnes perſonas, que ſine ſcandalo, „aut aliàs rationabili cauſa remitti tempore quadrageſimali non poſſunt, au„ctoritatem ſubdelegabimus, vel ſuprà nominati ſubdelegabunt. Alias verò „perſonas, notanter publicos uſurarios, concubinarios, adulteros, ſacrilegos, „ſortilegos, incantatores, & incantatrices, dæmonum reſponſa recipientes, ul„timas voluntates non fideliter exequentes, & alios publicanos, & his ſimiles, „ad nos, & dictos ſuperiores decernimus remittendos.

XLV.

De Oblatione.

„Clari juris eſt, quòd oblationum nomine, quidquid offertur Eccleſie „quocunque modo vel in Eccleſia, vel extra; vel in miſſa, aut extra; ſive in „morte, ſive in vita, in immobilibus, vel mobilibus, nec eſt præſcriptibile, „niſi per alium clericum, & quòd à ſecularibus poſſideri non debet, reſtat lai„cos, qui ſe aſſerunt vitricos, ſeu Magiſtros Zeche, nullum jus ſibi à commu„nitate locorum vendicare debere, neque poſſe. Quin imò omnis admini„ſtratio ad Paſtorem Eccleſie pertinere demonſtratur. Quicunque igitur lai„cus hujusmodi oblationes per ſecularem poteſtatem, aut ſine Paſtoris Eccle„ſie voluntate obtinet, procul dubio contra Deum, & Sanctorum Patrum ni„titur ſanctiones. Quin imò & qui accepit, & qui tradit, raptor & ſacrilegus „judicatur. Non tamen propterea antiquam infringimus conſuetudinem „per Plebanum, vel Rectorem Eccleſie Parochialis Principalem, aut ejus Re„ctorem, aut Vicarium ejus, hujusmodi vitricos, aut Magiſtros Zeche unà „cum Conſilio communitatis Eccleſie fore eligendos, ita quòd iidem contra „juris diſpoſitionem nullum jus in Eccleſie bonis valeant vendicare. Qua„propter preſenti decreto ſtatuimus, quòd in antea Magiſtri Zeche hujusmo„di, ſive Vitrici per Plebanum, ſive Rectorem Eccleſie, aut ejus vices geren„tes, ac plebiſanos ejus eligi debent, qui prudenter ac diligenter ſuum Offi„cium juxta conſuetudinem conſervatam fabrice fructus, redditus, & pro„ventus Eccleſie colligant, exerceant, ac importent, & ea fideliter cum ſcien„tia Plebani, ejus Vicarii, vel vicegerentis, ubi ſaltem arduum fuerit expo„nendum, exponant, onera fabrice ſubportent, ſuperexcreſcentia fideliter „conſervent, omnique anno cùm ipſi Plebano, Rectori Eccleſie, aut ejus Vi„cario viſum fuerit, rationem fidelem faciant, & quidquid ultra expoſita ſu„perſuerit, in unam ciſtam unà cum Plebano, Vicario, aut ejus vicegerenti„bus munitam, unà cum privilegiis, & literis ipſius Zeche deponant, quam „cum tribus clavibus ſerent, ſive concludant, quarum unam habeat ipſe Ple„banus, Rector Eccleſie, vel Vicarius, ſecundam ex Magiſtris Zeche, aut Vi„tricus, & etiam unus fidus ex parochianis. Et quia Plebanus, Rector Ec„cleſie, aut ejus Vicarius de ſuis laboribus meritò emolumentum recipit, & „de Eccleſie ſue bonis, cùm ejus Sponſus, & Proviſor exiſtat, antidotum re„portat, ne bovis claudatur os triturantis, tertia pars de hujusmodi oblatis ei„dem conferatur, & aſſignetur, niſi aliud Canonicum impedimentum obſiſtat, „quod decreto, & declarationi noſtre, noſtrorum Officialium, aut Archidia„conorum duximus committendum. Inſuper ad oblationes communes, & „ſolitas juxta noſtre diœceſis, ac parochiarum conſuetudinem hucusque in„troductam, decrevimus ipſos parochianos, ſeu obligatos, ſi preſtare recuſa„verint, & contempſerint, per eccleſiaſticam cenſuram compellendos.

XLVI.

De Cappellanis.

„Veſtigiis predeceſſorum noſtrorum inherendo de Cappellanis in ca„ſtris, civitatibus, oppidis, ſive villis, ſub parochiis quibuscunque degentibus „ſtatuimus, quòd hujusmodi Cappellani de juribus parochialibus nullo mo„do, aut ingenio ſe intromittant, neque de benedictionibus nubentium, in„troductionibus mulierum poſt partum, vel nuptiis, collationibus ſacramen„torum, benedictionibus cereorum, cinerum, palmarum, & ſolemnis baptiſ„matis. Nec predicent, aut feſta indicant, ſive offertoria ſibi uſurpent; ne„que parochianos ipſarum parochiarum, niſi ſibi predicta deceant, aut com„petant, vel aliquid eorum de privilegio ſpeciali, de quo facere fidem coram „ſuis plebanis, aut vicariis debebunt. Si qui autem Capellani contra pre„dicta fecerint, precipimus per eorum Archidiaconos, aut Decanos debita „pena, quatenus à talibus abſtineant, coërceri.

XLVII.

XLVII.

De Penitentiis.

„Fuit dudum in Synodo una Patavienſi, & noviſſimè per nos cum conſilio, & aſſenſu noſtro Synodi pridem celebrate inſtitutum, quòd publici, & ſcandaloſi peccatores juxta ejusdem Synodi tenorem deberent ad nos, Officiales noſtros, aut alios in eo auctoritatem habentes remitti ad majorem informationem, & paternam correctionem. In preſentiarum nonnulli conqueruntur, tales remitti ſine informatione, ac correctione hujusmodi. Sed quia ars artium eſt cura animarum, precipimus, quòd hujusmodi remiſſi in ſuis confeſſionibus, & caſibus remiſſis diligenter audiantur, prompta correctione, & emendatione informentur, & taliter cum eis paternè agatur, quòd ovis errans ad ſuum ducatur ovile. Et quamquam penitentie ſint arbitrarie juxta ſanctorum Patrum documenta; & peccata gravia, & ſcandaloſa, ſive publica meliùs, & fructuoſiùs, ubi crimen peractum eſt, puniantur; non abs re eſt, ſi puniendi taliter ad domum, & ſuum plebanum, aut ejus vicegerentem remittantur, tunc puniantur juxta ſuperioris, ſi injungit, preceptum; aliàs juxta peccatorum quantitatem, & confeſſorum qualitatem. Pro literis autem ſtatuimus recipi debere pro quolibet octo denarios, vel ſi ſcriptura plus exigit, juxta laborum qualitatem, ſuper quo eas tradentium conſcientiam oneramus.

XLVIII.

De Confeſſionalibus, & literis confeſſionalium.

„Cùm pro ſacramentorum adminiſtratione nihil ſit exigendum, ne Simonie labes incurratur, precipimus, quòd ab Officiali noſtro Patavienſi, & Viennenſi, ſeu alio, cui id committitur, pro literis confeſſionalium plebanis, rectoribus eccleſiarum, aut ſuis vicariis datis ultra communem conſuetudinem nil exigatur, nec idem, aut alius, cui id committitur, ùt prefertur, in ſpecie mandet, aut precipiat certam quotam à talibus dari ad fabricam Eccleſie noſtre Patavienſis. Sed fideliter quemque bonis inducat informationibus, & benevolis, ut ad ipſam Eccleſiam, que noſcitur mater omnium eccleſiarum, & hominum totius diœceſis, ac ab ejus paſtore ſive Epiſcopo bona ſpiritualia irremunerabilia, ad temporalia minimè comparanda recipit, ſua temporalia largiatur, quatenus participem ſe faciat bonorum operum inibi quotidie peractorum, & peragendorum, & indulgentiarum talibus à ſummis Pontificibus, Epiſcopis Patavienſibus, & aliis patribus conceſſarum. Volumus inſuper, quòd ſigillum confeſſionis cautè cuſtodiatur. Aliàs precipimus tales, ubicunque inquiri poterunt, penis juris ſine omni velamine excuſationis, & gratia puniri, & nobis denunciatos utique taliter punire non obmittemus.

XLIX.

Qui circa paſca non confitentur, nec communicant.

„Verſum eſt in dubium, quomodo agendum ſit cum illis, qui ex rebellione circa feſtum Paſce non confitentur, & communicant, an debeant publicè vocari, & quomodo peccata puniri? Mandamus contra tales taliter procedi. Occulti occultè perſonaliter per plebanos ſuos, aut eorum vicarios, publici verò, & notorii in ambone ſermonis tempore, primò generaliter, ſique non obediunt, denuò publicè vocentur, quatenus ſe ad confeſſionem, & communionem infra terminum conſtituendum preparent, confiteantur, & communicent. Si adhuc non obedierint, damus cum preſentibus ipſis plebanis, ſeu eorum vicegerentibus facultatem, tales juxta canonem *Omnis utriusque ſexus*, de pe. & re. ab ingreſſu Eccleſie arcendi, & Chriſtiana ſepultura privandi. Si autem hujusmodi penam aliquamdiu ſuſtinuerint, neque confiteri, & communicare voluerint, tales precipimus ſine

„more

„ more diſpendio noſtris Officialibus denunciari, quos tandem ſimili precepto „ volumus per cenſuram eccleſiaſticam, monitione congrua premiſſa ad pre- „ miſſa cogi, & artari.

L.

De publicis mulieribus, lictoribus, preconibus.

„ Quæritur inſuper de mulieribus publicis, lictoribus, & preconibus, „ uſurariis, & ſimilibus notoriis, & ſcandaloſis? ſuprà eſt ſtatutum, quòd ta- „ les in generali conceſſione auctoritatis non veniunt, quare meritò ſunt re- „ mittendi; tunc enim dabitur eis forma, & modus tales puniendi.

LI.

De Excommunicatis.

„ Prohibemus diſtrictè, nè per aliquem ſubditorum noſtrorum Officia- „ lem, Decanum, Archidiaconum, Plebanum, Vicarium, aut vicegerentem, „ detur excommunicatis, aut ab ingreſſu Eccleſie ſuſpenſis licentia ingredien- „ di Eccleſiam divinorum tempore; aut communio fidelium; cùm excom- „ municatus ſemper ſecum deferat excommunicationem, niſi priùs abſolu- „ tionem obtineat. Celebrans etiam coram excommunicato, an ſuſpen- „ ſionem ab executione ſui officii incurrat, remittimus eundem ad canonem „ Concilii Baſilienſis, qui eſt hujusmodi ſub tenore ad evitandum ſcandalum, „ & ponitur tenor totus.

LII.

Ne laici bona, & fructus Eccleſiarum ſibi uſurpent.

„ Quoniam ea, que Deo dicata ſunt, in humanos uſus converti non de- „ bent; & laicis, etiam Religioſis ſuper rebus & perſonis Eccleſie diſponendis „ nulla eſt attributa facultas, quos obſequendi artat neceſſitas, non auctoritas „ imperandi, hac conſtitutione mandamus, quatenus laici, cujuscunque ſint „ preeminentie, ſeu auctoritatis, ſibi ſundos, colonos, atque fructus, proven- „ tus, vel redditus beneficiorum quorumcunque ne uſurpent, nec ea propria „ auctoritate per ſacerdotes per ſe eligendos, ac deputandos inofficient, ſive „ aliquid machinationis in detrimentum beneficiorum, eorúmque pertinen- „ tium, quocunque ingenio, ſive colore, quovis modo faciant. Quod ſi fe- „ cerint, ab eo precipimus eccleſiaſtica cenſura compeſci.

LIII.

De beneficiis manualibus.

„ Abuſus quotidianus in noſtra diœceſi irrepſit, & dietim pullulat, ac for- „ tiùs creſcit, quòd non nulli tam ſpirituales, quàm ſeculares miſſas, quas ma- „ nuales vocant, fundant, erigunt, dotant; ad eas cappellanos ad libitum vo- „ cant, recipiunt, & applicant, ac eos removent ad ſue libitum voluntatis in „ non parvum prejudicium, jacturam, & detractionem noſtrorum jurium „ epiſcopalium, ac contra Iuris diſpoſitionem, & ordinem rationis. Huic „ morbo quotidiano obviare, ſicuti noſtra Epiſcopalis auctoritas exigit, volen- „ tes, hac conſtitutione diſtrictè precipiendo ordinamus, quatenus in antea „ hujusmodi fundationes, dotationes, & capellanorum receptiones, & appli- „ cationes minimè fiant. Si quisquam ſue anime ſalutem procurare volens „ tales fundationes, aut dotationes facere voluerit, noſtra auctoritate, & ſcien- „ tia faciat. Alioquin ſingulos cappellanos hujusmodi manualia beneficia re- „ cipientes, & inofficiantes ab ingreſſu Eccleſie volumus eſſe ſuſpenſos ipſo „ facto. Fundata autem, ſive modò erecta hujusmodi beneficia eadem pena „ volumus per quemcunque ſacerdotem inofficiari, niſi noſtra auctoritate im- „ petranda, pena ſub eadem.

LIV.

Digitized by Google

LIV.

Ne pactetur de funeribus.

„ Item adviſatum eſt, quòd plebanus S. Pauli hujus Patavie, antequam „ funera eccleſiaſtice tradantur ſepulture, de peragendis vigiliis, officio, ſepul„ tura ſeptimi, & triceſimi paciſcatur, ac alia hujusmodi gravamina inferat. „ Item contrahentes matrimonia ad celebranda officia compellat, pro eis re„ cipiendo pecunias ex pacto etiam valde pauperibus. Inſuper ſacerdotes, „ vel eorum corpora infra civitatem defuncta extraneos, & intraneos etiam „ non beneficiatos, vel ſalariatos intra eandem Eccleſiam, imò alibi eligentes „ ſepulturam artat, & ſtringit apud ſe, & ſuam Eccleſiam ſepeliri. Que gra„ vamina, & alia, ſi que ſunt ſimilia, & hactenus contra antiquum morem, „ ſive conſuetudinem apud S. Paulum per modernum plebanum, aut ſuos „ Predeceſſores introducta, volumus per noſtras venerabiles Fratres, capitu„ lum noſtrum Patavienſe, cui idem plebanus ſubjectus eſt, eradicari, & am„ moveri, quantocius fieri poterit. Quod ſi factum non fuerit, emendatio„ nem noſtra auctoritate Epiſcopali adhibebimus ſalutarem.

LV.

Mandatum Domini Preſulis, ut omnes in ſcriptis hanc habeant chartulam cum ſuis tractatulis.

Concluſio Statutorum.

„ Omnia premiſſa ſalutaria ſtatuta preſentibus, quibus noſtrum eſt ap„ penſum ſigillum, omnibus Abbatibus, Prepoſitis, Prelatis, Plebanis, Eccle„ ſiarum Rectoribus, Vicariis, Sociis Divinorum, Cappellanis, Altariſtis, Pres„ byteris, Notariis, ac omnibus nobis ſubditis Clericis in noſtra diœceſi con„ ſtitutis intimamus, inſinuamus, notificamus, & publicamus, ac pro publi„ catis, intimatis, inſinuatis, & notificatis habere volumus, transgreſſoréſque „ puniri juxta penas inibi contentas, ac alias, ſicuti eſt juri conſonum, & ra„ tioni. Volumúſque, & ſub excommunicationis pena mandamus, quate„ nus hujusmodi ſtatuta cum tractatulis inibi colligatis quilibet predictorum „ ſibi reſcribat, aut reſcribi faciat, ut ſecundùm ea ſe poſſit regulare, & ipſis „ conformare. Signanter precipimus ab examinatoribus ad ordines ſervari, „ quatenus juxta eorum tenorem, ac ſeriem ordinandos ad ſacros ordines exa„ minent, ac in ipſis ignaros non admittant. Quatenus Sancta Mater, Dei „ Eccleſia de ſuis filiis literatis, & imbutis gaudere valeat, atque poſſit, aliter „ non facturi. Datum Patavie.

Memorabile eſt, quod eodem anno 1470. contigit: Udalricus Epiſco- XVI.
pus tanquam Cancellarius & Præſes judicii Cameralis (ùt vocant) unà cum Friderico Imperatore à Scabinis Weſtphalicis ſolenniter in jus vocati ſunt, Vadimonio conſtituto ad Sabbatum poſt Georgii anno 1471. Maxima olim per Germaniam authoritas Judicii Weſtphalici, quod *vetitum* ſeu *ſecretum* appellant, fuit. Inſtitutum à Carolo M. probante Leone tertio Papa ad coërcendam Saxonum gentem, atque in fide, quam ſæpius fregerant, continendam. Delecti viri graves & recti amantes, quos Scabinos appellari placuit, quorum magna pars occulti atque ignorati malefactores notabant, ſuppliciõque etiam non auditos, non citatos è medio tollebant. Plura de Scabinis apud Juris Germanici Scriptores; nonnulla refert Æneas Sylvius in Hiſtoria Europæ cap. 37. Spondanus ad annum 1439. Numero 20. Obſolevit indè authoritas, hominibus parùm honoratis in Collegium admiſſis. Cæterùm cauſa proceſsûs contra Udalricum Cancellarium & Fridericum Imperatorem inſtituti erat, quòd ſententiam ſecretam contra Henricum Beger & Argentinenſes à Scabinis latam Udalricus & Senatus Cameralis reſignaverit, caſſaverit, irritámque, Friderico annuente, decreverit. Itaque Theodoricus Dietmarſtheim, Henricus Schmedt, Hermannus Grote Sacri Romani Imperii Judices

Epiſcopus unà cum Cæſare vocantur in jus.

dices & arcani Judicii Weſtphalici Collegæ miſſis Gretzium literis Friderico Imperatori diem dicunt, rurſúmque aliis literis anno 1470. feria ſecunda poſt Simonis & Judæ datis Eundem unà cum Udalrico Epiſcopo, totóque ejus Camerali Collegio comparere jubent ad locum conſuetum inter portas Wünenbergenſes; ſecùs Imperatorem ceu contumacem, & jurium Arcani Senatûs violatorem declaraturos. Quid eventûs aut reſponſi fuerit, haud compertum; extat apud Schilterum documentum aliud judicii Cameralis Præſide Udalrico facti pro Norinbergenſibus contra Scheinfeldenſes anno 1465. 29. Octobr.

1471. Turbæ ob regnum Bohemiæ. Inter hæc Georgius Podiebradius, qui Bohemiæ Regnum Pontifice nequicquam fulminante tenuerat, naturæ conceſſit anno 1471. 22. Martii. Jam aliàs regnum illud erat à Papa delatum Mathiæ Hungariæ Regi: Ei Fridericus adverſabatur; factúmque ut in ſolium, præterito Mathia, aſſumeretur Uladiſlaus Caſimiri Poloni primogenitus, coronatus Pragæ die 21. Auguſti. Hic ſtimulus belli annis ſequentibus in Auſtriam ab Hungaro moti. Subindè autem conventus Principum Ratisbonæ coactus eſt poſt Pentecoſten, menſe Junio; in quo Cæſaris vice functus itidem eſt Udalricus Pataviensis. Agebatur de bello in Turcas, ad quod Paulus Pontifex miſſo Cardinale Senenſi Franciſco Piccolomineo Principes graviter exhortatus eſt; ſed exitu, qui aliàs ſolebat; verbis aut terroribus nullis ſufficientibus ad excutiendum lethargum, ùt Krantzius loquitur: Calebántque tunc ùt maximè ſimultates inter Cæſarem Regéſque Hungarum & Polonum ob regnum Bohemiæ à Polono præreptum; quibus ſopiendis in Auſtriam miſſu Sixti IV. Pontificis, qui Paulo ſuffectus eſt, venit Franciſcus Piccolomineus ſuprà laudatus: in Poloniam Marcus Barbus Venetus Cardinalis: ſed de his alii. Denique diſſenſione inter ſe Principum, feriæ Turcis datæ. Ortum ſubinde bellum cum Carolo

1475. Burgundo, adversùs quem profectus anno 1475. Fridericus Imperator, eum ab obſidione Noveſii demovit; ei bello adſuiſſe etiam Patavienſem, forſan indè conjectes, quòd eodem anno menſe Novembri feria 4. poſt Martini, unà cum Imperatore ex bello reduce interfuit ſolennitati nuptiali, quam Ludovici Bavari filius Georgius cum Hedwige Poloni Regis filia Landishutæ celebravit: verùm in Catalogo Principum, qui expeditioni Rhenanæ præſentes recenſentur, haud invenitur Patavienſis.

Clerus Patavienſis affligitur. Status Eccleſiaſtici Ordinis in Auſtria miſer admodum his annis fuit: multa paſſim latrocinia in imbellem clerum, in ædes ſacras & monaſteria: Quamobrem Clerus Patavienſis diœceſis, Legatum ad ſummum Pontificem

1477. defenditur à Papa. cum querelis miſit. Hic ab Sixto paternè auditus impetravit Bullam fulmine excommunicationis armatam in eos, qui ſubditos Eccleſiarum aut monaſteriorum exactionibus ſine ſacerdotum illis præpoſitorum conſenſu vexarent, aut bona illorum ſeu vivorum ſeu mortuorum diriperent, aut ſibi quavis arte, quovis dolo aut modo juri contrario appropriare ſtuderent. Datum Romæ Anno MCCCCLXXVII. VII. Kal. Julii. Sed major ſub id tempus orta tempeſtas. Mathias Hungariæ Rex dudum Cæſari infenſus invaſit Auſtriam, captis oppidis compluribus, Viennâ quoque plures menſes obſeſſâ. Pax eodem anno, menſe Decembri utcunque compoſita, quæ tamen elapſo vix anno rurſum diſſiliit.

XVII. Facinus Judæorum Patavienſium. Inter hæc Epiſcopo Patavienſi negotium fuit cum Judæis. Hiſtoriam rei geſtæ damus ex Anonymo Schritovini continuatore. Anno 1477. quidam Chriſtianus, nomine Chriſtophorus Eiſengrein, nuncium quoddam à Judæis Patavienſibus duobus, quorum uni Nehem, alteri David nomen erat, ad Judæos Pragenſes deferendum executus fuit. Redux quæſivit, an Euchariſtiam, ſi quam fortè adferret, emturi eſſent: qui mox dignum præmium polliciti, rem etiam clam habituros ſpoponderunt. Homo nefarius ædem B. Virginis in oppido Freyung, quatuor milliarium à Patavia intervallo ſeptentrionem versùs diſtans effregit, octo hoſtias ibidem ſublegit, quas linteolo involvens, & peræ ſuæ imponens intra triduum ad Judæos Patavienſes attulit, & aureum Rhenenſem pro pretio ab eiſdem accepit. Dein Nehem eas

ad

ad Synagogam delatas ſuper lapidem marmoreum à Judæis Emach vocatum effudit. Judæi copioſi convenerant viſuri rem, quam ut DEum Chriſtiani colerent. Unus ex illis Veidl nomine unam hoſtiarum cultello transfixit; mox ſignum emanantis ſanguinis apparuit: illi ſtupore non modico conſternati hoſtias diligenter aſſervari præceperunt; & congregati poſtridie ſex earum hoſtiarum in alias regiones, ubi Judæi degebant, transmittunt; duas autem reliquas ſtudioſiùs ſervari, & igni tandem conſumi decreverunt. Igitur die ſequenti tres Judæi, Veidl, Iſaac, Vetterl duas reſervatas hoſtias in fornacem quandam piſtricem multùm candentem injecerunt. Apparuit tunc eis circulus quidam, & puer quidam in illo; item apparuerunt imagines duorum Angelorum, atque duarum columbarum, ſenſerúntque ſonitum tanquam turbinis vehementis, qua ex re mente confuſi &c. Hæc à menſe Septembri & Octobri ad menſem Februarium occulta permanſerunt: poſtea ſupradictus Chriſtophorus in Sacrilegio quodam alio deprehenſus in arcem ſuperiorem Civitatis Patavienſis captivus eſt inductus: cúmque in arce vinctus teneretur, complures Judæos prodidit, eosdem hujus maleficii ſocios fuiſſe aſſeruit; cùm per Generoſum & nobilem Dominum Sebaſtianum ab Albn Mareſcalcum & Magiſtrum Civitatis Patavienſis obſcœnum oppidulum Judæorum die decima Februarii primis tenebris noctis circumvallatum eſt. Viri Judæi in arcem inferiorem Civitatis Patavienſis captivi ducuntur; ipſorum familiæ in caſtris eorum diligentiùs obſervantur. Quæſtione habita confeſſi rem omnem Judæi. Memoratus Nehem (qui præco Synagogæ erat) hujus ſceleris præcipuus Author primus Sacramentum baptiſmi ardentiùs expetivit aſſerens tam mirifica ſe vidiſſe ſigna atque oſtenta, ut non niſi in Chriſtiana fide mori, firmiter ſecum conſtituiſſet. Idem etiam, antequam ultimum ſupplicium paſſus eſt, filium ſuum non Chriſtianum modò ſed & ſacerdotem fieri magnopere deſiderabat. Sunt & alii ex prædictis captivis baptizati tres, quorum nomina Valck, Iſaac & Thalman: Reliqui autem ſex hujus maleficii conſcii, qui captivi tenebantur, quorum nomina erant, major aliorum Rabbi, Veidl, Salman, Vetterl, Leb & Joſeph ſigna ſtupenda, quæ viderant, non Divinæ ſed diabolicæ virtuti tribuebant, atque in errore ſuo usque ad interitum permanſerunt. Igitur quatuor ex captivis, qui baptiſmum ſuſceperunt, gladio puniuntur, duo verò eorum Veidl & Vetterl, qui combuſtioni duarum hoſtiarum intererant, & Sacramentum ipſum confoderant, candentibus forcipibus die 10. Martii lacerati, atque ſic cum aliis quatuor ſuper focum ducuntur, illic compedibus vincti flamma comburuntur in Patavia. Poſt hæc ſuprà dictus Chriſtophorus compluribus diebus ignitis forcipibus diſcerpebatur, mirâ patientiâ membra ſua ad ſupplicia offerens: nam rediens ad ſe, immane facinus agnovit demum flammis traditus. Ex omnibus Judæorum familiis circiter quadraginta ad Eccleſiam Chriſtianam converſi ſunt. Igitur Udalricus Antiſtes eo in loco, ubi tam tetrum admiſſum eſt maleficium, templum ædificari inſtituit, atque ſub titulo S. Salvatoris in Collegiatam fabrefieri & dedicari fecit (manuſcriptum habet primum Eccleſiæ S. Salvatoris lapidem ab Epiſcopo poſitum menſe Septembri anno 1478.) Primus hujus Collegiatæ Præpoſitus fuit D. Joannes Prenner Erithropolitanus Tuberinus Canonicus & Cancellarius Patavienſis, vir doctus, largus, mitis in omnes. Hucusque Anonymus.

1478. In apertum prodit.

Quæſtio & ſupplicium.

Nova Eccleſia cum Præpoſito conditur ab Epiſcopo.

Annus 1479. poſtremus fuit Udalrici; cujus res geſtas, quæ in manum venerunt, potiores hactenus explicuimus; ſuperſunt paucula, quas ordine ac ſummatim referemus.

XVIII. Supplementum Actorum.

Anno 1452. Udalricus interfuit nuptiis Ludovici Bavariæ inferioris Ducis in Carnisprivio.

Anno 1453. cum aliis Bavariæ Epiſcopis Ludovicum Bavariæ Ducem à propoſito gravis exactionis, quam bonis Clericorum impoſuerat, abduxit. Adierat enim Ducem Landishutæ morantem unà cum Salzburgenſi, Friſingenſi & Ratisbonenſi Epiſcopis & hujusmodi exactione libertatem Eccleſiaſticam violari, Sacros Canones offendi, & cenſuras Eccleſiaſticas, maximè

mè Innocentii tertii, incurri declaravit; quibus aquieviſſe Ducem refert Arenpeckius.

Anno 1456. Ladislaus Rex Udalrico Epiſcopo Auſtriæ Cancellario commiſit componendam litem, quæ Joanni Abbati Zwetlenſi movebatur ab Georgio quodam de Chunring, qui ſe Advocatum monaſterii hæreditarium, utpote de fundatorum progenie ſatum, aſſerebat. Epiſcopus ſententiam ſecundùm Zwetlenſes tulit. Datum Viennæ Sabbatho ante diem Matthæi. Anno dicto.

Eodem confirmat Philippum Præpoſitum S. Ypoliti per Bullam datam Wiennæ in Curia Epiſcopali die XVI Aprilis.

Raſchius rer. Scotenſ.

Anno 1457. Papa Eccleſiam Scotenſem Viennæ per ſpecialem commiſſionem Epiſcopo Paſſav. velut Ordinario ſubjicit, exemtam jam nuper à Nicolao V. ab omni Scotorum viſitatione, jurisdictione, poteſtate, poſſeſſione &c.

Anno 1460. datus ad Pontificem Pium libellus ſupplex nomine Udalrici Epiſcopi Pataviensis (non fratrum Auguſtinianorum, ut ſcribit Lambecius in Codicis Ambraſiani Numero 93. notati recenſione) quo petitum, ut fratribus Minoribus de Obſervantia inhiberetur, ne Cœnobium in Oppido S. Hippolyti ædificent contra voluntatem Præpoſiti & Conventûs Ordinis S. Auguſtini in memorato oppido ſiti. Incipit: Beatiſſime Pater. Crevit adeò temeritas & inſolentia quorundam fratrum Minorum de obſervantia nuncupatorum in partibus Alemanniæ & præſertim in diœceſi Pataviensi &c. Subſcriptio: fiat, ut petit; & committat Præpoſito S. Dorotheæ Wyenn. Dat. Senis XI. Kal. Martii. Anno ſecundo.

Anno 1462. Leonardus Ordinis Prædicatorum dedit ad Officialem Pataviensem Wiennæ Conſilia ſeu epiſtolas de modo placandi Divinum numen, ad hoc, ut populus Viennenſis & tota Auſtria liberetur à calamitatibus, quas diu ſuſtinet. Inſcriptio & initium prioris epiſtolæ eſt hæc: Sacri Juris Canonici & Arcium liberalium Profeſſori perſpicaciſſimo, Reverendo in Chriſto Patri Johanni de Otting ſeu Oeding almæ Eccleſiæ Jaurienſis Præpoſito, nec non & Reverendiſſimi Domini Ordinarii noſtri Pataviensis in ſpiritualibus jurisdictionibus Vicario ſeu Officiali per Auſtriam &c. Anno dicto in die Circumciſionis.

Anno 1464. Udalricus Hoſpitali S. Joannis Pataviæ dedit jus coquendi cereviſiam, eámque educillandi in commodum pauperum extra Pataviam habitantium; de quo literæ Epiſcopi & Capituli ſigillo munitæ.

Anno 1466. confirmavit electionem Georgii in Præpoſitum S. Ypoliti per annuli traditionem & mitræ impoſitionem. Dat. in Nova Civitate Salzeburg. Diœceſis: die Sabbathi, XVII. Maji.

Anno dicto Udalricus Epiſcopus Imperialis Cancellarius mandat Rectori Eccleſiæ Parochialis in Trebeswinkel, ut Georgium Fabri Clericum introducat in poſſeſſionem Altaris S. Martini in Eccleſia parochiali in Dreskirchen. Datum Viennæ die XXVIII. menſis Novembris.

Wolfgangus Suffraganeus Patav.

Eodem anno Wolfgangus Epiſcopus Yponenſis, Paſſavienſis Suffraganeus ad preces Joannis Waltpeck Abbatis Zwetlenſis chorum ſeu Eccleſiam cum omnibus Capellis eorundem, quæ ſacrilegio fœdata fuerant, expiavit, in Vigilia Natalis Domini. Ita Annaliſta Zwetlenſis, qui conjectat execrationem contigiſſe ex militum rixis monaſterium his annis magno numero frequentantium, & Bacchi iſthic orgia celebrantium. Cæterùm hinc intelligitur, quisnam Udalrici Suffraganeus extiterit. Eum fuiſſe ex Ordine Minorum refertur in opuſculo nuper edito, ubi tamen minùs rectè dicitur elevatus in ſuffraganeatum anno 1475. Idem Wolfgangus anno 1465. conſecraverat Abbatem Syttanſtetenſem Paulum Pymiſſer.

Secul. quint. Conventual. Vienn.

Oppidum Berchtolsdorf eximitur è jure Patav.

Anno 1475. Sixtus IV. Papa Eccleſiam B. V. in Berchtolsdorff, & S. Martini in Medling cum omnibus ad illas pertinentibus exemit à jurisdictione Pataviensis Diœceſis; Priorem unit Præpoſituræ S. Stephani; poſteriorem Decanatui; eásque Epiſcopo ſolùm Viennenſi quoad jurisdictionem Ordinariam ſubjicit. Datum Romæ III. idus Junii. Pontificatûs anno IV.

Anno

Anno 1479. feria ſecunda poſt Dominicam *Oculi* (15. Martii) Udalricus Pataviensis cum aliis Epiſcopis Provinciæ Salzburgenſis interfuit conventui Friſingæ; ubi conſulebatur in medium de modo reſiſtendi Turcis, qui anno ſuperiori per Boſniam & Croatiam in fines Carnicos irruperant, provinciásque Imperatoris & aliorum multis jam annis raptaverant. Decretum, uti Conventus Principem haberetur Norimbergæ ad feſtum Trinitatis; qui terminus tamen prorogatus ad menſem Septembrem. 1479. Ulricus adeſt conventui Friſingenſi ob irruptionem Turcar.

Eodem anno die 20. Aprilis die Martis poſt Octavas Paſchæ in Monaſterio Sanctimonialium Felicis Vallis extra portas Civitatis Landshutenſis, ubi ſepultura Bavariæ Inferioris Ducum haberi ſolebat, peractæ ſunt exequiæ pro Duce Ludovico, quibus adfuerunt Epiſcopi complures, in quibus etiam Udalricus Pataviensis. Et erat Eccleſia Pataviensis Duci admodum obſtricta: nam ejus prærogativas, immunitates, & gratias à Majoribus conceſſas confirmavit, ea lege ut Præſules & ſacrorum hominum Collegia ac ſacerdotes viciſſim Bojos Principes, tanquam ſedis illius conditores, quibus par eſſet officiis, agnoſcerent; quod illi ſe facturos eſſe publicis literis ſunt profeſſi. item exequiis Ducis Bavariæ, admodum benefici in Eccl. Pat.

Denique eodem anno ſub initium Septembris vitam decentiſſimè actam concluſit Udalricus Epiſcopus; diem obitus continuator Schritovini ponit diem S. Ægidii, id eſt Kalendas Septembris; ſed Hundius ex epitaphio deſcripſit IV. Nonas Septembris; id eſt diem ejus menſis ſecundam; unde colligo extinctum ipſa nocte inter diem primam & ſecundam Septembris. Sepultus eſt in ſeptentrionali Baſilicæ Pataviensis abſide, ante altare S. Joannis, ubi adhuc hodie (verba ſunt Hundii) inſigne & ſumtuoſum marmor honoris ac memoriæ ergò ei poſitum & parieti inſertum eſt cum tali inſcriptione: XIX. Mors Udalrici.

Anno MCCCCLXXIX. IV. Non. Septemb. obiit Reverendiſſimus in Chriſto Pater & Dominus D. Udalricus de Nusdorff, Pataviensis Epiſcopus.

Elogium ejus paucis complexus eſt Angelus Rumplerus Abbas Formbacenſis, qui tunc vivebat: *Udalricus*, inquit, *Epiſcopus homo ſanè idoneus atque doctiſſimus:* Plura Schritovinus itidem Synchronus præter alia, quæ ſub initium recitavimus: „Udalricum, inquit, poſt reverſionem è Gallia Fride„ricus III. Imperator precibus maximis in ejus Imperialem curiam reduxit & „in ſummum Romani Imperii Cancellarium conſtituit: erat etiam effigies „faciei ſimilis Imperatori, manibus pedibúſque atque aliis corporis extremi„tatibus condecenter plaſmatus, ſuavis eloquentia, condecentia humanitatis „audax, animoſus, magnanimitate quadam probitatis virilem aſpectum, pul„crum, decorum, magnificum gerebat; in mundi agilibus legalitate non cor„ruptelis ſed maturis conſuetudinibus ornatus: ideo in arduis negotiis ad „Nurnbergam, Ratisbonam, & alia dietarum loca, contra Turcarum hære„ticorúmque ſævitiam mitigandam, & in aliis legationibus pertractandis ab „Imperiali Majeſtate miſſus fuit. Epiſcopatum proventibus multùm aug„mentavit, ita ut oppidum S. Hippolyti cum pluribus caſtris à ſuis deceſſo„ribus impignoratis liberè redemerit. Contra Huſſitas nullus Prælatorum „ità ſtrenuè pugnavit. Litis enim tempore peditum equitúmque ad octo „millia ſuis expenſis & ſtipendiis conduxit contra Hæreticorum Bohemorum „rabiem. Novam civitatem, muris, mœniis, turribúſque; omnibus ma„chinis & inſtrumentis bellicis in caſtro Waldtkirch magnificè adornavit. Hæc Schritovinus; Addit ejus continuator de ſcuto ejus gentilitio: *Fuit*, inquit, *ejus proſapia, in clypeo nigro albi coloris rhinocerote decorata.* Elogium.

Quod de recuperatione oppidi S. Hippolyti dictum eſt, confirmatur ex monimentis ejuſdem Cœnobii, quæ referunt Ulricum obtento oppido poteſtatis ſuæ limites paulo, quàm par erat, latiùs proferre voluiſſe: Notandum, inquit, cujuſmodi poſtulato ab Udalrico Epiſcopo de nobis, hujus clauſtri Canonicis facta ſit, nempe ut Ei in ſpiritualibus & temporalibus obedientes eſſemus. Cui poſtulato hunc in modum reſponſum fuit. Reverendiſſime Princeps, Illud, quod Dominatio veſtra per ſuum Cancellarium & Magiſtrum Sigismundum nobis intimari juſſit, uti ego pro memetipſo, atque nomine Conventûs mei, hominúmque noſtrorum quos in vico monaſterii poſſidemus,

mus, Dominationi Veſtræ obedientiam voverem ſponderémque, ejusmodi eſt, quale nec ego nec conventus meus cognoſcimus, ullo unquam tempore à quopiam Dominante ſeu Eccleſiaſtico ſeu laico fuiſſe de nobis requiſitum: nihilo tamen minus homines noſtri hoc in oppido degentes omni tempore concurrerunt ad onera, quoad poterant, ſeu excubando, ſeu circumviſendo &c. paratique ſunt id in poſterum quoque præſtare. Supplicamus igitur Dominationi veſtræ Reverendiſſimæ ne quid ultrà de nobis exigat, quàm quod more veteri receptum eſt. Hæc ibi; quibus aquieviſſe Epiſcopum, res ipſa docet.

Epiſcopus Suffraganeus Udalrici fuit Wolfgangus Ep. Vittricenſis, de quo aliàs: deinde Adalbertus Salonenſis Ep. qui Kilianum Hewmader Abbatem Syttanſtettenſem initiavit in Eblspergk anno 1478.

EPISCOPUS PATAVIENSIS LIV.

Georgius II.

I. 1479. Canonici eligunt Fridericum Maurkircher.

ITerum per ſtudia Laicorum Principum res Eccleſiæ Patavienſis turbatæ. Defuncto Udalrico Capituli Suffragia multis Potentium precibus & commendationibus ambiebantur. Erat in Aula Bavarica Fridericus Maurkircher Juris Doctor, Canonicus Patavienſis, Cancellarius Ducis, vir juſtus & prudens (quam laudem Arenpeckius ei tribuit) hunc Georgius Dux Canonicis commendabat. Fridericus Imperator nuper à Sixto Papa impetraverat in eventum mortis Epiſcopi Patavienſis, jus nominandi ſucceſſorem; deditque ea de re Sixtus Decretum anno 1478. Kalendis Julii. Porro intellecta Udalrici morte non diſtulit Cæſar hujus conceſſionis literas explicare Canonicis; transmiſſo ad eos exemplari duodecima die menſis Octobris; quo ſub pœna excommunicationis, & jacturæ immunitatum, quas ab Romano Imperio haberent, iis diſtrictè vetabatur, ne ad electionem procederent. Verùm Capitulares ex Concordatis Germaniæ, in quibus nihil eatenus novatum ſcirent, jus ſuum propugnantes; quódque ignorare ſe dicerent, quam tandem eſſet perſonam nominaturus Cæſar; néve demum libertate ſuffragiorum penitus exciderent, eodem menſe Octobri poſt acre certamen potioribus votis elegerunt Fridericum Maurkircher, cujus partes inprimis ſequebantur Albertus Epiſcopus Salonenſis idémque Suffraganeus Patavienſis (is qui Eccleſiam Formbacenſem conſecravit) Valentinus Pernpök Decanus, Joannes Eberſpek Senior, Sigismundus Forſter Officialis, Balthatar de Starnberg, Stephanus Aichler, Sebaſtianus Layinger, Erhardus Staringer, Canonici Patavienſes; quibus adhæſerunt Petrus Uberacker Decanus in Mautern, Paulus Saur. N. Abbas Aſpacenſis, Leonardus Præpoſitus S. Nicolai, Stephanus Zehenter, & Joannes Weitſchach Vicarii Eccleſiæ Cathedralis Patavienſis.

Cæſar agit pro Georgio Hasler. Ejus genus. Egregia doctrina.

Jam verò multâ gratiâ apud Cæſarem florebat Georgius Haslerus. Hic obſcuro loco & ex infimæ ſortis genitore, teſte Ciaconio, natus (quamvis non deſint minoris fidei, qui Patritio illum ſanguine procreatum velint) ingenii facilitate literarum pene omnium notitiam aſſecutus (In Univerſitate Viennenſi literis operam dediſſe, & aliquando in diſciplina & familiaritate Joannis Capiſtrani Sanctiſſimi ac celeberrimi id ætatis viri verſatus fuiſſe traditur) Romam ſe contulit, ubi rude donatus, Proto-Notarius primùm Apoſtolicus, ac mox ſacri Palatii ſacerdos creatus eſt. Româ digreſſus in Germaniam Friderico Imperatori ob eruditionis præſtantiam à Scriniis & à Conſiliis cum magna nominis gloria fuit annis minimùm decem; in numerum ſubinde Canonicorum Colonienſium, ſi Chronico Mellicenſi & Edero fides, adlectus. Onuphrius etiam civem & Epiſcopum Herbipolenſem appellat, quod Malinckrotus non intelligit; ſedit enim hoc tempore in Cathedra Herbipolenſi Rudolphus de Scherenberg; Suſpicari tamen inquit poſſumus, Apoſtolicè proviſum, ſed à Capitulo & ſtatibus ſuſceptum non fuiſſe. Obiit mandato Cæſaris legationes permultas ad Principes diverſos, ob linguarum

Munia.

rerúm-

rerúmque agendarum peritiam præcipuè ſpectatus. Idem adhibitus anno
1477. conciliandis inter Mariam Burgundicam & Maximilianum Cæſaris fi-
lium nuptiis, cum Georgio Badenſi Mediomatricum Præſule & Ludovico Ba-
variæ Duce Belgium petiit, optatiſſimo Legationis eventu; in quibus, quan-
ti ejus opera fuerit, illud argumento eſt, quòd eodem anno perurgente mul- Dignitas Cardinalitia.
tis precibus Cæſare die decima Decembris à Sixto inter Presbyteros Cardi-
nales titulo S. Luciæ (repugnante nequicquam Cardinalium Senatu) relatus eſt
abſens. Jam antea Cæſar ei purpuram comparare decreverat, frequentibus
idcirco literis fatigato Pontifice; ſed is eam rem nondum opportunam, Ec-
cleſiæque minùs commodam cauſatus, dilationem humaniſſimis literis apud
Cæſarem excuſavit.

„Accepimus, inquit, & legimus ternas literas manu tuæ Celſitudinis
„ſcriptas, quibus promotionem dilecti filii Georgii Häsler, Notarii noſtri ad
„dignitatem Cardinalatûs commendas. Audivimus quoque eâ de re accu-
„ratiſſimè intercedentem filium noſtrum Franciſcum S. Mariæ Novæ Diaco-
„num Cardinalem Mantuanum. Id verò, quod tum circumſpectioni ſuæ
„verbô reſpondimus, Tuæ nunc Imperiali Celſitudini hiſce brevibus reſpon-
„demus. Nos tuas literas benignè ſemper videmus: Poſtulata ſtudioſè co-
„gnoſcimus, & ad ſatisfaciendum deſideriis prompto animo inclinamus. Per-
„ſona ipſa, pro qua ſcribis, Nobis apprimè nota eſt, & Tuo, ac Noſtro bene-
„ficio digna: Nec ad eam honorandam magìs tua interceſſio, quàm noſtra
„voluntas inclinat: ſed creandis Cardinalibus tempora nunc opportuna non
„ſunt. Multæ ac graves neceſſitudines coëgerunt hactenus, & in præſentia-
„rum cogunt rem totam differri. Scimus pro tua pietate: nil cupis, aut vis,
„quod oneri ſit, & damno Apoſtolicæ ſedi: Natura tua, & Clemens conſue-
„tudo ſemper id tulit. Proinde eandem Celſitudinem hortamur in Domi-
„no, ut dilationem neceſſariam moleſtè non habeat, quia non contemnun-
„tur preces tuæ, ſed tantùm detrimenta Eccleſiæ declinantur. Cùm oppor-
„tunitatem obtulerit DEus, hæc ipſa petitio honorificè præponetur, illi fa-
„vebitur, ac quantum in Nobis erit, accedentibus fratrum Noſtrorum Con-
„ſiliis, digna votorum tuorum ratio habebitur. Interim Georgium tuæ ſub-
„limitati, Germaníſque Principibus gratum, Nos quoque in Corde Noſtro
„gerimus &c.

Implevit Pontifex promiſſum anno, quem dixi 1477. menſe Decembri
omnibus ferè Cardinalibus contradicentibus (ùt ait Hieron. Platus) quòd mi-
litaribus magìs quàm Eccleſiaſticis moribus eſſet. Circumacto ferè anno
Georgius Romam cum egregio Nobilium comitatu profectus, præter inſi-
gnia collatæ dignitatis, facultatem quoque dicendæ in Senatu ſententiæ ac-
cepit, nec multò pòſt dictis Pontifici in Conſeſſu Patrum eleganti oratione
gratiis, reverſus eſt in Germaniam. Contracto verò inter eundem ex itine-
rum moleſtiis gravi morbo, Bononiæ coactus ſubſiſtere; Confirmatâ indè
valetudine, rectâ Viennam ad Cæſarem ſe contulit; à quo nominatus in Epi-
ſcopum Patavienſem, ſalebroſum demum honorum iter expertus eſt. Cau- II.
ſam tamen ejus præter Fridericum Cæſarem etiam Pontifex ſuſtinebat. Nam Papa electionem Friderici pronunciat irritam.
etſi & Georgius Bavariæ Dux Legatis Romam dimiſſis, & Capitulum Pata-
vienſe ablegato Doctore Paulo Wan, & Doctore Eberhardo Zenger electio-
nem alterius Sixto declarâſſent, atque inſtitutas Concordiæ Germanicæ leges
eidem probâſſent, tamen adnitente Cæſare & Georgio, qui ipſe Romam jam
tertiùm petiit, factam electionem Papa non irritam modò & nullam, verùm
etiam Georgium diſertis verbis Antiſtitem Patavienſem dixit, juſsítque ſub
initium anni 1480. ùt conſtat ex Papæ literis commendatitiis ad Archiepi- 1480.
ſcopum Salisburgenſem pro Georgio, de cujus, inquit, perſona hodie dixi- Nominat Georgium.
mus Eccleſiæ Patavienſi providendum. Datum Romæ apud S. Petrum An-
no 1480. quinto Kal. Febr. Pontificatus noſtri anno nono.

Idem Sixtus Georgium die tertia decima menſis Februarii ſuis ipſe mani- Conſecrat.
bus conſecravit; iis omnibus, quicunque operam electioni Friderici contra
mandatum ſuum navâſſent, excommunicationis pœnæ ſubjectis. Præter
literas

Excommunicat electores Friderici. Jubet obediri Georgio.

literas ad Archiepiſcopum Salzburgenſem ad Capitulum ibidem, ad Epiſcopatûs Pataviensis clientes, ad presbyteros, præterea ad Senatum populúmque Patavienſem ſingulatim dedit, ſub excommunicationis, aggravationis, reaggravationis, anathematis, maledictionis æternæ, interdicti, ſuſpenſionis ac privationis omnium dignitatum, honorum & beneficiorum, nec non feudorum & rerum emphiteuticarum, & translationis dictorum Capituli & Eccleſiæ pœnis omnibus & ſingulis cujuscunque ſtatus, dignitatis vel conditionis eccleſiaſticæ vel mundanæ exiſterent, præcipiens, ut dicto Cardinali tanquam Epiſcopo Patavienſi obedientiam & reverentiam debitas exhiberent. Rurſum alias literas exaravit ad Imperatorem, commendans ei, uti dictum Haslerum in ſede epiſcopali tueatur; in quo currentem incitare opus haud erat. Morem continuò Cæſar geſſit, contulítque Haslero Regalia more Majorum.

III. Capitulum ſcinditur.

His ità geſtis nonnulli de Canonicis vertêre vela, tranſitione ad Hasleri partes facta; Wilhelmus de Acham Præpoſitus Capituli, qui animum primùm ad Maurkircheri partes adjecerat, unáque cum aliis adversùs proviſionem Pontificiam appellârat, cum Georgio Mayr, Udalrico de Alben, & Georgio *Hochenfelder* (al. *Hohenecker.*) ſeceſſionem ad Cardinalem fecerunt. Indè Canonicorum Collegium ſectum in partes duas, appellatione diverſa: quippe illud, quod cum Haslero faciebat Capitulum legitimum (quod juſſu Pontificis in oppido Welſio ſtationem fixit) alterum autem, quod Maurkirchero ſtudebat, & in urbe Patavia morabatur, appellabatur, infami nomine, Capitulum excommunicatum.

Factio Friderici appellationem facit.

Interea Legati Maurkircheri ab urbe reverſi, quum de rebus Romæ præter opinionem geſtis ad Capitulum retuliſſent, collatis rurſum ſententiis poſt dierum decem intervallum Capitulares, qui adverſi erant, appellationem ad Pontificem meliùs & exactiùs informandum renovârunt, duodecima die Menſis Maji, Anno 1480. Operam ſubinde ſuam & Imperator & Bavariæ Dux Georgius & alii impenderunt, capitibus variis adinventis ad concordiam inter partes revocandam, litémque ex bono & æquo dirimendam: verùm quòd nec jure ſuo Haslerus decedere, neque Capitulum electioni ab ſe factæ derogari quidquam ſuſtineret, res demum à conſiliis ad facta tranſiit. Cardinalis ope ac permiſſu Cæſaris non modò Viennæ Magiſtratûs, quem Officialatum dicunt, verùm etiam aliorum Patavienſium per Auſtriam bonorum poſſeſſionem cepit. Apud civitatem quoque Patavienſem Imperator crebris ac urgentibus mandatis inſtabat, gravem mulctam, execrationémque Cæſaream comminatus, ni Cardinalem recipere, agnoſcere, atque obedientiam utì Antiſtiti ſuo deferre conſtituerent. Quapropter Civitas Legatos ad oppidum Lincium ſuperioris Auſtriæ die quarta Junii, Anno 1480. ad rem amicè tractandam, Præfecto Lincenſi eos deducente, miſit.

Georgius poſſeſſionem bonorum Patav. capit. Cæſar mandat Patavienſibus Georgium recipere.

Petitur judicium Univerſitatis Vienn.

Agebat tunc Cardinalis Viennæ, ubi cauſæ ſuæ juſtitiam ab Univerſitate recognoſci petebat: Itaque convocatis pridie Kal. Julii, ùt Acta docent, Rectore ac Senioribus omnium facultatum, jura ſua ſuper nominatâ Eccleſia proponebat, legíque eis coràm curavit plures literas ſedis Apoſtolicæ. Similiter & Oratores Friderici Maurkircheri ab Senatu Academico audiri cupiebant. Auditis porro utriusque partis juribus, quoniam res erat in utramque partem invidioſa, viſum eſt quatuor facultatibus omnibus, Ne ſe quovis modo Univerſitas in hoc negotio intromitteret: reſponsúmque partibus, Univerſitatem nullo modo de juribus eorum velle diſceptare, nec definire. Venit eodem anno Viennam Georgius Bavariæ Dux, cùm ad profitendam clientelam, tum ad promovendam Cancellarii ſui cauſam: ultra menſem tertium iſthic hæſit, nullo in clientis ſui rem impetrato commodo. Feruntur ejus literæ Viennæ datæ 19. Maji pro Monaſterio Zwetlenſi concedentes immunem traductionem ſalis per ſuam provinciam. Ut tamen in Bavariam rediit, miſſis ad Civitatem Patavienſem legitimis nunciis die 17. Septembris oravit ab civibis recipi Fridericum, eo potiſſimùm argumento, quòd Cathedra Patavienſis Principum Bavariæ beneficium ſit; quippe ab ipſis ad eam urbem

Quæ recuſat.

Dux Bavariæ Viennam pro Friderico venit: nihil impetrat.

Petit à Civibus Pat. recipi Fridericum.

urbem tranſlata, atque dote, quâ frueretur, inſtructa. Ad hæc denunciatum civibus, ſi oranti annuerent, defenſorem habituros; ſin adverſarentur, omni genere indignationis appetendos. Qua denunciatione firmati in propoſito Capitulares appellationem nupernam die 19. Septembris rurſum inſtaurârunt.

Secunda Capituli Fridericiani appellatio.

Etſi autem Haslerus negaret in ſe moram ullam fore, quo minùs legibus ageretur, ſtudiúmque præſeferret rem omem æquis arbitris permittendi, nihil tamen omittebat eorum, quæ ad ſedem uſu ipſo capiendam facerent. Ipſe allegatis quibusdam familiarium ſuorum ad Urbem Pataviam, mandavit Friderico Electo, uti loco cederet; Suffraganeo & Officiali exercitium ſuorum munerum inhibuit; præterea Capitulo auctoritate Cæſarea reditus omnes ac cenſus interdixit; præter fulmen excommunicationis in Canonicos, etiam in Leonardum Calouvinum Præpoſitum S. Nicolai conjecit. Horreum Capituli, quod erat Viennæ, mandavit effringi, re omni frumentaria in ſuum uſum averſa; comminatus inſuper ad obtinendam ſedem adhibiturum vim, quocunque demum ſanguinis atque hominum impendio. Verùm aſpera denunciatio non ultrà profecit, quàm ut appellatio ab Capitularibus repeteretur jam tertiùm; id quod factum die 28. Septembris. Inter hæc Haslerus non Cæſaris modò, ſed aliorum quoque Principum ſtudia adjunxit ſibi; junctâ operâ Cæſar, Philippus Palatinus, Dux item Saxoniæ Albertus die 21. Octobris ejusdem anni 1480. ad Capitulum, ad Ordinem equeſtrem & provinciales Eccleſiæ Patavienſis literas dant, jubent Haslerum ſine mora recipi. Erat nonnemo illuſtri genere de Bavaria, qui Capitulo exiſtebat auctor, uti ageret arte. Permitterent ab civibus recludi Cardinali fores, ſic tamen ut appareret factum ſe inconſultis. Auſum ingredi in Cuſtodiam darent, tenerentque quoad lis exigeretur. Turpe Conſilium Capitularibus viſum, malebántque civitatem dare in diſcrimen, quàm mittere manus in Unctum Domini.

IV. Conatus Haſleri.

Appellatur tertium.

Inter hæc convenit inter Cardinalem & Capitulum, uti ad diem quintam Novembris in Oppido Stain amicus fieret congreſſus. Invitata ad eum civitas quoque Patavienſis: literæ ſeriùs allatæ, ſeu quòd miſceri negotio cives nollent; nemo ullus de civibus legatorum comparuit. Igitur re infecta diſceſſum. Erat Civium propoſitum conſiſtere in medio, ſtudiúmque ſuum in neutram applicare partem: Sed hoc ipſum iis haud fuit impune; uti mox dicetur. Cæterùm Pontifex mandata ſua per appellationes eludi haud paſſus, die 13. Decembris emiſit Decretum, quo appellationes omnes Capituli, & hactenus factas, & quæ in poſterum fierent, irritas, & invalidas pronunciavit.

Civitas Patav. neutrarum partium.

Papa appellationes omnes pronunciat irritas.

V.

Fridericus Imperator feria ſecunda ante Thomæ (19. Decembris) anni 1480. miſit ad Patavienſes Chriſtophorum Hochenfelder, cum nuncio: mandatam ſibi procurationem Proviſionis Pontificiæ: velle, jubere, ut Cardinalem recipiant (Hic Chriſtophorus Hohenfeldius eſt, cui Ulricus & Georgius, quo de loquimur, Paſſavienſes Epiſcopi propter bene merita caſtrum Schonhering & poſt ejus excidium, arcem Jochenſtain, ipſi & filiis ejus tribus, ad dies vitæ poſſidendam tradiderunt) Rurſum die 24. Januarii anni 1481. Cæſar miſit Bernardum de Scherfftenberg, Præfectum Superioris Auſtriæ; denique die 26. Februarii ejusdem anni Marquardum de Breiſach cum iisdem mandatis, uti ſub pœna centum marcarum auri, aliisque Cardinalem intra novem dies recipiant, eique pareant: in caſum autem inobedientiæ ad tribunal ſe ſiſtant. Pontifex pariter die 28. Februarii ejusdem anni dedit epiſtolam ad Mathiam Hungariæ Regem, qua ſtudebat eum à partibus appellantium & Maurkircheri, quibus ſeu impellente Georgio Bavariæ Duce, ſeu odio Cæſaris adhærebat, abducere; rurſum aliam epiſtolam ad ambos Bavariæ Duces Albertum & Georgium, hortatus ut ne Capitulo Electi opem ferant: item Legato ſuo in Germania exiſtenti mandavit, Capitulo, quod annum jam integrum in cenſuris obſorduiſſet, diem dici, & tanquam hæreticos ad tribunal Romanum evocari. Præterea cives Patavienſes & S. Hippolyti, item Præfectum arcis Patavienſis Schwarzenſteinerum, uti & reliquos omnes

Cæſar mittit legatum ad Civit. Pat.

1481. Mittit ſecundum & tertium.

Pontifex plures literas in eadem cauſa emittit.

Eccleſiæ Patavienſis adminiſtros & Officiales à vinculo juramenti, quo Capitulo obſtricti eſſent, abſolvi: in iisdem literis confixit rurſum, irritáſque declaravit appellationes Capituli: ſi qui autem miniſtrorum Patavienſium poſt hæc mandata morem gerere atque Haslerum Epiſcopum agnoſcere detrectarent, eadem pœna excommunicationis plecti & Eccleſiæ juribus privari juſſit: ad hæc addidit peculiarem Bullam, quâ in irritum vocat contractus omnes venditionum & oppignerationum ab Capitulo nomine Eccleſiæ Patavienſis factarum, atque ſub pœna excommunicationis præcipit, ejusmodi bona ſeu pretio ſeu pignore alienata Eccleſiæ reſtitui. Demum in Bulla poſtrema (quarum ſeptem uno eodemque die 18. Februarii perſcriptæ ſunt) Capitulum Maurkircherianum ob contumaciam rurſum in judicium evocat, appellationes deſtruit, & excommunicatos declarat. Præter hæc ad Moguntinum, Colonienſem, Trevirenſem Archiepiſcopos, Würzburgenſem, Ratisbonenſem, Auguſtanum, Aichſtetenſem Epiſcopos; item ad Saxoniæ Ducem Erneſtum, Philippum Palatinum, Marchionem Brandeburgenſem Albertum, & Sigismundum Ducem Auſtrium Tirolis Principem ſingulas ad ſingulos mittit, hortatur, Haslero ad obtinendam ſedem opitulentur. Datum 18. Februarii Anno 1481.

Duces Bavari denuo petunt à civibus Pat. recipi Fridericum.

Contrà verò Albertus & Georgius Bavariæ Duces ad Senatum populúmque Patavienſem pro cliente ſuo ſemel, iterum, ac tertiùm ſcribunt, primùm 8. Januarii, mox ejusdem menſis die 17. ac demum in Dominica Reminiſcere (18. Martii) vetant civibus, ut ne in animum inducant Haslerum ſuſcipere, imperántque pandi Maurkirchero fores, ſin faxint, indignationis ſuæ periculum facturos. His oppoſitum attulêre mandatum nuncii Bohemici.

Rex Bohemiæ vetat.

Uladislaus Rex, qui à cauſa Maurkircheri abhorrebat, denunciat Patavienſibus funeſta quæque, ſi eum admitterent.

VI.

Literæ Hasleri ad Patavienſes, quibus petit ingreſſum.

Cardinalis hoc potiſſimùm laborabat, ut modò impetraret ingreſſum. Scribit civibus die 5. Februarii ejusdem anni 1481. id unum flagitat, uti pro more extraneorum hoſpitum in urbe impendiis ſuis agere ſinant: enimvero ſperabat tum occaſionem haud defore expediendi reliqua: illud identidem in literis ſuis admonens; facerent, ei parerent, quem Papa, quem Archiepiſcopus Salzburgenſis ſuo calculo confirmâſſent; hoc debitum, hanc legem eſſe. Ad hæc indicat, pro ſe facere poſſeſſionem, quam omnibus jam Auſtriæ locis adiſſet; functiones etiam Epiſcopales Ordinationum, Confirmationum, atque talium obiviſſe &c. Ad quæ ab civibus hunc in modum reſponſum:

Patavienſium reſponſio.

Neminem eſſe, cui moleſtior atque civibus accideret ea rerum perturbatio; nullam in ſe culpæ eſſe partem; nullámque ad ingreſſum moram; id modò fieret more ac conſuetudine majorum: Epiſcopum niſi lite ſubmota neminem ſolitum admitti, nec niſi obſequii profeſſione, præſente Capitulo & Eccleſiæ Miniſtris, præmiſſa. Utramque modò conditionem deeſſe. Ad hæc ipſe penſaret animo, negotium iſthoc, quod eccleſiaſticum eſſet, ad ipſos minimè pertinere: ut nihil dicatur de detrimentis ingentibus, quæ emergere tum Eccleſiæ, tum civitati aliiſque locis poſſent, ſiquidem ante cauſam diremtam ſineretur ipſe ingredi, partíque adverſæ, in quo quidem poteſtatis nihil haberent, pendente appellatione ſuum derogaretur jus. Orare proinde, uti ingreſſum tantiſper differret, dum interim quæſitis concordiæ modis ingreſſus tantò commodior ac citra perniciem Eccleſiæ fieret. Verùm Haslerus tractatus jam omnes aſpernatus, ùt qui cum excommunicatis nihil ſibi negotii eſſe diceret, alias dedit ad cives literas Dominica *Eſto mihi*, quam *Quinquageſima* appellamus: diſtrictum comminatus anathema, ſi cunctarentur. Rurſúmque alias die 18. Aprilis in eandem ſententiam: Hunc in modum conſtricti in arcto cives, objecta appellatione ad Cæſarem die 20. Martii ſe interim tuebantur. Nuncii, quos Viennam eapropter dimiſerant, Cardinale iſthic convento rem iſthuc adduxerunt, ut is reciperet mandata omnia Pontificia ac Cæſarea, monitoria, literas, & mulctas, in civitatem contortas, præterea negotium de ipſo intra Pataviam admittendo, in Curia Cæſaris pro bono & æquo diremturum. Hoc ita factum in Dominica qua cantatur *Miſericordia Domi-*

Aliis atque aliis literis inſtat Haslerus: minatur fulmen.

Cives appellant ad Cæſarem.

Canonici Fridericiani ſtudent cives retinere in fide.

Domini. Adhucdum Capitulum Maurkircherianum in urbe Patavia degebat: ab eo quotidiani nuncii commeabant ad cives; quibus admonebant eos ad ſervandam mutuam inter ipſos & Capitulum fidem: literæ quæcunque ab Cæſare aut Pontifice aut alio quoquam ſeu civibus ſeu Capitulo redderentur, earum ſingulas mutuò revelabant: tamen haud aberat diffidentia, metuente identidem Capitulo, ne Cives ab Cæſare, Pontifice, atque aliis toties vehementèrque compellati animum ad Haslerum recipiendum flecterent. Quidquid autem agerent, hinc premebat metus à potentia Cæſaris, & fulmine Pontificio, de quo per Capitulum aut Ducem Georgium eorúmque auxiliarios, etſi maximè vellent, ac ſæpius ſpopondiſſent, tamen defendi cives haud poſſent: iſthinc periculum erat à Duce Georgio, cui in promtu eſſet intercludere commeatum civitati, quem è Bavaria petendum haberet: proxima autem peſtis à Præfecto arcis Patavienſis, qui Maurkirchero ſtudebat: indè ſibi per machinas bellicas creandam perniciem, violandas ædes; neque ab Cæſare, Pontifice aut Haslero auxilium ſatis promtum fore. Et Canonici Patavienſes emiſſis ad oppida Auſtriaca literis Maurkirchii cauſam defendebant: ejusmodi miſſæ ſunt ad decuriones municipiorum Cremſii & Steinii, à quorum publicano neſcio quid injuriarum in Mauterenſes vicinos, Patavienſium ſubditos, patratum fuerat. Eos Canonici de tota controverſia multis argumentis inſtruunt; ad extremum petunt, ut Patavienſium ſubditis, qui Electi & Capituli partes ſequuntur, incommodum ne adferant. Datum Pataviæ die Inventionis S. Crucis an. MCCCCLXXXI. Iidem iteratis literis monent, ne inveſtituram feudorum à Cardinale recipiant, aut quidquam proventuum ad Eccleſiam Patav. pertinentium eidem perſolvant. Dat. Pataviæ die Mercurii ante Viti. anno eodem.

VII.

Pugnatur criminationibus mutuis.

Interea criminationibus mutuis configebatur. Haslero per Capitulares palàm objectatum: ipſum ære alieno premi quadragies mille florennûm; matrem, fratres ac ſorores domi ſuæ habere, ac cæteroqui ſumtuoſum eſſe: ipſum denique Cæſari, ac quod veriſimile videretur, etiam palatinis ejus, oppida Eccleſiæ Patavienſis nonnulla ad emercandum Cæſaris favorem depactum eſſe. Ex adverſo Haslerus incuſabat æmulum, & Bavaros veluti proditores, ut qui Mathiæ Hungariæ Regi oppidum S. Hippolyti in pignus pro mille aureis tradere voluerint: neque id erat abs vero, quod poſtea patuit. Capitulares Maurkirchio ſtudentes multa interim patravere per vim: prædia & villas Capituli Hasleriani irrumpere, parochias & beneficia occupare, deſpoliatis fortè quibusdam ipſorum familiaribus. Invocatus eam ob rem Cæſar, ad Senatum Patavienſem ſcripſit die 3. Maji, jubens, uti civitas Canonicis Haslerianis erepta bona reſtitui procuret, eosdémque aliquando intra urbem recipiat: nam quod aliàs dixi, apud oppidum Welſium eatenus commorati erant.

Expilantur opes Capituli Hasleriani.

Eas Cæſar defendit;

Civibus Pat. præciſe imperat Haslerum recipere.

Demum die 8. Maji aliud ad Cives Patavienſes ab Cæſare decretum venit, quo mandabatur ſub amiſſione omnium libertatum & privilegiorum, præterea mulcta centum marcarum auri, uti Haslerum protinus admitterent, vel verò die 25. Maji in prætorio Imperiali ſe ſiſtant, dicturi cauſam, quamobrem obtemperandum haud putaverint; aut certè agnituri ſeſe reos damnationis Cæſareæ. Eum in finem civitas de conducendo aliquo legum egregiè perito cogitabat: miſſus idcirco Leonardus Prukambt Ratisbonam & Norimbergam, propoſito locuplete ſtipendio, ſi quis operam ſuam ad propugnandam civitatis cauſam adversùs Cæſaris ac Pontificis mandata conduci fineret. Inventus nemo ullus præter quendam Thronwaldt Licentiatum; qui quòd parochiæ cujusdam in Bavaria curio eſſet, eo pacto addixit, ſi aſſenſus ex Duce Georgio impetretur: Cæterùm civibus oſtentabat egregiam opem cùm ab Duce Georgio, tum etiam ab Capitulo Maurkircheriano. Itaque decreto civium miſſus ad Cæſarem dictus Thronwaldt cum Leonardo Pengl, Chriſtophoro Aicher, & Andrea Ehmkoffer cum plena tractandi poteſtate; qui cùm Linzium veniſſent, iſthic ſeſe Cardinali ſtiterunt, qui humaniter exceptos epulo adhibuit; quin navi ipſorum conſcenſâ unà cum ipſis Viennam ſolvit feria ſecunda poſt Paſcha. Iſthic hebdomadis aliquot conſumtis; cùm & Chri-

Cives defenſionem judicialem parant.

Chriſtophorus Kröllen Syndicus Patavienſis eò ſubmiſſus fuiſſet, ad menſem usque Auguſtum inducias fori, cùm interim compoſitio ſperaretur, habuerunt.

VIII. Varii pro pace conventus.

Inter hæc dum Viennæ pro Cardinalis cauſa conſultatur, habebantur aliis quoque locis varii congreſſus pro Maurkirchio: Pataviæ, Vilshovii, Schardingæ, Landishuti: modum quærebant, uti Haslerum bonis pactis explerent. Cùm nihil procederet, Bavariæ Dux paucis ante Pentecoſten diebus miſſo in Auſtriam nuncio, Eberſpergam Eccleſiæ Patavienſis caſtrum ſibi tradi poſtulat: ſed ejus conſilium Cæſar fruſtratus eſt ipſo Profeſto Pentecoſtes (inciderat tunc Pentecoſte in diem 10. Junii) Paulo pòſt, nempe 15. Junii Cæſar ad Patavienſes datis literis petiit, uti presbyterum, quem eſſet Pataviam ad promulgandam iſthic pro Concione Haslerianæ cauſæ æquitatem miſſurus, mandato ſuo fungi ſinerent: ſed reſcriptum ab ſenatu; equidem quod ſe attineret, haud futuros in mora: Cæterùm eum eſſe ſtatum rerum, quo aſſentiri in ejusmodi promulgationem haud poſſent: ſic res in præſens impedita.

Dux Bavariæ petit caſtrum Eberſperg pro Maurkirchio, Fruſtratur à Cæſare.

Acriùs urgentur cives à Pontifice & Haslero.

Brevì autem ſupervenit mandatum Pontificis emiſſum die 6. Julii ejusdem anni 1481. quo civibus ſub imprecationis pœna imperabatur, Haslerum ad quietam Cathedræ poſſeſſionem admitti. Ipſe quoque Haslerus cauſam ſuam adversùm cives agere aggreſſus die 17. Auguſti. Judicium ſex diebus per intervalla celebratum eſt. Expoſita per Haslerum mandata Pontificia ac Cæſarea, petitúmque alterutrum, vel obſequentes ſeſe adversùs ipſum ùt Epiſcopum, vel reos decretæ ſententiæ profiterentur; adhæc obnoxios omnium damnorum ſarciendorum, quæ ipſe per excluſionem ab ſua ſede feciſſet. Verùm Procuratores Patavienſes excipere primùm: ſe ab obitu Udalrici Epiſcopi in Eccleſiæ & Capituli poteſtatem recidiſſe; Officiarios omnes Eccleſiæ, utì & bona ab Capitulo gubernari ac poſſideri: ſibi integrum haud eſſe ab eo deſciſcere, aut duobus Dominis inter ſe contendentibus ſervire: quare Haslerus obſequii negotium non cum civibus ſed cum Capitulo exigeret; inobedientiæ querelam iſthuc conferret; ſupplicare Cæſari, uti ſeſe ab hujus litis intentione, atque onere damnorum ſarciendorum abſolutos vellet. Præterea cauſam de non admiſſo Cardinale translatam eſſe ad tribunal Pontificis, ad quem ipſi appellationem feciſſent. Jus Hasleri univerſum in Proviſione Pontificia niti: iſthic judicandos eſſe, ſi quid adversùm feciſſent. Accedit, potiorem Capituli partem adhuc Pataviæ reſtare; rectè an ſecùs, abs civibus rationem peti haud oportere: Cæterùm vinculo parendi ſolutos haud eſſe: nam Bullam Pontificiam ab imperio Maurkircheri & peculiarium quarundam perſonarum liberâſſe, non item ab obſequio Eccleſiæ Patavienſis. Sententiam Pontificis pro Haslero etſi ad ſe transmiſſam, tamen haud legitimo ritu promulgatam fuiſſe, utì nec excommunicationem Capituli. Denique rem ita habere, ut ingreſſum Cardinali non Cives ſed Capitulares impediant. His atque talibus ultro citróque jactatis, tamen Kalendis Septembris lata ſententia, uti Patavienſes non obſtante exceptione quacunque, Cardinalis Hasleri poſtulatis ac libello reſpondeant; quod eſto non faxint, tamen ſtatuendum porro, quod æquum videretur. Illi morem veterem opponere, qui eſſet, ut Epiſcopo ingreſſus antè ne detur, quàm controverſiâ de Epiſcopatu ſubmotâ; item uti Capitulares eum primùm agnoſcant; atqui ab iſtis, quorum dicto hactenus audientes fuiſſent, vetitum ſibi eſſe, ne Cardinalem reciperent: in culpa non eſſe, quòd obedientes extiterint: Illud etiam in more poſitum eſſe, ut quemadmodum recipi debeat, Senatus civium cum Capitulo conferat: ipſum ingreſſum cum pompa ac ſerie procedentium, reliquiarum geſtatione, in præſentia Capituli, ſacríque omnis ordinis, & Miniſtrorum in propinquo degentium, inſtitui ſolere; itémque in uſu eſſe, ut Epiſcopus populum cum aſſenſu Capituli ad pompam celebrandam invitet. Rurſum non conſuêſſe cives jurare in verba Epiſcopi, niſi introitu & receptione tranquillè peracta; atque tum viciſſim Epiſcopos in præſentia Capituli ſpondere ſolitos civitati ſalva omnia, quæ à Majoribus accepiſſent, relicturos: adde cives Eccleſiæ peculiari obſtrictos nomine, neminem admittere, qui Capitulo aut adminiſtris

Cives excuſant.

vica-

vicariis adverſarius exiſtat. Ipſum Haslerum Patavienſibus per literas ſignificâſſe propoſitum, redeundi cum Capitulo in gratiam, ingreſsúmque ita adornandi, uti is pacificus, atque ſalvis Eccleſiæ, Senatûs ac populi rebus fieret. Sin id poſſet; ab ingreſſu temperaturum: liquere autem, rem nunc eſſe eo loco, ut ingredi tutò, aut integris civium rebus haud valeat. In poteſtate Capituli eſſe ambas arces, ſuperiorem & inferiorem: præterea ædem Cathedralem, areas, propugnacula, munimenta civitatis, penu annonariâ, tormentariâ, armis viriſque affatim proviſa: ſic, ut etſi cives ingreſſum annuerent, tamen Capitulo eſſe in promtu eum impedire, gravi ad cives redeunte detrimento, ut quibus commeatus omnis & commercium terrâ & amne intercludendus ſit; & graviſſima cæteroqui certò certiùs inferenda damna, adverſùm quæ obarmati ipſi neutiquam eſſent, nec ab Haslero præſidium aut refectionem damnorum ſperare haberent: denique operæ pretium non aliud fore quàm commune exitium. Itaque non tam ſuo quàm Hasleri commodo feciſſe, quòd ingreſſum nondum annuerint. Ob quæ & alia ad extremum ſupplicare, ut ne ſibi neceſſitas intromittendi ipſum, aut hac in parte obſequendi imponatur, priuſquam cum adverſa parte transegerit; ſéque à pœnis per Haslerum ac Cæſaream Majeſtatem decretis, præterea onere reparandi ſumtus ac damna, liberos ſolutóſque agnoſci.

Ad iſta Cardinalis generatim replicuit: ſibi cum Capitulo Patavienſi IX.
controverſiam eſſe nullam. Nam Capitulum, quod unum quidem legitimum Haslerus replicat.
eſſet, & juſſu Papæ in Oppido Welſenſi conſiſteret, ſecum facere. Hujus imperata ſpectari ab civibus debere, ab hoc vetitos non eſſe, quò ſe minùs admitterent. Aliud Capitulum ab ſe minimè agnoſci: nam factionem illam Canonicorum, qui Pataviæ degerent, à Pontifice proſcriptos, eorúmque poteſtate cives abſolutos eſſe: hoc pluribus Brevibus ac Bullis Romanis (quæ exhibebat) demonſtrari. Sibi proviſione Pontificia Epiſcopatum decretum eſſe: huc nihil referre, ut Capitulum & ſenatus porro de ingreſſu conſuleret; neque neceſſariam Capituli aut populi præſentiam: ſibi integrum eſſe, aliquos aut nullos in comitatum ingreſsûs admittere. Homagium de civibus capere non potuiſſe: quid mirum? cùm admiſſus in urbem non ſit. De more veteri, quem adſtruerent, penitus inficiari: propterea quòd eo pacto nullus epiſcoporum niſi ipſorum arbitrio ingredi poſſet. Quid multis? habere jam ſe in poteſtate oppida quædam & caſtra Eccleſiæ; Regalia ab Cæſare jam indeptum: fruſtra oſtentari metum ab arce ſuperiore & inferiore Pataviæ, quarum utramque ab civitate Danubius diſcludat: non defore ſibi præſidia, quibus ipſos contrà tueretur: ad extremum conſtare in Auſtria parœmiam: Epiſcopum eſſe atque civibus recipiendum illum, cui Papa confirmationem contulerit. Hæc Haslerus.

Procuratores Patavienſes hæc & multis & prolixè diluere: tamen die X.
4. Septembris anni 1481. decretum fit, teneri cives Cardinalem uti Dominum Decretum fit,
ac Antiſtitem ſuum recipere, fores ingreſſuro pandere, obedientiámque pro de admittendo
temporis ac juris Imperialis ratione præſtare. Eadémque die Cæſar Pata- do à Patavienſibus Haslero.
vienſibus tranſmiſit mandatum ſub interminatione proſcriptionis; Haslerum uti ſuſcipiant, aut intra ſpatium dierum 25. rurſum in judicio ſe ſiſtant reſponſuri, quid aut quam ob cauſam tergiverſati ſint; ſecùs atrâ ſententiâ notandi. Alteras item literas ad eosdem cives dedit die 14. Septembris, juſſos, uti cunctas Eccleſiæ reliquias, cimmelia, apparatum templi in tabulas referant, aſſervent, factionémque excommunicatorum è civitate proturbent: quâ denunciatione id primùm effectum, ut Canonici ſe ex Patavia auferrent Schardin- Canonici appellantes Paviâ excedunt.
gam, ubi ad obitum uſque Cardinalis hæſerunt. Reliquias & gazam templi peculiari arca recluſam, ſecretus Curiæ locus accepit, appoſitâ lampade, quæ dies ac noctes alebat ignem. Verùm eadem die 14. Septembris Mathias Hun- Mathias Hungariæ Rex eorum partes tuetur.
gariæ Rex, qui Auſtriæ partem majorem tum inundaverat, Patavienſibus ſcripſit, ſe Capituli Maurkircheriani patrocinium ſumſiſſe. Viderent, caverent ei vim ullam adferre, aut Haslerum recipere. Occultis pactis Capitulum favorem Regis propitiaverat ſibi; de Oppido S. Hippolyti & aliis nonnullis

Eccleſiæ Pataviensis ei dedendis convenerat. Verùm Cives à Capitularibus, ne quid eorum cauſa civitas detrimenti caperet, impetrârunt, ut loco cederent. Abiêre, quod dixi, vicinum ad oppidum Schardingam.

XI.

Haslerus conatur Pataviam ingredi.

Haslerus interea die 13. Octobris ejusdem anni 1481. exaratis ad cives literis præcisè petiit, ut ex ſententia judicii Cæſarei ſe ingredi ſinant; ſex hebdomadarum cum triduo moram definit. Jámque iter Pataviam ſuſcipienti, miſêre obviam literas; precantes, differret tantiſper, dum caſus ſe melior daret. Ille tamen via cepta progreſſus, cùm etiam ad muros civitatis veniſſet,

Non admittitur.

nihilo ſecius tum quidem admiſſus non eſt, civibus de periculo graviore ſolicitis, jámque tum deliberantibus de nunciis Romam mittendis, quo de ſtatu rerum Pontifice docto fulmen averterent; & miſêre die 18. ejusdem menſis

Agit armis in oppida Pataviensis Ecclesſ.

Octobris. Sed Haslerus terrore rem agere ſtatuit: obſidet locum Tubling, Cecimurum, quæ ope Cæſaris ſubegit, adactis in verba inquilinis: oppidum quoque S. Hippolyti occupare conatus: In eo Præpoſitus monaſterii Joan-

Rejicitur ab urbe S. Ypol.

nes erat, qui Pontifici obſecutus, Hasleri partibus ſtudebat. Adverſabantur acriter oppidani, duce Wigilejo Fröſchler Officiale Pataviensi cum aliis presbyteris; ùt ex literis poſtea recitandis liquebit. Haslero interim vicina op-

Quod Mathiæ Hung. Regi traditur.

pidi populante, imploratus ab adverſariis Mathias Rex, qui admiſſo iſthuc milite oppidum in deditionem, pignoris nomine, accepit: feruntur militiæ ejus Duces tres eò veniſſe; quorum hæc nomina: Dobuſch, Bozkowiz, Zernachora, quibus Oppidani Sacramentum dixerunt, feſto Simonis & Judæ, ùt habent monimenta monaſterii ibidem. Annales Theologici Academiæ Viennenſis ita referunt: „Ad Occidentem & trans Sylvam babuit Mathias „Rex S. Vitum & Civitatem S. Hippolytum, cujus aggerem altiorem muris „extulerunt; ubi totius exercitûs ſui princeps Thobias de Zernahora Mora„vus reſidebat. Habuit Rex eam civitatem per deditionem & impignora„tionem ex Capitulo Paſſavienſi, quod Cardinali & Imperatori erat contra„rium & Electo adhærebat: habuit ex eadem cauſa & Mauttern ad Danu„bium ſitam urbem, veterem, ex qua munitione facta cenſus aureus Danu„bio imponitur, & hominibus deſcenſus recluditur acerrimè. Ita Annales;

Canonici appellantes manum colligunt.

quorum author ſcribebat Viennæ, quo tempore ea civitas ab Hungaris undequaque concluſa erat. Cæterùm cùm ad vim erupiſſet Haslerus, Capitulares coacti ſunt conducere equites & pedites pro tuitione Caſtrorum Eccleſiæ (verba ſunt continuatoris Schritovini) Miſit Rex Bohemiæ trecentos armigeros equeſtres & pedeſtres; miſit & Georgius Dux Bojariæ quinquaginta equites in tuitionem Caſtri Eberſperg. Ita ille: qui per Regem Bohemiæ Mathiam videtur intelligere; nam ſe Hungariæ ſimul & Bohemiæ Regem appellabat: Uladiſlaus enim, cujus opes in Cæſare ſitæ erant, idémque æmulus Mathiæ rationes ſuas ad mentem Cæſaris componebat.

XII.

1482.

Haslerus civibus denuo actionem intentat. Decernitur eorum proſcriptio. Differtur.

Denique Haslerus ſpe ſua à Pataviensibus excluſus, vehementer inſtabat, excuti aliquando in obſtinatos Imperiale fulmen. Quare cives de integro vocavit in jus, eóque rem promovit, ut ſtatueretur eos ad diem 23. Januarii anno 1482. decreto publico ab Cæſare proſcribi; ſed iis interceſſio quorundam Imperii Principum in bono fuit: horum precibus executio ſententiæ ad tres hebdomadas prorogata, quanquam Capitulares rem omnem ſcenicè agi interpretabantur. Cæterùm in prætorio Cæſareo etiam de Officiariis & miniſtris Eccleſiæ Pataviensis lege actum: placuit eos Haslero obedientes eſſe; quæ ſententia ad eos die 15. Februarii ejus anni 1482. & rurſum die 23. ejus-

Pontifex Cæſarem & Principes ad Haslerum defendendum urget.

dem menſis perſcribitur. Subinde & Pontifex Cæſari per literas die 9. Martii datis exprobrabat, aſperis verbis expoſtulans, quid eſſet, quòd Haslero nondum poſſeſſionem Eccleſiæ defenderet. Et Georgium Bavariæ Ducem & Ordinem equeſtrem ac civitates ſuperioris & inferioris Bavariæ ſingulis ſcriptis convenit, minatus anathema, ſi Cardinali ultrò negotium facere, aut

Obſiſtit Mathias Hung. Rex.

æmulo ejus auxiliari pergerent. Mathias Hungariæ Rex progreſſibus Hasleri, validus interpellator acceſſerat: Is Dominica Invocavit (24. Februarii) Pataviensibus ſolenne ſuum repetiit: ſe Patronum & Protectorem Capituli Pataviensis conſtitutum; admonere cives cautúmque velle, ne judicio Cæſaris,

ſis, quod infirmum eſſet, in recipiendo Cardinale deferrent: hoſtem apertum fore omnibúsque locis impugnaturum, ſi quid ſecùs attentarent: ſibi deliberatum eſſe, per vim etiam tueri electionem à Capitulo factam. Species erat, literas regias, quòd adeò bellè elaboratæ eſſent, à Capitulo Maurkircheriano compoſitas fuiſſe: eos operâ Regis uſos ſubſcribendo duntaxat, ac transmittendo. Sed Pontifex & Cardinalis Regem per literas admonitum, quà rationibus, quà promiſſis à propoſito abduxerunt.

Qui revocatur à propoſito.

XIII.

Patavienſes ad voluntatem Hasleri ſe componunt.

Noviſſimè à Capitulo Maurkircheriano, quod Schardingæ ſedebat, literæ civibus redditæ ſunt Dominica *Lætare* (17. Martii) quibus monebant, uti perniciem Eccleſiæ ante execrationem, proſcriptionem, ac judicium Cæſaris, qui judex competens haud eſſet, haberent: item uti turrim ponè ædem presbyterorum in Oppido Oenano nè extruerent. His tamen inſuper habitis cives objectâ animis potentiâ Cæſaris, adversùm quam ab Capitulo ſuppeterent opes nullæ, die 22. Aprilis anni 1482. per Alexandrum Forlivienſem Epiſcopum Legatum Apoſtolicum, itémque per Præpoſitum Labacenſem Oratorem Cæſareum cum Cardinale transegerunt his legibus: primùm ut clericos omnes inobedientiæ notatos urbe eliminent: in ædibus Canonicorum, ac palatinis loco nihil moveant: circa Pentecoſten Hasleri familiam (non item ejus Capitulum) equis urbem ingredi, atque egredi ſinant: ad extremum etiam Cardinali introitum concedant.

Cunctantes urgentur à Cæſare.

Haslerum Pataviam deducunt.

Confecta res erat; verùm cives metu malorum captare moram: jam enim à Dominica *Lætare* annonæ omnis è Bavaria ſubvectio interciſa fuerat. Cæſar die S. Georgii miſsâ civibus tabellâ ſeverè mandavit, moram omnem abrumpere, neque ad Regem Hungarorum, neque ad alios, qui obſtarent, attendere. Ad hæc Bernardo de Schaftenberg Præfecto ſuperioris Auſtriæ negotium dedit, Haslerum deducendi Pataviam, eíque in præſidium addendi duas equitum peditúmque centurias, ac defendendi eum, ſi res ferret, adversùs præfectum arcis Patavienſis Schwarzenſtainerum; neque antè Pataviâ diſcendendi, quàm rebus omnibus ſedatis. Inter hæc partibus Hasleri acceſſit Otmarus Oberhamer potens Dynaſta ipſa Paſchatis hebdomada.

XIV.

Præfectus arcis hoſtilia denunciat.

Haslerus urbem ingreditur.

Clades à Bavaris & præfecto Arcenſi.

Jam feſtum Pentecoſtes advenerat, quod eo anno celebratum die 26. Maji. Apparatus ad ingreſſum fiebat: templum & cœmiterium Oppidi Ilzenſis, quod pedi arcis ad Orientem objacet, propugnaculis & defenſoribus inſtruebatur: Arcium Præfecti rem ſeriò agi conſpicati miſſo ad cives tabellario hoſtilia denunciant, feria quarta Pentecoſtes. Die Sabbati inſequenti, quæ erant Kalendæ Junii, ſub veſperum Haslerus comitante Schaffenbergio cum ſeptuaginta ſupra centum equitatu, quibus etiam Palatinus & Chriſtophorus Hohenfelder mandato Cæſaris aderant, ingreſſus eſt Pataviam. Cives officium conteſtati vim non modicam obtulêre vini, præterea ludum apparaverant foſſorum ſuo more ſaltantium: aliáque in eum modum adornabant; cùm ecce tibi Bavari vicini inimicitias edere; nemo ullus Pataviâ, ſalvo corpore & rebus, pedem efferre; capi, ſpoliari; Alumni Hoſpitalis, turbáque pauperum ad S. Spiritum, eorúmque vectigales Vilshovium in captivitatem abducti. Ex arce pariter Schwarzenſteinerus non oppidum modò Ilzenſe in cineres redegit, verùm etiam bombardis & grandioribus & vulgaribus in civitatem diſploſis adeò omnia permiſcebat, ut duorum ferè menſium ſpatio, videlicet ad Kalendas usque Auguſti, nemini intra urbem liceret tutò degere: Globi ſaxei grandiores quatuor epiſcopali palatio injecti: perfoſſæ ædes permultæ, violatæ plurimæ. Ingens principiò conſternatio, ob quam juſtitium ſacrorum per triduum fuit.

Cives armis repugnant.

Sed inter hæc cives minimè deſides (uti ſcribit Continuator Schritovini) étiam machinis & bombardis caſtrum inferius fortiter oppugnare ceperunt, adeò ut ex ſeptem machinis, quatuor centenariis projicientes, una die 30. ictibus quaterent, & ſatis ſpiſſos muros perforarent. Hæc ille. Eruptione quoque facta interceperunt nonnulla, quæ Bavari in arcem ſubvehere ſtudebant; in his globum ſaxeum ingentem, qui multis indè annis rei factæ monimentum fuit. Procellæ hunc in modum ſævienti ſubduxit ſe primùm Schaff-

XV.

Haslerus malis afflictus,

Schafftenbergius, Epiſcopo ſua ſibi habere juſſo; Hic cum familia ſexaginta ferè capitum in urbe reſtitit, per literas cum Cæſare de deſertione Præfecti vehementer queſtus; multis etiam verbis collaudata civium fide; cui Cæſar ne deeſſet, orabat: itaque is continuò datis ad Schafftenbergium mandatis imperavit, uti cum turma ducentorum hominum quà equitum, quà peditum, Epiſcopo & civitati in ſubſidium iret; expectatus indies adventus; ſed is non celeritate modò ſed ad extremum etiam effectu caruit: neque interim feriæ ab ignea tempeſtate civibus ullæ datæ, ſic ut Epiſcopus ſemel atque iterum Capitulo ſuo querebundus ſcriberet, conſiliis ſuis nullo loco adeſſe fortunam; animo neutiquam concepiſſe tantam ſævitiam, cujusmodi ne ab Turcis aſperior inferri poſſet. Quanquam autem terror eſſet atrocior clade (nam pauci de civibus vulnerati; tres tantùm ex omni numero interfecti die prima, periculo nondum proviſo) tamen ob pavorem quotidianum atque ærumnas tentata Epiſcopi valetudo, ſic ut deſertus pene ab omnibus, velut in cuſtodia concluſus hæreret. Mareſchalcus ipſius Wolfgangus de Aham ab civibus (incertùm quam ob cauſam) urbem ingredi prohibitus. Alii Epiſcopatus Officiarii ab Haslero deſciſcunt, in quibus Henricus Häring, Joannes Hauzenperger, Joannes Wezendorffer, Joannes de Draswiz, Georgius de Nusdorff Præfectus caſtri Rannariedl, qui omnes unà cum aſſeclis ſuis amicitiæ Hasleri & Wolſgangi Oberhamer per Syngrapham renunciant. Et inopiâ laborabat Epiſcopus, cui ſublevandæ cives ei ſemel, iterum, ac tertiò mutuos dederunt 180. florenos. Rebus ita affectis pacificatio bonis pactis rurſum quærebatur.

XVI. *Pacem tentat. Induciæ conveniunt. Haslerus cives ob fidem collaudat.* Tentata quidem inter partes concordia: Congreſſus ad Vilshovium indictus ad diem 7. Junii, feriam ſextam poſt ſolennitatem Corporis Chriſti: re infecta diſceſſum. Demum Kalendis Auguſti rurſum Vilshovii inſtitutum Concilium: ubi inter partes convenit, ut ad feſtum usque Natalis Domini induciæ fierent. Reſolutâ tantisper curâ Cardinalis mox die tertia Auguſti (feſto Inventionis S. Stephani) publicam conteſtationem, appenſo Epiſcopali Sigillo, edidit, qua profeſſus eſt, cives non ea tantùm, quæ officii fuiſſent, implêſſe; nec admiſiſſe tantùm in urbem, quod tenor ſententiæ Cæſareæ continebat; & honoribus ex decoro affeciſſe; verùm etiam diſcrimen rerum ſuarum, gravémque jacturam per rapinas, incendia, expenſas incurriſſe; quæ promerita cùm & Pontifici & Cæſari acceptiſſima eſſent, eo certè apud ſe loco fore, ut hæc iis accepta ferre, paribúsque gratiis emereri velle, fidem det. Porro rebus ad plenum compoſitis, ſiquidem ſibi quieta poſſeſſio obtingat, tum & homagii cærimoniam ab ipſis ſuſcepturum, reliquáque factu-*Fit transactio.* rum majorum more. Hæc Haslerus. Cæterùm ea demum inventa inter duos æmulos via concordiæ, ut admitteretur in poſſeſſionem Cardinalis, eo pacto, ut Maurkircherus defuncto ſuccederet: quæ omnia accuratè referuntur in literis Sixti Papæ poſtea expromendis.

XVII. *Haslerus iter ad Cæſarem ſuſcipit. Moritur.* Levato paulisper languore Epiſcopus iter ad Cæſarem intendit. Profectus circa diem 20. Septembris ſecundo Danubio, ſed malo rurſum ingraveſcente, cùm prope Mellicium veheretur, ſpiritum exhalavit in ipſa navi die 21. Septembris. Ita Manuſcriptum noſtrum, ex quo rei geſtæ hiſtoriam pene ex integro mutuati ſumus. Quod cùm adeò exactè, minutímque ſingula referat, fidem haud dubiè meretur ante eos, qui de obitu Hasleri ita narrant: eum, dum lintre Danubium trajiceret, vectoris incuriâ naufragium paſſum, itáque undis abſorptum: addunt, corpus ejus die nona ab facto naufragio, aquis ſupernatans prope Viennam inventum, ibidem in Eccleſia B. V. de Ripa honorificè tumulatum eſſe. Hæc illi. Qui fortè cùm legerent, Haslerum in Danubio obiviſſe, interpretati ſunt, periiſſe naufragio: neque enim aliud argumentum promitur. Manuſcripto noſtro ſuffragatur Chronographus Mellicenſis, qui ad annum 1482. ita ſcribit: *Hesler Pataviensſis Antiſtes contractus & ægrotans moritur:* Neque aliud Bruſchius & Hundius, quàm exemtum fuiſſe rebus humanis in Auſtria; à nonnullis tamen dici ſubmerſum. Perperam item ſcribit continuator Schritovini, eum obiiſſe Viennæ; idem tamen

tamen refert inſcriptionem lapidis ſepulcralis in æde B. V. in Ripa, quam & ipſe oculis luſtratam ſtilo in tabellam, tranſtuli quæ ſic habet:

Anno Dom. MCCCCLXXXII. die Sabbathi. XXI. Septembris, in die S. Matthæi Apoſtoli & Evang. Obiit Reverendus in Chriſto Pater & Dominus, Dominus Georgius, miſeratione Divina Tituli S. Luciæ in Silice, SS. Roman. Eccleſiæ Presbyter Cardinalis & Epiſcopus Patavienſis. Cujus anima requieſcat in pace. Amen. Tumulus in Templo B. V. ad Ripam.

In quatuor angulis inciſa ſunt inſignia ejusdem formæ; nempe ſcutum in quatuor areolas diviſum, in quarum ſingulis lepuſculus, videlicet alluſione ad nomen *Hasler*, quod proinde perpetam ab aliis aliter efferri manifeſtum eſt. Conſepulti ſunt eodem anno juxta eum, ſub alio lapide Agatha Mater, Joannésque frater. „Iſte Georgius (verba ſunt Continuatoris) reliquit Eccleſiam „Patavienſem indebitatam 80000. florenorum. Fuerunt impignorata Regi „Ungariæ oppida & arces S. Hippolyti, Mautern, Schwabdorf, Michels- „pach, Rudenberg, Harzing & multa alia; Hæc ille: Sed ſanè hæc nomina non ab Georgio tantùm, ſed potiùs à Canonicis ei adverſantibus contracta fuiſſe apparet.

Refert Wadingus Haslerum faviſſe plurimùm Religioſis viris ex Ordine S. Franciſci, arctiſſimóque conſuetudinis & amoris vinculo conjunctum fuiſſe Joanni Capiſtrano, à quo in pluribus edoctus & ad maxima quæque instructus fuerit; quò factum ut Ciacconius eum arbitratus ſit Capiſtrani diſcipulum. Scripſit Haslerus orationes nonnullas, in publicis congreſſibus habitas, quæ laudem à doctrina ferunt: Epiſtolas item elegantes varii idiomatis ad diverſos datas. Ejus vitam præter Bruſchium & Hundium ſcripſit Auberius; ac noviſſimè Georgius Eggs Purpuræ doctæ lib. 3. p. 232. ex Ciacconio, Victorello, Oldoino & aliis, quos ipſe recenſet.

Tempore Hasleri nempe anno 1480. die 7. Septembris, Viennæ celebrata eſt publicatio erectionis Eccleſiæ Collegiatæ Wiennenſis in Cathedralem præſente Alexandro Forlivienſi Epiſcopo, Sedis Apoſtolicæ Legato; nec non alio Archiepiſcopi Salzburgenſis Legato. Primus Viennæ Epiſcopus renunciatus Leo de Spauer; cui dehinc velut Ordinario civitas Viennenſis & Univerſitas parére juſſa, jurisdictione Patavienſis Eccleſiæ ſublata; juſsíque ſunt per Oratotes Cæſareos feſto S. Mathæi Doctores Univerſitatis, ut ab cauſis in Conſiſtorio Patavienſi agendis in poſterum deſiſtant; eas coram Officiali Viennenſis Eccleſiæ & in ejus Conſiſtorio, ſi liberet, acturi. Publicatio Epiſcopatus Vienn.

EPISCOPUS PATAVIENSIS LV.

Fridericus I.

SUblato maturiùs, quàm ſperabatur, æmulo Fridericus Maurkirchet ad ſedem acceſſit: ità convenerat. Sed Canonicos, qui nuper Haslero ſtuduerant, & quicunque Friderico antehac repugnârant, habebat metus, ne is obtenta poteſtate ulciſceretur ea, quæ per ſtudium partium nuper fuerant geſta: poſſe obtentu Irregularitatis aut cenſurarum, quas pugnando incurrerint, eis facere negotium, beneficiis aut dignitate movere, aut quæſitis quibúsve cauſis in eos exercere rancorem. Timebant item ſpeciatim Canonici, ne ea, quæ ipſi poſt diſceſſionem ad oppidum Welſium rite & Canonicè ſtatuiſſent, per infenſum Præſulem vocarentur in irritum. Ergo ſupplices Papæ rebus ſuis primùm conſulere ſatagebant. Hinc ſcribit Arenpekius, Fridericum magna difficultate confirmationem obtinuiſſe. Obtinuit tamen anno 1482. die trigeſima Octobris, utì claret ex literis commendatitiis Sixti Papæ pro eodem Friderico ad Archiepiſcopum Salzburgenſem, datis anno 1482. 3. Kal. Novemb. Pontificatus anno 12. die verò antecedente id eſt quarto Kalend. Novemb. eidem concedit liberam electionem conſecratoris. Cumprimis autem Præpoſitus S. Hippolyti, cui nuper acre certamen adver- I. 1482. Friderici Confirmatio ægrè decreta.

ſarii moverant, ſibi nihil commodi ſub Friderico ominatus, præſidium ex Pontifice quærebat. Æqua res viſa, ut ne ei obedientia, quam Pontifici præſtiterat, in fraudem verteret. Transmiſſum ad eum Decretum, quo ipſi cæteríſque, qui in eodem metu verſabantur, prolivè cavetur.

II.

Bulla Pontificis in favorem eorum, qui Friderico obſtiterant.

Summa controverſiæ nuper agitatæ.

„ Sixtus Epiſcopus Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.
„ Laudanda Sancte Sedis Apoſtolice rectitudo, que in ſuis actibus provida
„ circumſpectione dirigitur, illos non immeritò ſpeciali favore proſequitur,
„ & ſtatui eorum conſulit, quos facti evidentia deſignante devotos & obſe-
„ quioſos agnoſcit, ut ipſi ad ejus beneplacita promptiores exiſtant, & alii
„ ipſorum exemplo ad ſimilia propenſiùs excitentur. Sanè dudum Eccleſia
„ Pataviensis per obitum bone memorie Ulrici olim Epiſcopi Patavienſis ex-
„ tra Romanam Curiam defuncti, Paſtoris regimine deſtituta, Nos ex certis
„ tunc expreſſis rationabilibus cauſis dilectis filiis Capitulo ejusdem Eccleſiæ
„ diſtrictè precipiendo inhibuimus, ne ad electionem futuri tunc inibi Epi-
„ ſcopi procederent ſub irritanti decreto, ſi ſecùs contingeret attemptari. Et
„ deinde, cùm Capitulum prefatum poſt & contra inhibitionem ac decretum
„ hujusmodi ad electionem tunc futuri inibi Epiſcopi procedentes dilectum
„ filium Fridericum Maurkircher Canonicum Patavienſem utriusque juris Do-
„ ctorem eligere preſumpſiſſent, ac hujusmodi electionis negotium proponi
„ feciſſent in Conſiſtorio coram Nobis; Nos electionem ipſam, utpote poſt
„ & contra inhibitionem predicta attemptatam irritam, prout erat, reputan-
„ tes, eidem Eccleſie de perſona bone memorie Georgii Titulo Sancte Lucie
„ in Silice Presbyteri Cardinalis, de fratrum noſtrorum Conſilio duximus
„ providendum, preficiendo eundem Cardinalem dicte Eccleſie in Epiſcopum
„ & Paſtorem, ac ſub excommunicationis, aggravationis, reaggravationis,
„ anathematis, maledictionis eterne, interdicti, ſuſpenſionis, ac privationis
„ omnium dignitatum, honorum & beneficiorum, nec non feudorum & re-
„ rum emphiteoticarum, ac translationis Capituli & Eccleſie penis omnibus
„ & ſingulis cujuscunque ſtatus, gradus, dignitatis vel conditionis, Eccleſiaſti-
„ ce vel mundane exiſterent, mandavimus, ut dicto Cardinali tanquam Epi-
„ ſcopo Patavienſi obedientiam, & reverentiam debitas exhiberent, prout in
„ diverſis noſtris deſuper confectis literis pleniùs continetur. Poſtmodum
„ verò, ſicut accepimus, dum dictus Cardinalis poſſeſſionem, vel quaſi regi-
„ minis & adminiſtrationis bonorum dicte Eccleſie Patavienſis aſſequi vellet
„ & conaretur, dictus Fridericus ac Decanus, & nonnulli Canonici Patavien-
„ ſes electioni predicte inſiſtentes, proviſioni, literis & mandatis noſtris ſe op-
„ poſuerunt, penas & cenſuras in eisdem Noſtris literis contentas incurren-
„ do: dilecti verò filii Prepoſitus, & quidam alii Canonici, nec non Capel-
„ lani, Vicarii, ac beneficiati nonnulliſque parochialium Eccleſiarum Rectores,
„ nec non & monaſteriorum Abbates, & Prepoſiti Regulares, ac plures Ec-
„ cleſie & Dioceſis Patavienſis ſubditi, Vaſalli & emphiteote ùt obedientie
„ filii, eundem Cardinalem in Epiſcopum Patavienſem & animarum eorun-
„ dem Paſtorem receperunt, & recognoverunt, preſtiterúntque eidem, ut
„ ipſis per nos mandabatur, obedientiam & reverentiam debitas & devotas,
„ ac jura ab eisdem ſibi tunc debita exhibuerunt, nec non ut poſſeſſionem
„ hujusmodi debitè & plenè aſſequeretur, pro poſſe faverunt & aſtiterunt.
„ Aliqui etiam ex eisdem pro Cardinali agentibus ab eis convenienti armo-
„ rum uſu, dum propterea expedire putârunt, minimè abſtinentes contra in-
„ obedientes per nos monitos, ut eundem Cardinalem ad poſſeſſionem hu-
„ jusmodi admitterent & recognoſcerent in eorum Epiſcopum, cum invoca-
„ tione brachii ſecularis proceſſerunt, prout ex tenore dictarum literarum
„ noſtrarum ſibi licere putaverunt, & propterea obedientes Canonici, bene-
„ ficiati, monaſteriorum Prelati ac etiam laici predicti potentiam adverſario-
„ rum inobedientium formidantes coacti fuerunt à monaſteriis, locis, & ha-
„ bitationibus eorum recedere, & alia loca declinare, & ſic ipſi inobedientes,
„ preter alias tam reales quàm verbales ipſis obedientibus illatas injurias, fru-
„ ctus dignitatum ac beneficiorum eorundem obedientie filiorum ſibi uſur-
„ pare

Digitized by Google

„pare & in damnabiles ipſorum uſus convertere non formidârunt, neque „hodie convertere ceſſant: etiam aliqui ex dictis obedientibus non ſolùm „bonis & rebus ſuis propter obedientiam hujuſmodi ſpoliati, verùm etiam in „perſonis ac monaſteriis, Abbatiis, Prepoſituris, dignitatibus, officiis & bene- „ficiis eorum diverſis injuriis, dampnis & violentiis affecti ſunt. Cùm au- „tem durante ipſa tempeſtate dictus Cardinalis poſſeſſionem vel quaſi, regi- „minis & adminiſtrationis bonorum hujuſmodi per eum plenè & totaliter „non habite, ſicut Domino placuit, extra prefatam curiam fuerit vitâ functus, „Nóſque pro quiete ipſius Pataviensis Eccleſie, ac cujuſdam concordie inter „prefatos Cardinalem & Fridericum ſuper ipſa Eccleſia inite, nec non ex cer- „tis aliis rationabilibus cauſis tendamus hodie eidem Eccleſie de perſona pre- „dicti Friderici providere, ipſúmque Fridericum eidem Patavienſi Eccleſie „preficere in Epiſcopum & Paſtorem; & à quibuſdam aſſeratur, aliquos, qui „Cardinali prefato in premiſſis adheſerunt, dubitare, an pro executione „mandatorum noſtrorum ſic adherendo & faciendo in conflictibus interdum „habitis aliquam irregularitatis vel inhabilitatis maculam incurrerint, fue- „rintque per eundem Fridericum, vel ejus pretenſos Officiales ex dictis ſeu „aliis cauſis aliquibus cenſuris, aut penis innodati, vel aliàs involuti, & ob- „tentis per eos beneficiis eccleſiaſticis, feudis, emphiotecis, aut aliis ab ipſa „Patavienſi Eccleſia obtentis bonis privati, & amoti, ab eiſdem ſeu dampnis „vel injuriis aliis affecti; vereantur quoque, ne ipſe Fridericus, poſtquam „Eccleſie prefectus fuerit, occaſione hujuſmodi eorum adherentie ipſos ran- „core & odio proſequatur, ac exquiſitis mediis eos proſequi & malè tracta- „re faciat, atque procuret, nec non ea, que obedientes Canonici poſt trans- „lationem Capituli de Eccleſia ac civitate Patavienſi ad Eccleſiam Sancti Jo- „annis oppidi Wels ejuſdem diocefis capitulariter virtute predictarum litera- „rum noſtrarum rite ac Canonicè tractarunt, fecerunt & conſtituerunt, Fri- „dericus, & ſui complices tunc Nobis ac dicto Cardinali inobedientes juribus „deſtitui, & pro nullis reputari facere preſumant. Nos qui Eccleſie Pata- „vienſis & Capituli, ac ſingulorum tam eccleſiaſticorum, etiam Regularium, „quàm ſecularium predictorum, pacem & quietem ſupremis deſideramus af- „fectibus, & ad hunc ſolum finem principaliter de perſona dicti Friderici „prefate Patavienſi Eccleſie providere intendimus, licet firma ſpe fiduciâque „alliciamur, quòd idem Fridericus omnes & ſingulos, qui pro noſtro & pre- „libate ſedis reverentia prefato Cardinali in premiſſis quomodolibet adheſe- „runt, debeat ſimiliter ob noſtram & ejuſdem ſedis reverentiam paterna cari- „tate complecti, tamen, ut in animis & mentibus eorum quietiores reddantur, „ſtatui eorum, ùt debemus, opportunè providere volentes motu proprio, non „ad alicujus eorum nobis ſuper hoc oblate petitionis inſtantiam, ſed de noſtra „mera deliberatione, & ex certa ſcientia omnes & ſingulos utriuſque ſexus „etiam quavis eccleſiaſtica dignitate preditos, qui vi predictarum literarum „noſtrarum prefato Cardinali in premiſſis quomodocunque & quibuſcunque „mediis adheſerint, aut ei auxilium, conſilium, vel favorem preſtando & in aſ- „ſequenda poſſeſſione predicta aſſiſtendo arma ſumpſerint, ac etiam in aliqui- „bus fortè conflictibus, ubi aliqui mutilati aut interfecti fuiſſent, noſtris pa- „rendo mandatis, & pro conſervanda prefate ſedis obedientia intervenerunt, „nullas propterea eccleſiaſticas cenſuras & penas aut irregularitatis vel inha- „bilitatis maculam ſive notam incurriſſe; omnéſque proceſſus premiſſorum „occaſione ut cauſa contra ipſos mandatis hujuſmodi noſtris obedientes for- „ſan habitorum, quaſcunque cenſuras & penas in ſe continentes, nec non „condempnationes & mulctas quaſcunque propterea latas & inflictas ac ge- „neraliter, quicquid contra tales quomodolibet attemptatum extitit, per „quoſcunque, quavis auctoritate, & preſertim per dictum Fridericum, aut „adherentes ſuos ſe pro Capitulo Patavienſi gerentes ſeu pretenſos Officiales „eorundem nullius roboris & momenti fuiſſe & eſſe Auctoritate Apoſtolica „preſentium tenore declaramus, & pro potiori cautela & mentis eorundem „obedientium quiete ſingulos ex eis, qui forſan in premiſſis aliqualiter ex- „ceſ-

Abſolvit ab omnibus cenſuris, quas fortè incurrerint obſiſtentes Friderico.

„ceſſiſſent, quorum nomina, cognomina, qualitates, & conditiones, nec non
„& illos aggravantes exceſſuum hujuſmodi circumſtantias, ac ſi ſpecificaren-
„tur, preſentibus pro expreſſis habemus, ac hujuſmodi exceſſibus, ac cen-
„ſuris, penis & condempnationibus eiſdem motu, ſcientia, & Auctoritate ab-
„ſolvimus, & totaliter liberamus & cum quolibet eorum ſuper quacunque
„irregularitate premiſſorum occaſione quomodolibet, præterquam propriis
„manibus aliquem interficiendo, contracta, ut clericali caractere inſigniri, vel
„illo jam inſigniti ad omnes etiam ſacros & presbyteratus Ordines promo-
„veri, & in illis ac priùs ſuſceptis Ordinibus miniſtrare, nec non quecunque,
„quotcunque & qualiacunque beneficia eccleſiaſtica cum cura vel ſine cura
„(ſi ſibi aliàs Canonicè conferantur, aut eligantur, preſententur, vel aliàs aſ-
„ſumantur ad illa, vel inſtituantur in eis) recipere, ac quæ jam obtinent, re-

Abolet omnem inhabilitatis & infamiæ notam.

„tinere liberè & licitè valeant, diſpenſamus. Abolemus quoque omnem in-
„habilitatis & infamie maculam ſive notam ex premiſſis forſan provenien-
„tem, eóſque in priſtinum & eum innocentie ſtatum, in quo erant, antequam
„exceſſus hujuſmodi commiſiſſent; nec non ad beneficia eccleſiaſtica, ſecu-

Reſtituit in dignitates & jura.

„laria & quorumvis ordinum regularia quecunque, quocunque, & qualia-
„cunque ſint, que tunc Canonicè obtinebant, ſeu eos in poſterum aſſequi con-
„tigerit, etiam ſi monaſteria, Prioratus, Prepoſiture aut alie dignitates, perſo-
„natus, adminiſtrationes, officia, nec non Canonicatus & prebende in Cathe-
„dralibus etiam Metropolitanis & Collegiatis, & dignitates ipſe in eiſdem Ca-
„thedralibus etiam Metropolitanis poſt Pontificales majores, ſeu Collegiatis
„Eccleſiis hujuſmodi principales, aut etiam Prioratus, vel prepoſiture, ſeu
„alie hujuſmodi dignitates conventuales exiſtant, & ad illa, nec non ſingula
„perſonatus, adminiſtrationes vel officia hujuſmodi conſueverunt, qui per
„electionem aſſumi, eiſque cura immineat animarum, feuda quoque ac em-
„phiteoſes, & alia, quæ ab ipſa Patavienſi Eccleſia legitimè recognoſcebant,
„tenebant & poſſidebant mobilia & immobilia bona, eiſdem motu, ſcientia &

Approbat geſta per Capitulum Haslonianum.

„auctoritate reſtituimus, reponimus & plenariè reintegramus. Omnia pro-
„pterea & ſingula, que Prepoſitus & ceteri, Nobis & dicto Cardinali obe-
„dientes Capitulum ipſius Patavienſis Eccleſie repreſentantes capitulariter,
„aliàs tamen rite, fecerunt, ſtatuerunt ac roborârunt, in quantum commo-
„dum ac neceſſitatem & utilitatem ipſius Eccleſie concernunt, eiſdem motu,
„ſcientia & auctoritate approbamus, ac preſentis ſcripti patrocinio commu-
„nimus; ſupplentes omnes & ſingulos defectus tam juris, quàm facti, ſi qui

Præcipit Friderico ne iis moleſtus ſit.

„forſan intervenerint in eiſdem. Et inſuper prefato Friderico, ac ſuis ad-
„herentibus ſub interdicti ingreſſus Eccleſie, ac ſuſpenſionis à divinis, nec
„non excommunicationis per eos, ſi contrà fecerint, reſpectivè incurrende,
„eo ipſo penis motu, ſcientia & auctoritate ſimilibus inhibemus, ne ipſe Fride-
„ricus, poſtquam per Nos dicte Eccleſie Patavienſi fuerit prefectus, ùt pre-
„fertur, eoſdem Nobis, ac dicto Cardinali tunc obedientes occaſione adhe-
„ſionis predicte, ac dependentium ab eodem per ſe, vel alium, ſeu alios, di-
„rectè vel indirectè, aut novis etiam exquiſitis coloribus in perſonis, dignita-
„tibus, Officiis ac beneficiis, ſeu bonis quibuslibet, verbis aut factis moleſta-
„re, inquietare, vel perturbare preſumant; ſed eoſdem ad dignitates, perſo-
„natus, adminiſtrationes, officia ac beneficia tam ſecularia quàm regularia,
„nec non feuda, emphiteoſes & alia bona, ſeu mobilia atque immobilia, ac
„plenam fructuum illorum perceptionem redire, & illis frui liberè permit-
„tant, omniáque & ſingula eis dicto tempore eorum obedientie ablata bona
„reſtituant, ac de injuriis & aliis dampnis eiſdem à quibuſcunque Eccleſia-
„ſticis ſeu ſecularibus perſonis, quomodocunque & qualitercunque illatis, ſa-
„tisfaciant, & ab aliis reſtitui & ſatisfieri mandent, atque procurent. Et ni-
„hilominus Friderico, ac ſuis adherentibus predictis in virtute ſancte obedien-
„tie injungendo mandamus, ut obedientes predictos utpote - - - -
„benignè recipiant, & pertractent, ac favoribus proſequantur oportunis, de-
„cernentes ex nunc irritum - - - - ſi ſecùs ſuper his à quoquam,
„quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter, contigerit attemptari. Quo-
„circa

„ circa Venerabili fratri Noſtro Archiepiſcopo Salzburgenſi ac
„ filio Abbati Monaſterii Beate Marie Seotorum Ordinis S. Benedicti Wienne,
„ ac Prepoſito Ecleſie Wiennenſis per hec Apoſtolica ſcripta, motu, ſcientia,
„ & Auctoritate predictis ſimiliter mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut
„ unus eorum per feudalium, ſeu alios premiſſa omnia & ſingula, ubi, quan-
„ do, & quoties expedire putaverint, & per aliquem obedientium predicto-
„ rum ſuper hoc legitimè fuerint requiſiti, ſolempniter publicantes faciant
„ Auctoritate noſtra omnia & ſingula per prefatos obedientes Canonicos pre-
„ fate Patavienſis Ecleſie Capitulum repreſentantes capitulariter, & alias rite
„ geſta concluſa, roborata, firmata, & acta, ùt prefertur, cùm opus fuerit, ab
„ omnibus obſervari, ac eisdem adherentibus ab omnibus prenarratis pro re-
„ verentia, quam quilibet eorum gerit ad prelibatam ſedem, efficacis defen-
„ ſionis auxilio & favoris preſidio aſſiſtentes illis ex eisdem adherentibus, qui
„ pro ſerenitate conſcientiarum ſuarum humiliter petierint ſimilem abſolu-
„ tionem ſpecificè & nominatim dicta Auctoritate Noſtra pro hac vice dun-
„ taxat impendant in forma Ecleſie conſueta, injunctis ſibi pro modo culpe
„ penitentia ſalutari, & aliis, quæ de jure fuerint injungenda, ac cum eisdem
„ ſuper irregularitate quacunque ex premiſſis proveniente modo premiſſo di-
„ ſpenſent, aboleántque omnem inhabilitatis & infamie maculam ſive notam
„ premiſſarum occaſione forſan contractam, ac reſtituant eos in integrum, ùt
„ prefertur, ac faciant ſingulos ſic reſtitutos reſpectivè pacifica poſſeſſione &
„ fructuum ſuorum libera perceptione potiri & gaudere, amotis quibuslibet
„ illicitis detentoribus ab eisdem, ac de fructibus, redditibus, & proventibus
„ eis dictis temporibus indebitè ablatis, quos eis reſtitui volumus, ac pro
„ dampnis & injuriis illatis debitam ſatisfactionem impendi; & non permit-
„ tant eos, aut aliquem eorum, contra harum literarum tenorem & formam
„ quomodolibet inquietari, moleſtari, vel perturbari: Sed quoties ipſis, vel
„ eorum alicui legitimè conſtiterit, aliquem dictorum Friderici, ac ſibi adhe-
„ rentium contra hanc inhibitionem noſtram temere aliquid temptaſſe, vel
„ preſumpſiſſe, talem nominatum & in ſpecie præmiſſis ſententiis & cenſuris
„ reſpectivè ligatum publicè nuntient, faciántque ab aliis nunciari, ac omni-
„ bus arctiùs evitari, legitimiſque ſuper his habendis ſervatis proceſſibus illis
„ iteratis vicibus aggravatis procurent. Super quibus omnibus & ſingulis
„ eisdem delegatis noſtris plenam & liberam concedimus facultatem, etiàm
„ citandi per edictum, ſi ad Fridericum & ſuos adherentes predictos, aut
„ quosvis alios pro preſentium aut earum vigore factorum proceſſuum inſi-
„ nuatione tutus non pateret acceſſus; preſentibus tamen literis in duobus
„ aut pluribus locis circumvicinis & de quibus ſit veriſimilis conjectura, quòd
„ ad Friderici & ſuorum adherentium & aliorum prædictorum notitiam poſ-
„ ſint pervenire, priùs publicatis. Qua publicatione eosdem Fridericum &
„ adherentes coarctari volumus, ac ſi per preſentes & deſuper habendos proceſ-
„ ſus illis perſonaliter ac præſentialiter inſinuati & òſtenſi fuiſſent. Contra-
„ dictores quoque & rebelles per cenſuram Ecleſiaſticam & alia opportuna
„ juris remedia compeſcendi, nec non ſi opus fuerit, ſeculare brachium invo-
„ candi, aliáque in premiſſis & circa ea neceſſaria, ſeu quomodolibet opor-
„ tuna faciendi & exequendi: Ac etiam ſi dictus Fridericus, aut adherentes
„ ſui predicti, vel quicunque alii mandatis eorundem delegatorum noſtrorum
„ ymò veriùs noſtris acquieſcere, & illis ſe obtemperare contempſerint; eos-
„ dem obedientes ab omni jurisdictione, ſuperioritate, dominio, obedientia,
„ & poteſtate Friderici, & ei adherentium predictorum Auctoritate noſtra
„ eximendi & penitus liberandi; ita quòd ex tunc in antea Friderico & ſuis
„ adherentibus ratione contractus aut rei, de qua ageretur, ſeu delicti vel loci,
„ in quo contractus initi, ſeu delictum commiſſum forent, aut res ipſa con-
„ ſiſteret, nullatenus ſubſint; nec non ſingulis eorundem obedientium, de
„ fructibus, redditibus & proventibus Canonicatuum & prebendarum, ac di-
„ gnitatum, perſonatuum, adminiſtrationum & officiorum, ſingulorúmque
„ aliorum beneficiorum Ecleſiaſticorum in abſentia ipſorum integraliter mi-

Deputat executores hujus Decreti.

Quibus poteſtatem dat denunciandi cenſuras contra Fridericum aut ejus adhærentes, ſi quid ſecùs attentent.

„niſtrari faciendi, non obſtantibus premiſſis ac Conſtitutionibus & Ordina-
„tionibus Apoſtolicis, preſertim pie memorie Bonifacii Pape VIII. Predeceſ-
„ſoris noſtri, qua cavetur, ne quis extra ſuam civitatem vel dioceſim (niſi in
„certis tunc exceptis caſibus, & in illis ultra unam dietam à fine ſue dioceſis)
„ad judicium evocetur, ſeu ne judices à ſede deputati prefata extra loca, in
„quibus deputati fuerint, contra quoscunque procedere, ſeu alii, vel aliis ſuas
„vices committere, ſeu aliquos ultra unam dietam à fine Dioceſis trahere pre-
„ſumant, & de perſonis ultra certum numerum ad judicium non vocandis,
„contrariis quibuscunque: aut ſi Friderico, ejúsque adherentibus prefatis,
„vel quibuscunque aliis communiter, vel diviſim à dicta ſit ſede indultum,
„quòd interdici, ſuſpendi vel excommunicari, aut extra vel ultra pia loca
„trahi non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam,
„ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Preterea, quia
„difficile foret, preſentes literas Noſtras ad ſingula loca & ad ſingulorum in-
„ſtantiam, quos preſens tangit negotium, transferre, in quibus de eis forſan
„fides foret facienda; motu, ſcientia, & Auctoritate prefatis volumus atque
„decernimus, quòd ipſarum tranſumpto manu publici notarii ſubſcripto, &
„ſigillo alicujus Epiſcopalis Curie, vel alterius Prelati Eccleſiaſtici munito
„plena fides adhibeatur, ac ſtetur in omnibus & per omnia ac ſi preſentes
„Noſtre litere exhibite forent vel oſtenſe. Nulli ergo omnino horum liceat
„hanc paginam Noſtre declarationis, abſolutionis, liberationis, diſpenſationis,
„abolitionis, reſtitutionis, ſuppletionis, inhibitionis, conſtitutionis, mandati,
„conceſſionis, voluntatis & Decreti infringere, vel ei auſu temerario contrai-
„re; ſi quis autem hoc attemptare preſumpſerit; indignationem Omnipoten-
„tis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſu-
„rum. Datum Rome apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Domini-
„ce, milleſimo, quadringenteſimo, octuageſimo ſecundo, tertio Kalendas
„Novembris, Pontificatus Noſtri anno duodecimo.

Decreto Pontificis ſe tuetur Præpoſitus S. Ypoliti.

Hoc præcepto munitum S. Hippolyti Præpoſitum, auſus tamen aggredi Wigileus Fröſchler Officialis Patavienſis, quem aliàs memoravimus Hasleri partibus acriter adverſatum. Hic nuperni diffidii reliquias in Præpoſitum expromere, januas effringere, ſpoliare eccleſiis, bonis, atque omnibus modis afferre vim accuſatus. Neque his contentus, hoc etiam apud novum Præſulem perfecit, ut Præpoſitus Pataviam citaretur: cúmque is ad Pontificem Sixtum ejúsque Legatum per Germaniam Bartholomæum Caſtellanum Epiſcopum appellando ſe defendiſſet, contorta nihilominus in eum à Friderico Patavienſi dira ſententia. Sed ei Legatus in ſubſidium venit, cognitione cauſæ Chriſtoffero Abbati Scotorum, item Leopoldo Frantz Vicario Viennenſi mandata per inſtrumentum, datum in Gretz, Saltzeburgenſis dioceſis, anno Incarnationis Dominice milleſimo quadringenteſimo octogeſimo tertio, ſeptimo idus Januarii. Cognitores emiſſis ad Wigileum Fröſchler ejúsque complices literis citatoriis jubent, uti die vigeſima quarta poſt promulgatam citationem in Curia Epiſcopali Wiennenſi ſive in domo Abbatiali Monaſterii Scotorum compareant in judicio per ſe vel Procuratorem, reſponſuri Joanni Præpoſito. Datum & Actum Wienne in Stuba majori Curie Epiſcopalis Wiennenſis ſub Anno à Nativitate Domini Milleſimo quadringenteſimo octogeſimo quarto. Indictione ſecunda, die verò octava menſis Marcii. Pontificatûs Sanctiſſimi in Chriſto Patris ac Domini Noſtri Domini Sixti divina providentia Papæ quarti, anno tertio decimo &c.

De exitu judicii compertum non habemus: illud veriſimile, rem amicè

III. 1483. Contentio Epiſcopi cum Abbate Formbacenſi.

compoſitam, quòd cauſa Præpoſiti, rationibus Papæ & Cæſaris eſſet innexa. Similis contentio exarſit inter Epiſcopum & Abbatem Formbacenſem, de qua refert Scriptor Synchronus, idémque poſtmodum Abbas ejusdem Monaſterii, Angelus Rumplerus, ex quo & Hiſtoriam contentionis Haslerianæ compendio confirmatam audire juverit. Ita ſcribit: „Udalrici Epiſcopi mortem
„ſecuta ſunt infinita mala tum aliàs, tum in epiſcopatu. Nam etſi Canonici
„elegiſſent quendam è ſuo gremio Fridericum ſcilicet Mauerkircher, Cæſar
„tamen

„tamen alium, Häsler nomine, illi prætulit. Confirmationem obtinuit Fri„dericus: Häsler & confirmationem & conſecrationem, ita ut Epiſcopus „haberi poſſet. Sicque diſcordia inter illos orta eſt: Civitas omnis Häsler „favebat & Cæſar: Canonici Friderico. Fridericus nihil moratus charitati„vum ſubſidium tum à Prælatis, tum à Plebanis exegit. Exactio hæc primò „facta eſt primâ Septembris Anno 1483. Impoſita ſunt Monaſterio noſtro „trecenta talenta pecuniarum: & inprimis literis cenſuræ Eccleſiaſticæ ſunt „poſitæ. Non his territus Abbas publicè proteſtatus eſt ſe non daturum. „Verumtamen non fuit otioſus Fridericus; mandavit Sigismundo Forſtho„ver Officiali, ut ſententiam excommunicationis publicaret in Abbatem & „reliqua: Narrat author, ùt Abbas appellationem interpoſuerit; qua tamen ab Epiſcopo non ſuſceptâ, ſententia lata ſit; indè Abbas profectus Romam, ibidémque abſolutus ad cautelam, ùt loquuntur, Epiſcopo litem intenderit: Citatio valvis Eccleſiæ Patavienſis affixa; ab Officiali (ſic inquit eum vocitant, qui vices Epiſcopi gerit) decerpta: nihilo tamen minus lis incepta Romæ: Fridericus ter ad judicium vocatus, cùm non comparuiſſet, nihilominus 1484. proceſſum eſt. Diu itaque diſceptatione habita nullo præſente qui reſponderet, demum unus affuit, qui mandatum oſtendit, quod generale vocant: ſed quum plus, quàm debuerant, ſiluit, ſententia judicialis prolata eſt. Verùm qui adverſabatur, appellavit ad alium Auditorem; nec tamen appellationem exequi potuit, quum ſubitò nunciaretur, Fridericum & electum & confirmatum diem obiiſſe. Hactenus Rumplerus; qui addit, eos qui nomine Monaſterii miſſi fuerant, privilegiorum ſingulorum confirmationem & novam exemtionem ab Innocentio Papa VIII. impetráſſe, quantumvis renitente; quippe quòd non eſſet facilis in concedendis privilegiis. Inierat Pontificatum Innocentius VIII. anno 1484. 4. Kal. Septemb. Succeſſor Sixti IV. die idus Auguſti defuncti.

Fridericus ſuſcepto etiam Epiſcopatu Patavienſi permanſit in Cancellaria Bavariæ Ducis usque ad vitæ ſuæ finem; quæ ſunt verba Arenpekii. Rarò itaque Pataviæ verſatus, à civibus ùt hoſte reconciliato ſibi cavendum intelligens, ùt nonnemo alius ſcribit. Illud tamen inſigne in tem Eccleſiæ conatus, quòd Auguſtinum quemdam Epiſcopum, Huſſitarum hæreſis inſtauratorem ad frugem reducere inſtituit, quâ de re Raynaldus ad annum 1485. num. 18. IV.

Fridericus conatur reducere Auguſtinum Epiſcopum hæreſis Huſſiticæ inſtauratorem.

„In Bohemia, inquit, recruduerat Huſſitarum hæreſis, ſuperioréque „anno magnæ cruentæque Catholicorum ſtrages editæ fuerant: quorum „malorum auctor extiterat Auguſtinus olim Epiſcopus Sanctuarienſis natione „Italus, qui inanis glorioſæ titillatione commotus, ſepultos jam Conſtan„tienſis & Baſilienſis Conciliorum auctoritate errores inſtaurat: cúmque „ementita ſe poteſtate inſtructum jactaret, nec non à Romana Eccleſia ſacris „Pontificalibus initiatum, tum plures Bohemos ſacerdotio inſigniviſſet, ſe„ctam ampliſſimam conflârat, ac rudes populos hypocriſis pompa allectos „erroneis opinionibus irretierat. Qui poſtea cùm tot ſcelerum conſcientiâ „agitaretur, ad ſaniorem mentem deſignati Epiſcopi Patavienſis conſiliis re„vocari viſus eſt. Qua de re factus certior Pontifex clementiâ uſus veniam „eſt pollicitus, modò ex Bohemia, ne eam ulteriùs inficere pergeret, exceſ„ſurus eſſet: eo enim ad Romanæ Eccleſiæ caſtra traducto ſubornatos popu„los faciliùs Catholicam veritatem amplexuros, cùm ducem ac ſigniferum „factionis ſuæ, dogmatúmque impiorum aſſertorem amiſiſſent, proinde Pa„tavienſi Præſuli dedit mandata, ut illum omni ſtudio ad Eccleſiæ gremium 1485. „allicere niteretur.

Electo Pataviensi.

Literæ Pontificis ad Pataviensem, ut Auguſtinum in viam revocet.

Intelleximus, quæ nuper venerabili fratri & dilecto filio noſtris Marco Epi„ſcopo Præneſtino S. Marci, & Franciſco S. Euſtachii Senenſi Cardinali„bus ſerioſè ſcripſiſti ſuper negotio illius filii iniquitatis Auguſtini olim „Epi-

„Epiſcopi Sanctuarienſis. *Laudamus prudentiam tuam & pietatem, reverentiam, ac obſervantiam, quibus hanc Sanctam ſedem in hac re proſequi videris, plurimùm commendamus & in primis probamus, quòd literas & nuncios ejusdem olim Epiſcopi admiſeris, & eis prudenter reſponderis.* „Placet, ut in tractatu
„ſecum perſeveres, fortè quòd Deus, qui Paulum ex Saulo fecit, nunc teti-
„git cor illius, & ab ejus oculis erroris ſui ſquammas miſericorditer remove-
„bit. Magna ſunt, ùt noſti, quæ hic vir in Eccleſia Dei mala perpetravit:
„plus valuit hic fovendo hæreſes ſolo anno, quàm duo generalia Concilia, &
„multi Romani Pontifices per multa ſecula ad ejusmodi incendia extinguen-
„dum, Huſſitas pene eliminatos ſuis machinationibus inſtauravit, conſulen-
„do, hortando, monendo ſua ementita auctoritate in dampnata opinione
„confirmavit, & (quod pernicioſius eſt) multos in ſacris Ordinibus profa-
„nando Bohemiæ Eccleſiam mirabiliter afflixit. Non poſſumus non vehe-
„menter dolere, cùm illatam miſerabilibus Catholicis anno ſuperiori cladem
„memoria repetimus, poteſt tamen Deus, ùt dicit ſcriptura, ex lapidibus iſtis
„ſuſcitare filios Abrahæ, ut medelam ferat indè, hoſtis unde læſerat; cenſe-
„mus publicæ utilitati expedire ut hic homo ex regno illo extrahatur; nam
„per eum hæreticorum conſilia & machinationes cognoſci poterunt, & ſi
„aliud nihil erit, non erit parùm, Ducem & aſſertorem dogmatum ſuorum
„illis abſtuliſſe. Multum enim indoctum vulgus movet, & quòd Epiſcopus
„eſt, & quòd Italus & à Romana Eccleſia conſecratus à nobis exivit; non
„putant idiotæ, & qui Magiſtrum auribus ſuis prurientem nacti ſint ab hu-
„jusmodi homine quidquam afferri poſſe non verum: qui cùm illum ad Or-
„thodoxos defeciſſe videbunt, ad percipiendam veritatem magìs reddentur
„idonei & ſaltem Duce privati plurimùm ex conſulta ferocia dimittent;
„quare devotionem tuam monemus atque hortamur in Domino, ut Augu-
„ſtinum præfatum omni ſtudio ad te allicias, & ſi ad te venerit, benignè
„ſuſcipias &c. Datum Romæ die XXII. Januarii MCCCCLXXXV. Pontifi-
Nullo fructu. „catus noſtri anno I. Hucusque epiſtola Pontificis; qua ſtimulatus Fridericus, quid porro effecerit intelligitur ex Dubravio, qui refert Auguſtinum illum, ſenem, avarum, & delirum ad vitæ obitum in perfidia perſtitiſſe animámque exhalaſſe cum dicto: ſi non poſſum ſalutem aſſequi ùt bonus Chriſtianus, ſaltem ſervari queam ùt bonus Marranus (id eſt Mahometanus)
Obitus Friderici. quaſi bonus Marranus usquam locorum inveniatur. Sed Epiſcopum Fridericum anno 1485. mors felicior extulit in die S. Cæciliæ, teſte Arenpekio, id eſt 22. Novembris, proinde non 3. Kal. Decembris, ùt ſcribit Hundius, ſed 10. Kal. Decembris: obiit in oppido Landshut cum magna devotione (verba ſunt laudati Arenpekii) humatúsque eſt apud parentes ſuos in Brawnau.

V. Alia de Friderico. De eo Continuator Schritovini ſcribit coactum fuiſſe ſolvere integram Annatam, ùt vocant: item in manuſcripto meo inter alia adnotatur, mutuos à civibus Patavienſibus accepiſſe mille & quingentos florennos fundis quibusdam & bonis in hypothecam datis: item cives ei dono dediſſe vaſa quædam argentea inaurata pretio 100. Florenorum: denique primo Epiſcopatûs ejus anno in viatica, donaria, rem militarem cives feciſſe ſumtum quatuor millium ſexcentorum octoginta florennûm; quare civitas coacta fuerit ſumere mutuos ſexies mille florenos.

Leopoldus pronunciatur *Sanctus.* Glorioſum Eccleſiæ Patavienſi pignus obtigit anno 1485. quo pius Marchio Leopoldus Sanctorum Albo ſolenniter adſcriptus eſt ab Innocentio VIII. qui Bullam conſecrationis edidit eodem anno, octavo idus Januarii, id eſt ipſa Epiphaniæ luce, quo ſatis aliquando Religioſis Auſtriorum votis factum, bene penſata Pontificum Patavienſium collocata hanc in rem opera. Et ſpes erat novo Patrono levandam aliquando malis publicis provinciam, cui infeſtus plures annos imminebat Hungarus. Hamburgum, Leithopontem, aliáque infra ſupráque Viennam oppida jam ſubegerat Mathias Rex; Viennam urgebat fame, cujus ad extremum populus intolerans, cùm nihil opis ab Cæſare ſeu in Belgium intento, ſeu auxiliis Bohemicis & Polo-

Polonicis fruſtra confiſo afferretur, deditionem fecit. Rex ipſis Junii Kalendis urbem ovans ingreſſus eſt, in qua regiam aliquot abhinc annos habuit. Sed divi Leopoldi mentio flagitat, ut proferantur etiam verſus, Sancti ſarcofago inaurato tunc inſculptos, quos in Codice vetuſto manuſcriptos reperi. Sic: *MS. Bibl. Cæſar. Hiſt. Prof. num. LXXII.*

Auſtriaco Princeps fueram Leopoldus in orbe,
Juſtitia populos & pietate regens.
Hoc ego fundavi Divino munere templum,
Flammeolo ſignum dum mihi ab arce datum eſt.
Innocuus Papa Octavus dum ſederat Urbe,
Tertius & Cæſar dum Fridericus erat.
Hi juſsêre mei transferri corporis artus,
Atque inter Sanctos me retulêre viros.
Ut vota exciperem, quæ totus dat mihi mundus,
Nec ſinerem caſſas ullius eſſe preces.
Mille quadringentis quinque octuaginta peractis,
Prepoſitúsque loci tunc Joannes erat.
Jacobus hec fecit compleri candida buſta
Prepoſitus: Sculptor dux Joannes erat.

EPISCOPUS PATAVIENSIS LVI.
Fridericus II.

CLariſſima Comitum ab Oeting, regiis quoque & Imperatoriis cognationibus, præterea Pontificalibus infulis ornata Domus Fridericum edidit: parentem ſignant Wilhelmum, & Beatricem Pauli Scaligeri Veronæ & Vincentiæ Principis filiam; frater natu major Wolfgangus: minor Joannes, qui Maximiliano Principi in Belgio merens, multa ſtrenua facinora fecit, in Ordinem aurei velleris idcirco cooptatus. Horum natu medius Fridericus ætate nondum adulta, ſed ob indolem, præterea ſtaturam formámque corporis elegantem in ſpes magnas idoneus operâ Bavariæ Ducis poſtulatus eſt in Epiſcopum: quæ ùt evenerint, paucis expediam. I. 1485. Nobilitas.

Poſt obitum Maurkirehii reſtituta electionis copiâ Capitulares id agebant ut ne rurſum civibus, quod nuper acciderat, occaſio daretur diſcedendi in partem; itaque novos creari ſenatores, & juramento ſibi fidem ſanciri cupiebant: Sed repulſam ab civibus paſſi, rem eatenus inauditam, ut vacante ſede jurarent, cauſantibus. *Conſilium Capituli de civibus in officio continendis.* Interim Georgii Bavariæ Ducis Legati Pataviam die 25. Novembris appulerunt, qui ita dicebant: quoniam Bavariæ Principes Eccleſiæ & Epiſcopatus Patavienſis fundatores extiterint, eorúmque permultum interſit, rationes ejus Eccleſiæ ſalvas conſiſtere; ſuarum eſſe partium ducere, ut ejus commoda omni ope & ſtudio promoveant. Hæc palam præferebantur: cæterùm occultè omni arte tendebant pro Friderico Oetingio; id quod eos haud fefellit: nam eodem anno 1485. die ſecunda Decembris electus & poſtulatus eſt in Epiſcopum: eodémque die Georgius Dux cum Wolfgango Electi fratre, & manipulo triginta equitum Pataviam venit; die ſequenti ſuis ipſe manibus in ara collocavit, ſolenníque liturgiæ uterque propalam adſtiterunt. *Electio.* Magnam ſui expectationem concitaverat indoles Electi, cui tamen eventum minùs reſpondiſſe ferunt. *Minus reſpondet expectationi.* Etenim cùm res Eccleſiæ præteritis calamitatibus penè procubuiſſent, ſpes erat eum fore, qui gratiâ Principum & opibus domeſticis eſſet eam recreaturus; erátque frater Wolfgangus, qui fidem dederat pro penſione Romana (Annatas appellant) ſatis ſe facturum & confirmationem ſine jactura & damno Eccleſiæ vel Capituli impetraturum (ita habet laudata toties Schritovini appendix) & jam miſſos ait ex Capitulo fuiſſe pro his expediendis ad Curiam Romanam Legatos, qui tamen in Roſenheim Bavariæ oppido fuerint intercepti, Pata-

viámque remiſſi, offenſione neſcio qua inter Epiſcopum & Bavariæ Ducem repentè exorta. Cæterùm electionem Friderici ratam habuit Innocentius VIII. anno 1486. 15. Februarii, ùt liquet rurſum ex commendatitiis Papæ ad Salzburgenſem pro Friderico datis anno dicto die 15. Kal. Martii Pontificatus anno 2. Ipſum porro Fridericum ajunt animum ad pompam potiùs & apparatum domeſticum ac luxum quàm Eccleſiæ curam intendiſſe.

1486. Confirmatur.

II. Anno 1486. menſe Februario cum aliis Germaniæ Magnatibus adfuit Francofordiæ ſolennibus Comitiis, in quibus Maximilianus renunciatus eſt Romanorum Rex die 16. Februarii: tractatum iſthic de conferendis in bellum Hungaricum ac Turcicum ſubſidiis. Copiæ in Mathiam Auſtriæ detentorem corrogatæ. De bello Turcico datum negotium Wirciburgenſi & Patavienſi Epiſcopis, uti cum Nuncio Apoſtolico Urſino conferrent capita. Ante Comitia diſſoluta Fridericus Epiſcopus diſceſſit Auguſtam, ubi mortuo Joanne Werdenbergio ejus urbis Epiſcopo de Succeſſore laboratum. Quinque Bavariæ Duces eò convenerant, qui pro Ruperto itidem Bavarici generis Duce nitebantur: Huic etiam Fridericus Patavienſis ſtudebat, neceſſitudine cum Bavaris: ſed prævaluit commendatio Imperatoris & Principum, qui nunciis eodem allegatis impetraverunt eligi Fridericum Comitem de Hohenzollern, feria 2. poſt Palmarum, quæ fuit dies 20. Martii.

Intereſt electioni Maximiliani Regis Roman. Adhibetur in deliberationem belli Turcici. Miſcetur negotio electionis Ep. Auguſtani.

1487. Multam partem cum Bavariæ Ducibus verſatus videtur Patavienſis: nam & anno ſequenti 1487. menſe Januario in urbe Monachio ſe ſtitit ad honeſtandam Himenæi lætitiam, quæ iſthic inter Albertum Ducem & Kunegundem Imperatoris filiam agitabatur: eam Dux ignaro Cæſare ex Tiroli, ubi perfugii cauſa ob Auſtriam ab Hungaro occupatam morabatur, abduxerat, & verò etiam invitiſſimo, ubi id reſciit. Excepta eſt Sponſa ab Epiſcopis Patavienſi & Friſingenſi, qui eam honeſtiſſimo comitatu deduxêre in urbem feria 3. poſt Epiphaniam, id eſt die 9. Januarii.

Excipit Monachii Kunegundem ſponſam Ducis Bavariæ, Cæſaris filiam.

III. Eodem anno 1487. feſto S. Thomæ Fridericus Epiſcopus ſolenni pompa Pataviam urbem ingreſſus eſt: adventabat ab oppido Vilshovio ſtipatus manu equitum 150. Erant in comitatu Wolfgangus ejus frater, Comes ab Oeting, Eberhardus Comes de Wirtenberg, Ludovicus Landgravius Leichtenbergæ, præterea domeſtici quidam è Senatu Georgii Ducis. Procedenti ab Cœnobio S. Nicolai versùs urbem præferebantur quinque Bullæ Pontificiæ; indè pro porta palatina exceptus à civibus, qui ſalutem officioſiſſimis verbis impertiti, obſequiúmque polliciti, feſtivam hominum ſeriem utrinque diſpoſuerant; hinc viros quingentos, quos loricæ ferreæ tegebant; cum adoleſcentibus uno & viginti genialiter veſtitis: indè matronas ac Virgines ſpecioſo cultu; mane poſtero oblata Epiſcopo xenia; item fratri ejus Wolfgango: viciſſim expoſita civibus transactio fœderis, in quod Epiſcopus & Capitulum cum Duce Georgio convenerit; in ejus partem etiam cives adſcripti erant: id modò petebatur ex iis, uti Sacramentum Georgio Duci perinde atque Epiſcopo facerent: inſueta res recuſata ab civibus; uni Epiſcopo juraſſe hactenus, præterea nemini; cum unum agnoſcere Dominum: neque amplius impetratum. Itaque die profeſto Natalis Domini juramentum Epiſcopo conceptâ formulâ perſolutum.

Solemnis ejus ingreſſus in Urbem Patav. Cives recuſant jurare Duci Bavariæ.

IV. Illud egregium eodem anno 1487. Epiſcopus inſtituit, uti feſtum S. Leopoldi Confeſſoris per Diœceſim Patavienſem cum IX. lectionibus celebraretur; ita refertur in antiquo Breviario Patavienſi. Alterum quoque laudatum, quòd Cœnobitis Formbacenſibus, quos Deceſſor exagitaverat, pacem indulſit: de quo Rumplerus aliàs memoratus: Fridericus, inquit, de Comitibus ab Oeting, exactionem illam, quod charitativum ſubſidium vocant, monaſterio non impoſuit; verumtamen non diu ſupervixit. Hæc ille.

Inſtituit cultum Canonicum S. Leopoldo.

1490. Nondum Epiſcopus Regalia ab Cæſare obtinuerat: ingratiis namque ejus ad Epiſcopatum pervenerat; fœdúsque cum Bavariæ Ducibus, quibuscum Cæſari ſimultates erant, arctum pepigerat: demum anno 1490. congreſſus inter Fridericum Cæſarem & Maximilianum filium Lincii ſuperioris Auſtriæ Metropoli inſtitutus ad feſtum Purificationis; eò Bavariæ Duces quin-

Gratiæ Cæſaris reſtituitur.

quinque, cum Patavienſi & Friſingenſi Epiſcopis acceſſerunt: ibi Capitulo & Epiſcopo reddita Cæſaris gratia; huic etiam Regalia collata. Nihil jam deerat, niſi ut partis frueretur: valebat corpore; cùm ſubitò proſtratus morbo (ſuſpicio erat veneni à fœmina propinati) ſoluta alvo ita elanguit, ut quinque hebdomadum ſpatio manuum pedúmque uſu omni careret: demum extinctus die tertia Martii; corpus Pataviam revectum multóque luctu è portu Danubii in Sancti Stephani baſilicam deductum, terræque redditum eſt juxta altare S. Georgii cum tali epigraphe: *obtinet Regalia.* *Moritur.*

Anno MCCCCXC. tertia die Martii obiit Reverendus Dominus Fridericus ex Comitibus de Oetingen poſtulatus & Confirmatus Eccleſiæ Patavienſis, hic ſepultus.

Neſcio quam ob cauſam ei cum Georgio Bavariæ Duce diſcordia ſuborta ſit: ita enim ſcribit Continuator Schritovini: ex indignatione, inquit, Georgii Ducis erga dictum poſtulatum, caſtrum Rennarigl ab Eccleſia alienatum fuit, & debita contracta ultra quindecim millia florenorum. Sedit annis IV. menſibus III. Sacris nullis initiatus.

Suffraganeus Friderici fuit Andreas Ep. Conſtantienſis, qui dedicavit parochiam & cœmiterium in Geuſarn cum quatuor altaribus. Dominica ultima Septembris Anno 1487. Dedicationem majoris aræ conſtituit celebrari Dominica proxima poſt Nativitatem Mariæ. Addidit indulgentias viſitantibus Eccleſiam certis diebus.

Alter Suffraganeus fuit Albertus, cujus extant literæ cum hoc titulo: Albertus DEI & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Salonenſis Friderici poſtulati & confirmati Patavienſis in Pontificalibus cooperator: teſtatur ſe conſecraſſe altare in honore S. Leopoldi, Oswaldi & Cholomanni in monaſterio S. Ypoliti ad petitionem Oswaldi Præpoſiti anno MCCCCLXXXIX.

Officialis Friderici apud Pataviam erat Wigileus Fröſchel aliàs memoratus, qui id officii geſſit ad obitum Friderici Epiſcopi; poſt quem evectus eſt ad Decanatum in locum Chriſtophori Schachneri ad infulam promoti.

Alter Officialis Patavienſis in parte diœceſis infra Anaſum ſita fuit Michael Lochmar Artium, Decretorum & Theologiæ Doctor, Canonicus Eccleſiæ, ac Curiæ Patavienſis, in ſpiritualibus Officialis generalis: hunc titulum ipſe præſcribit in literis, quibus teſtatur ſe commiſſarium Friderici ex Comitibus de Otting poſtulati & confirmati Epiſcopi Patav. conſtitutum ad electionem Præpoſiti in S. Ypolito, quæ electio tunc ceciderat in Cholomannum; eámque ipſe iiſdem literis ratam habet. Datum Wiennæ die Veneris; prima menſis Decembris, Anno MCCCCLXXXVI.

EPISCOPUS PATAVIENSIS LVII.

Chriſtophorus.

Canonici damnis edocti ut imperioſas potentum preces anteverterent, paucis ab obitu Friderici diebus feſtinata electione vota contulerunt in Chriſtophorum Schachnerum Capituli Decanum, die undecima Martii Anno 1490. Ortus nobili apud Bavaros Rüdenſes loco, literis quondam in Archigymnaſio Viennenſi excultus: forma corporis egregia, ac prægrandi; moribus ad hæc compoſitiſſimis, ùt ſcribit Bruſchius, & cæteris virtutibus egregiis ornatiſſimus; frugalitatis & ſobrietatis perquam ſtudioſus: Sed de corporis ejus proceritate teſtis eſt Angelus Rumplerus coævus, qui de Præpoſito quodam Glognizenſi ſcribens; Fuit, inquit, homo adeò magni corporis, ut Chriſtophoro Patavienſi comparari poſſet. I. 1490. Feſtina Electio. Genus Electi. Forma, mores.

Ut primùm renunciatus eſt, adiit ipſe Innocentium VIII. Pontificem confirmationis obtinendæ gratiâ; quam ſic obtinuit, ut enunciaret Pontifex Epiſcopatum Patav. Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjectum. Itaque reverſus, in epiſcopum conſecratus, Dominica poſt Michaelis ex cœnobio S. Nicolai Pataviam equo ſublimis, infulâque tectus intravit. Confirmatur. *Summar. Paſ. n. 19.* Conſecratur. Pataviam ingreditur.

Munus cum laude gerit. De ejus geſtis pauca prodita: hoc univerſim; munere ſuo diligenter ſtudioſéque functum, epiſcopatum & provinciam ſuam omnem, dignitati priſtinæ, quâ per inertiam & degenerem luxum quorundam Anteceſſorum exciderat, reſtituiſſe. Superfluas pompas, nimióſque ſumptus miro proſecutum odio & tanquam peſtes animi & corporis ſummè deteſtatum, exiguam aluiſſe familiam; Epiſcopatum & provinciam ſuam ab ære alieno liberâſſe; bona Eccleſiæ hypothecæ aut pignori locata redemiſſe multa; in queîs oppidum Mauttern nuper Mathiæ Regi collocatum, inito vixdum Epiſcopatu recepit: Ædes quoque in ruinam vergentes refeciſſe, plurimas exornâſſe; inprimis autem ſacellum Beatiſſimæ Virgini ſacrum, Epiſcopali Curiæ contiguum quàm ornatiſſimè inſtaurâſſe; præterea Ducalem domum in arce S. Georgii, quà urbem reſpicit, ad omnem artis elegantiam è fundamentis erexiſſe. Hæc ferè Bruſchius & Manuſcriptum noſtrum.

Rumplerus Abbas Formbacenſis Synchronus comitatem & doctrinam ejus compendio laudat. „Fridericum, inquit, ſubſecutus in regimine Chri„ſtophorus homo & aſtutus & doctus: hic potiùs blandiri maluit, quàm exi„gere (nempe pecuniam è monaſterio) nec tamen obtinere potuit, ut redde„retur; imò Abbas nuncios repellere ſolitus erat.

II. 1493. Intereſt exequiis Friderici Imp. Anno 1493. Chriſtophorus interfuit cum aliis ſolennibus exequiis pro Imperatore Friderico Viennæ in Baſilica D. Stephani celebratis. Obiit is mortem Linzii feria ſecunda poſt Aſſumptionem, ùt habent Acta Academica, id eſt die 19. Auguſti, quam diem etiam Cuſpinianus & Trithemius, item documentum vetus Bibliot. Forſterianæ de exequiis Friderici, adſignant, nempe diem lunæ ante Bartholomæi, quæ fuit ipſa dies 19. Auguſti. Corpus in Profeſto S. Auguſtini de Linz (verba Actorum ſunt) in Viennam honorificè ductum eſt, atque in Eccleſia S. Stephani in ſepulcro Principum compoſitum: Cæterùm Cœrimoniæ funebres die 6. Decembris celebratæ, operante primùm ad aram Archiepiſcopo Salzburgenſi Friderico Schaumbergio; deinde Joanne Epiſcopo Veſprinenſi, eodémque Adminiſtratore Epiſcopatus Viennenſis.

Eccleſia Pat. ſuis reſtituta bonis. Hic obiter memorandum de ſtatu Auſtriæ, cujus partem majorem detinuerat Mathias Rex ad obitum uſque; quem fecit anno 1490. ſub noctem diei quartæ Aprilis (ùt ſcrunt Acta Academica) in palatio Viennenſi malo apoplectico proſtratus. Anno ſequenti Maximilianus Rex non Auſtriam modò, ſed magnam Hungariæ citerioris partem facili negotio ſubegit: Ea re Eccleſia quoque Patavienſis in integrum reſtituta, receptis oppidis, quæ per Hungaros occupata fuerant. Paulo ante Mortem Mathias Rex in locum Urbani Viennenſis Epiſcopi, curam ejus Eccleſiæ mandavit Epiſcopo Veſprinenſi Joanni; quam is ad annum uſque 1499. geſſit.

III. De Conſiſtorio Patav. Viennæ. Hic locus opportunus ſcribendi de Conſiſtorio ſeu tribunali Patavienſi, quod Viennæ eſt. Ante erectum Epiſcopatum Viennenſem reſidebant Viennæ Archidiaconi ſeu Officiales Patavienſes, qui propter amplitudinem Diœceſis iſthic conſtituti reddebant jus ei parti, quæ infra Onaſum eſt: cujusmodi Archidiaconos ſeu Officiales per decurſum operis plures commemoravimus. Sed anno 1480. promulgata erectione Epiſcopatus Viennenſis, poſitóque iſthic Epiſcopo, quid juris valuerit, colligi poteſt ex Bulla Pauli II. Certè publicatione Epiſcopatus facta, uti refertur in Actis Academicis nuper editis, Doctoribus Univerſitatis Viennenſis interdictum eſt, ut qui in cauſis quibusdam patrocinati ſunt in Conſiſtorio Patavienſi, *in futurum ab hujusmodi deſiſterent in Vienna.* Atque jam priùs, nempe anno 1476. cùm controverſia agitaretur inter Patavienſem Præſulem ac Univerſitatem de jure occupandi hæreditatem Alexii Tumar, qui tabulas ultimæ voluntatis non condidiſſe putabatur, Fridericus Imperator intellecta per Oratores Univerſitatis lite, reſpondet *ſe velle pro viribus manutenere Univerſitatis privilegia, ſéque divina volente gratia Wienne Epiſcopatum erexiſſe: quamobrem nihil de cetero, inquit, Patavienſis Epiſcopi de Viennenſium rebus intererit.* Ita refertur in Actis Academ. apud P. Joan. Steyerer pag. 541. Attamen anno 1480. tribunal Patavienſe Viennæ adhuc ſubſtitiſſe colligitur ex actis Hasleri Cardinalis, de quo proditum

tum occupâſſe Officialatum, qui Viennæ erat. Officialis erat Michael Lochmar, cujus literarum Viennæ anno 1486. datarum ſuprà meminimus, qui ad annum usque 1490. eum Magiſtratum geſſit: Eo verò Pataviam evocato cùm de novo Officiali Viennæ conſtituendo ageretur, reclamatum ab Adminiſtratore Viennenſi; Mathia ſcilicet Rege jurisdictionem Pataviensem in urbe recèns occupata minùs, ùt videtur, ferente. Officialis interea alibi conſtitutus Wolfgangus Gabler Decretorum Baccalaureus, Decanus & Plebanus in Gmündt; quæ omnia liquent ex literis, quas recitat Annaliſta Zwetlenſis ex monimenſis Domeſticis in hæc verba: „ Michael Lochmayr Canonicus „ & Magiſter Fabricæ Eccleſiæ Pataviensis ſcribit Magiſtro Wolfgango Gab- „ler - quatenus Collectam in Auſtria ad fabricam ſecundùm mandatum „ apud ſe ſignatum detineat, & propter turbationem jurisdictionis Officialis „ in Auſtria in Vienna, ipſi prædicto Magiſtro Wolfgango committit Officia- „ latûs munus interea obire, donec Reverendiſſimus Electus ab Urbe, quo ob „ confirmationem ſuam profectus eſt, redierit, & aliter diſpoſuerit; in majo- „ ribus verò causis recurſum habeat ad Capitulum Pataviense &c. Datum „ Pataviæ Anno 1490. in Cœna Domini. Kalend. Aprilis. Reverſo ab Urbe Epiſcopo conſtitutus Viennæ Officialis Pataviensis videtur Magiſter Joannes Kaltenmarkter Theologiæ & Juris Pontificii Doctor Ordinarius, quem Acta Academica diſertè Officialem Pataviensem vocant, referúntque à Magiſtro Udalrico Zehentner Ord. Prædicatorum Facultatis Theologicæ Decano delatum fuiſſe doctrinæ ſuſpectæ, primùm apud Angelum Ortonum Sedis Apoſtolicæ Legatum, tum Viennæ morantem; cui cùm minùs rectè ſe purgaſſet, evocatum Romam ab Innocentio Papa anno 1492. die ultima Junii, errorúmque convictum, cùm reſipuiſſet, doctrinæque ſponderet palinodiam, remiſſum Viennam, ſponſionem palam expleviſſe confecto per Facultatem Theologicam revocationis inſtrumento. Cæterùm utrumnam ei Officium Pataviense Viennæ exercere licuerit, indè licet, ſtatuas, quòd ſub principium anni 1491. dedit literas Viennæ, quibus idem Johannes Kaltenmarkter Artium, Decretorum, & Theologiæ Doctor ac Curiæ Patav. infra Anaſum Officialis generalis profitetur, ſe à Chriſtophoro Epiſcopo Patav. conſtitutum Commiſſarium ad certa negotia. Datum Viennæ die Martis. quinta Januarii An. MCCCCXCI. Ita quidem in excerptis Duellii: verùm dies quinta Januarii non hoc ſed ſuperiori anno incidit in diem Martis, proinde aut ſcribendum quarta Januarii, aut annus 1490. Cæterùm ex inſtrumento, quod mox ſubjiciam, intelligitur, anno 1497. Conſiſtorio Pataviensi legitimè conceſſam fuiſſe Viennæ ſedem, indulgentia Joannis Veſprinienſis, quem aliàs diximus Epiſcopatus Viennenſis adminiſtratorem à Mathia Rege conſtitutum. Conceſſit is Chriſtophoro Epiſcopo Pataviensi, ut ejus Officialis in Civitate Viennenſi tribunal ponere & jus reddere valeat; eo tamen pacto, ut id ex ſingulari favore & benevolentia conceſſum agnoſceret, reciperétque ſub prætextu ejus favoris & benevolentiæ nihil præjudicaturum Epiſcopo aut Eccleſiæ Viennenſi; id quod Pataviensis præſtitit his literis: 1497. Tribunal Pat. ſedem obtinet Viennæ.

„ Chriſtophorus Dei gratia Epiſcopus Pataviensis nec non ejusdem Ec- „ cleſiæ Capitulum tenore præſentium notum facimus, quod cùm Veneran- „ dus in Chriſto Pater & Dominus Joannes Epiſcopus Veſprinienſis, Vien- „ nensisque Eccleſiæ perpetuus Commendatarius, nec non ejusdem Eccleſiæ „ venerabile Capitulum nobis ex ſingulari favore & benevolentia annuerunt, „ & conſenſerunt, ut nos, ac pro tempore in ſpiritualibus Officialis noſter ge- „ neralis ad Officialatum Curiæ noſtræ Pataviensis infra Onaſum deputatus „ in civitate Viennenſi Tribunal noſtrum ponere, ac jurisdictionem in omnes „ Eccleſiæ noſtræ Pataviensis jurisdictioni ſubjectos exercere, ſive jus redde- „ re hora convenienti, qua videlicet tribunal ipſius Domini Commendatarii „ aut ejus Capituli, non impedietur, poſſimus & valeamus, ſeu dictus pro „ tempore Officialis, vel Commiſſarius noſter poſſit, & valeat Ideo nos ſub „ prætextu hujusmodi favoris ſeu benevolentiæ promittimus non velle præ- „ fato Domino Commendatario, aut ſuis ſucceſſoribus, neque præfatæ Eccle- Literæ Epiſcopi Patav. nuper editæ in Reliq. MS. Ludwig.

 „ ſiæ

„ ſiæ Viennenſi ſeu Capitulo prædicto, in aliquo præjudicare, nec aliquod jus „ vendicare, aut aliquam quaſi poſſeſſionem exercendæ jurisdictionis ibidem „ acquirere, ſed ſolùm hujusmodi conceſſa nobis benevolentia ſimpliciter uti, „ omni dolo quovis modo procul moto. In quorum teſtimonium præſentes „ literas ſigillis noſtris fecimus communiri. Datum Pataviæ die quinta deci- „ ma menſis Octobris. Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo nona- „ geſimo ſeptimo.

Hæc de geſtis Chriſtophori; quibus addendum ex appendice Schritovini: Temporibus, inquit, Chriſtophori Eberhardus & Walpoldus de Thungen nobiles Franciæ (nempe Orientalis) litem Eccleſiæ & Epiſcopatui intulerunt. Hi anno 1497. feria 2. poſt Joannis Baptiſtæ ceperunt Wolfganguin Fleiſchhaker de Wegſchaid in Landesfeld apud duas cruces; qui redemtus eſt 50. florenis: deinde ceperunt Thomam Egner. Lis illa Herbipoli fuit ſopita per Dominum Joannem Prenner Canonicum & Cancellarium Pataviensem.

IV. 1500. Obitus Epiſcopi. Annis penè decem in epiſcopatu exactis Chriſtophorus præter opinionem omnium malo apoplectico correptus, usúque ſenſuum deſtitutus, exceſſit è vivis anno 1500. die 3. Januarii (alii quartam adnotârunt) ingenti omnium luctu, humatus in ſacello B. Virginis ab ſe inſtaurato, in quo matrem quoque ſuam nuper humaverat; clero & populo perinde carus. Epitaphium ejus apud Hundium tale eſt:

Anno MCCCCC. Reverendus in Chriſto Pater & Dominus D. Chriſtophorus Schachnerus, Epiſcopus Pataviensis inſtaurator hujus Capellæ obiit.

Suffraganeus Patav. Suffraganeus Pataviensis ſub Chriſtophoro erat Nicolaus Yponenſis Epiſcopus, qui Eccleſiam parochialem in Windigſteig cum cœmiterio S. Laurentii expiavit: ùt habent literæ datæ in Monaſterio Zwetl anno 1494. die 25. Novembris. Idem eodem anno die 28. Novembris conſecravit corpus Eccleſiæ B. Virginis Mariæ in Raſing cum duobus altaribus & chorum ejusdem cum ſuo Altari reconciliavit: de quo literæ datæ anno & die prædicto. Idem Suffraganeus Capellam S. Nicolai in Monaſterio Zwetlenſi ſitam in honorem Sanctorum, qui à ſeculis retroactis ibi coli conſueverunt, benedixit, & ſequenti die ſacellum S. Pauli Apoſtoli in Dürrenhave in honorem S. Apoſtoli modò dicti, Wernhardi Abbatis, & Leopoldi Marchionis Auſtriæ ſolenniter dedicavit. Datum anno 1494. 6. Decembris. Idem reconciliavit cœmiterium in Geuſarn anno 1495. 19. Octobris. Confirmavit Indulgentias orantibus ad pulſum campanæ veſpertinum in memoriam agonis Chriſti. Eodem conſecravit Ludovicum Epiſcopum Chiemenſem. Denique idem Nicolaus Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia Epiſcopus Ypponenſis Reverendiſſimi Domini Chriſtofori Patav. Epiſcopi Cooperator in Pontificalibus profitetur ſe anno 1498. die 27. Sept. Capellam S. Hieronymi & S. Mariæ Magdalenæ in Jeuching ſub limitibus Eccleſiæ parochialis S. Michaelis rite & legitimè conciliâſſe. Datum ùt ſuprà.

EPISCOPUS PATAVIENSIS LVIII.

Wigileus.

I. 1500. Genus. Officia geſta. Gens Fröſcheliorum nobilis erat in Bavaria, de qua editus Wigileus cognomento de Marzols (teſte auctore appendicis Schritovini) egit primùm Officialem Diœceſis Pataviensis, quo tempore partes Capituli adverſus Haslerum tuitus Legatum aliquoties ad urbem egit. Accuſatus injuriarum à Præpoſito S. Hippolyti: indè Chriſtophoro Schachnero Decano ad Tiaram evecto, ſucceſſit in Decanatu; quo tempore diſciplinam clericalem fertur in Canonicis reformâſſe; hæc enim verba auctoris paulo antè laudati: *Wigileus Fröſchel de Marzols, antè ibidem Decanus reformavit Eccleſiam. Canonici quidam ejusdem Eccleſiæ conſpiratione inita mancipaverunt eundem Wigileum carce-*

carceri; poſtea dimiſſus tanquam innocens, & ſublimatus in Epiſcopum nunquam vindicavit ſe de adverſariis, ſed imitatus patientiam ſui Patroni S. Stephani. Hæc ille. Virtus heroica.

Electio.
Electus eſt unanimi Collegarum Suffragio die 14. Januarii (manuſcriptum meum habet Februarii) profectúsque protinus ipſe Romam, occaſione Jubilæi, acceſſit Alexandrum VI. Confirmationis petendæ gratiâ; *Stetit in Curia* (teſte laudato Continuatore) *à Kalendis - - usque ad menſem Majum* (finem potiùs Aprilis) *quia non potuit ſolvere Annatam, petendo relaxationem juxta compactata, quam obtinere non potuit, volens ſine confirmatione à Curia Romana cedere: ex ſingulari demum gratia Cardinalium, partem Annatæ eis debitam dicto Electo remiſerunt.* Hæc ibi. Cæterùm confirmationem adeptus eſt eodem anno 1500. tertio Kal. Maji. Quod iterum teſtatur Papa in commendatitiis pro Wigileo ad Salzburgenſem exaratis anno & die dicto: Pontificatus anno 8. At cum favore ſingulari Pontificis Roma digreſſum indè colligitur, quòd ei datum eſt, ut quicunque primo ejus Epiſcopali ſacrificio, verè pœnitentes, interfuturi eſſent, plenam peccatorum indulgentiam conſequerentur. Bruſchius ſimpliciter de primo ſacro loquitur; ſed vix crediderim eousque Wigileum caruiſſe Ordine presbyterii: malui ſcribere primum ſacrum epiſcopale, quemadmodum in manuſcripto meo vernaculo reperi. Porro celebravit illud (conſecratione fortè ſeriùs obtentâ) in Dominica quarta quadrageſimæ *Lætare* anni ſequentis 1501. ùt ibidem refertur. Confirmatio. Conſecratio.

II. Laus.
Virum ſcribunt fuiſſe probum, pacis amantem, rerum magnarum peritum, ſuis & exteris perinde carum; cumprimis Maximiliano Cæſari, qui eum in Comitiis Conſtantienſibus anno 1507. celebratis conſtituit Præſidem Judicii Cameralis, quod Ratisbonæ ſedem haberet, ſexdecim aſſeſſoribus ex omni Germania adlectis. Sed ampliſſimi muneris gratiâ Wigileus coactus eſt alere familiam, quàm domeſtica res ferret, ſplendidiorem; proindéque & ad facienda nomina, & ad bona, quæ nuper Chriſtopherus redemerat, rurſum pignori danda compulſus. Conſtitutus Præſes Judicii Cameralis.

Anno 1500. Sigismundus Abbas Mellicenſis Wigileo (quem is Wigesleum appellat) præſentavit Nicolaum Schall Clericum Herbipolenſem ad parochiam in Grillenperg. Datum 24. Februarii.

1501.
Anno 1501. Maximilianus Romanorum, item Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex, Archidux Auſtriæ &c. ad preces Wigilei confirmavit omnia jura & privilegia Eccleſiæ Patavienſis, ab Imperatoribus; item Auſtriæ, Bavariæque Principibus unquam collata. Datum Welſii, anno prædicto, die XXII. Januarii, Regni Romani XV. Hungarici XI. Exhibetur diploma à Gewoldo ſtilo vernaculo, ubi ſpeciatim confirmatur Hainrici & Ottonis fratrum, ac Hainrici patruelis Palatinorum Rheni, Ducum Bavariæ privilegium Eccleſiæ Patav. datum ſuper cœnobiis. Item alterum Ottonis Archicamerarii Imperii & Electoris. Prætcrea Stephani, Friderici & Joannis Palatinorum Rheni, Ducum Bavariæ de immunitate Cleri Patav. per Bavariam. Tertium Friderici III. Imper. recitatum ſuprà ſub Udalrico III. §. XIII. Ubi obiter adnoto, Regni Hungarici titulum ex pacificatione cum Mathia Rege anno 1489. facta, profectum: convenerat enim, Mathia ſine hæredibus defuncto Maximilianum ſuccedere: defunctus eſt, ùt dictum, Mathias anno ſequenti 1490. menſe Aprili. Evolutus ſpe ſua Maximilianus per Uladislaum Bohemum, titulum tamen regni retinuit. Alterum eſt de titulo Archiducis Auſtriæ, quem nec Friderico Imperatori, nec aliis Auſtriæ Principibus à tempore Rudolphi IV. (qui anno 1365. deceſſerat) vulgò in uſu fuiſſe legitur. Revocavit eum Fridericus Imperator anno 1453. in literis, quibus præter confirmationem aliorum privilegiorum & jurium Ducatus Auſtriæ ſtatuit, ut *idem Ducatus ex nunc in antea & in perpetuum Archiducatus dicatur, nominetur & reputetur. Datum in Nova-Civitate die VI. Januarii.* Referuntur literæ in Codice Bibliothecæ Cæſareæ, extántque apud Lunigium. Obtinet Confirmationem privilegiorum Patav. *Gewold. ap. Hund. p. 286.*

Eodem anno 1501. Danubius memorabili eluvione civitatem Patavienſem inundavit feſto Aſſumtionis. Fertur aquas usque ad marmor album, quod

Conſecrat Abbatem Formbacenſ.

quod ad Curiam eſt, atque ad medium Crucis pertigiſſe. Eodem anno menſe Decembri Wigileus confirmavit & conſecravit Angelum Rumplerum monaſterii Formbacenſis Abbatem præſente Joanne Kaltenmarkter Rectore Scholæ Viennenſis & tribus Canonicis Patavienſibus.

1502. Confirmat Indulgentias Eccleſiæ Rafingenſis.

Anno 1502. Wigileus de plebis ad Virginem Rafingenſem confluentis pietate certior factus confirmat omnes Indulgentias à Cardinalibus datas eidem Eccleſiæ: deinde ſuas ipſe addit, ſtatuitque indulgentias illis, qui in tribus ſextis feriis immediatè ſequentibus feſtum S. Dionyſii; item in decantatione *Salve Regina*, per circulum anni Sabathinis diebus in dicta Eccleſia filiali ſolita eandem viſitaverint, aut ad ipſius reparationem & conſervationem divini cultûs & ornamentorum augmentationem manus porrexerint adjutrices. Demum etiam concedit peregrinis exhiberi & tradi pro more ſigna plumbea, quo domi ſuæ profectionis in laudem glorioſiſſimæ Virginis Mariæ majori gaudio & devotione recreentur. Datum Viennæ anno 1502. Kal. Decemb.

III. 1503. Celebrat Synodum.

Anno 1503. Wigileus invitat clerum ſuæ Diœceſis, etiam Prælatos cujuscunque ſtatus ad provincialem Synodum in Mautern oppidulo ſuo Dominica *Miſericordia Domini* proximè ventura pro corrigendo vitiis dedito clero celebrandam. Datum Pataviæ ſub majori Decreto anno Domini 1503. Kal. Februarii: Sed eo conventu tunc impedito idem Epiſcopus Synodum pro reformatione cleri de Mauttarn in Pataviam transfert eo fine, ut omnes tam ſupra quàm infra Anaſum conſtituti illuc confluant ad viſitationem B. Mariæ; ibi in ſolitæ ſuæ reſidentiæ Curia compareant. Impedimentum autem Synodi prioris in Mauttern fuerat, quòd Epiſcopus in obſequio Regis Romanorum, Ratisbonæ Judicio Cameræ Regalis præeſſe cogebatur, aliíſque rationabilibus intervenientibus cauſis. Actum in civitate noſtra Patavienſi Anno Domini 1503. 10. Aprilis.

1504. Pacificationem curat belli Bavar.

Anno 1504. Ceptum bellum civile in Bavaria confligentibus inter ſe Ducibus pro hæreditate Georgii Ducis nuper defuncti: immiſtus bello etiam Maximilianus Cæſar; tandem Epiſcopis Salzburgenſi, Friſingenſi, Eiſtattenſi, Paſſavienſi adnitentibus conciliata pax, inter hujus conditiones erat, reſtitutio arcis Rennarigl, quæ nuper Paſſavienſi Eccleſiæ per Georgium Ducem abſtracta fuerat: hæc Cæſari ceſſit unà cum advocatia Epiſcopatûs Paſſavienſis, quam ſibi Bavari aliàs arrogârant.

Adler. par. 2. l. IX. Advocatia Eccleſiæ Pat. Cæſari aſſerta.

1506. Wigileus adeſt Translationi S. Ypol.

Anno 1506. die 15. Februarii translatus eſt de tumba S. Leopoldus in præſentia Principum & Epiſcoporum (verba ſunt Cuſpiniani qui aderat) *Reverendiſſimi Leonardi Epiſcopi Salzburgenſis, Reverendiſſimi Epiſcopi Wigilei Batavienſis, Reverendiſſimi Mathæi Epiſcopi Gurcenſis multorúmque Prælatorum & Abbatum, Illuſtriſſimi Principis & Ducis Juliacenſis & Clevenſis, multorúmque Baronum & nobilium Archi-Ducatus Auſtriæ comitantibus Cæſarem Maximilianum, qui non ùt Cæſar coronatus ambulavit, ſed in pallio ducali cum corona roſtrata.* Inſerta fuit dies Kalendario Patavienſi, utì videre eſt in Codice liturgico Eccleſiæ Patav. Venetiis excuſo anno 1522. ubi ad diem XV. Februarii adnotatum viſitur: *Translatio S. Leopoldi.*

1507.

Anno 1507. Celebrata ſunt Comitia in Urbe Conſtantia ob expeditionem Italicam, quam Cæſar agitabat: eodem à Wigileo Legatus Joannes Prenner Canonicus & Cancellarius Paſſav.

IV. 1508. Clades civitatis & ditionis Patav.

Anno 1508. Pars novi fori Pataviæ incendio hauſta eſt. Erat id temporis civitati infenſiſſimus quidam Thomas Kayſer, qui manipulum prædonum duorum & quinquaginta immiſit in locum Wolfſtein & Freyung, ubi hebdomadas duodecim bacchati ſunt ad eum modum, quo jam antea in Waldkirchen id ipſum peregerant; quæ magnis impendiis civitati ſteterunt.

1512.

Anno 1512. Novum forum Pataviæ pene ex integro conflagravit ipſo meridie Paraſceves, uno Xenodochio & pauculis ædibus ſervatis: qua de re Bruſchius, qui perperam ad annum 1517. Cùm populus, inquit, frequens concioni de paſſione Domini intereſſet, ſubitaneum incendium 300. ædes &

pene

pene totum novum forum abſumſit; perierunt multi homines cum jumentis: rem planè flebilem Jacobus Philomuſus carmine elegiaco deploravit.

Eodem anno Othmarus, Bartholomæus, & Andreas fratres Oberheimeri Epiſcopatum Patavienſem vellicare cladibus auſi: quidam alius verò dictus Chametz Frannawr de Krut bellum Epiſcopatui & Eccleſiæ Patavienſi indixit, multa damna & incommoda inferendo ſpoliis & incendiis maximè in Auſtria, & oppidum Trebenſee occupando, quoad lis interventu amicorum compoſita. Ita refert continuator Schritovini.

Anno 1513. ædificari cepta eſt turris in petra dicta Falkenſtein, feſto 1513.
S. Luciæ, urente præter ſolitum gelu; quod tempus eò captatum, ut humore concreto commodum daretur ſternendi fundamenta. Apparando cœmento adhiberi oportuit aquam in lebetibus fervefactam.

Anno eodem Wigileus Canonicis S. Hippolyti dat veniam pro almutiis ſeu palliolis, quæ de nigris ovium pellibus eatenus Canonici habuerant, deferendi almutia de pellibus aſpriolorum, quæ leviori & minori pretio emi poſſent; ut indè levamen jacturæ per incendium anno ſuperiori factæ acquirant. Datum Wine, ſub ſigillo Officialatûs majoris infra Anaſum. Undecima die menſis Aprilis Anno MDXIII.

Anno 1515. Habitus eſt celeberrimus ille Conventus Uladiſlai Unga- V.
riæ, Sigiſmundi Poloniæ, Ludovici Bohemiæ Regum cum Cæſare Maximi- 1515.
liano Viennæ, in quo cum aliis Prælatis & Principibus, quorum nomina re- Intereſt Conventui Regum Viennæ.
citat Riccardus Bartolinus in Hodeporico, adfuit etiam Wigileus Patavienſis, exceptus oratione à M. Georgio Hutter nomine Academiæ Viennenſ. Idem Wigileus adhibitus eſt ad Oratores Regum honorificè ad Cæſarem adducendos, deindéque pompam ſolennis Regum ingreſsûs comitando ornavit. Congreſſus primùm factus die 17. Julii; Conditum fœdus perpetuum, præcipuè in hoſtem Chriſtiani nominis, ſancitúmque pactis ſponſalitiis, queis Anna Hungariæ Regis filia Cæſari, aut alterutri ejus Nepotum; vicíſſimque Maria Cæſaris neptis Ludovico pacta eſt, in templo S. Stephani Viennæ. Rem geſtam amplè deſcribit Cuſpinianus Præfectus Viennenſis, Cæſaríque à negotiis; præterea laudatus Bartholinus, Mathæi Cardinalis Gurcenſis Sacellanus; qui & Comes itinerum, quæ Cardinalis ejus negotii cauſa, eodem
anno per Tirolim, Bavariam, Auſtriam confecerat, adfuit. Is ita refert; Excipit Patavii Cardinalem Gurcenſem.
„Patavio, inquit, non longè aberamus, cùm præſtantiſſimi viri (arbitror flaminis *Metropolitanæ* fuiſſe) medio in flumine navi occurrêre; quos, ùt eſt omnium mortalium elegantiſſimus Gurcenſis pacatiſſimo vultu excepit; „nec mora: Epiſcopus, *quem ego optimum virum judico*, oppidaníque, ut tanti principis adventu lætitiam oſtenderent, & ab arce, quæ in monte ſiniſtra „navigantibus occurrit, & à mœnibus crebres bombarum tonitrus emitti juſſerant. Applicanti ripæ totus occurrit populus: *Epiſcopus homo jam ſilicernius* domi ante fores præſtolatus, à quo Gurcenſis perbenignè accipitur &c. Hæc Bartholinus.

Grandi ætate jam erat Wigileus, ùt quem annos 72. menſes ſeptem, VI.
dies duos vivendo expleviſſe teſtetur continuator Schritovini; eaque propter Ætas Wigilei.
triennio ante mortem, id eſt anno 1514. Maximiliani Cæſaris promotione Leonis X. literis decretus ei fuit Adminiſtrator Eccleſiæ Patavienſis Erneſtus Alberti IV. Bavariæ Ducis filius, in quo dictus Continuator Commentarium
ſuum finit; Quia, inquit, Erneſtus hucuſque in humanis eſt, & præſidet, de 1516.
ejus regimine ſuperſedeo ſcribere. Coadjutor.

Obiit Wigileus anno 1517. die 6. menſis Novembris, ùt cum Bruſchio 1517.
& Hundio teſtatur auctor manuſcripti. Ejus omnis memoria laude plena Obitus. Elogium.
apud Bruſchium: bonum Patrem & probum appellat, qui nulla unquam ſuos ſubditos aut cives exactione gravare voluerit: Univerſis itaque & ſingulis mirè carum. Coegiſſe Synodos in Patavienſi civitate & in Oppido ſuo Auſtriaco Mauttern ſub Comageno; in quibus & Eccleſiaſticam libertatem ab Auſtriæ quibuſdam Regulis pene oppreſſam aſſeruerit, & Cleri reformationem molitus, ſed impar operi non perfecerit. Verùm quid his de Synodis fue-

fuerit, ſuprà dictum eſt; videlicet unam tantùm, non duas fuiſſe Synodos; illa, quæ in Oppido Mauttern celebrari debebat, certis ex cauſis impedita. Idem conſtituit imprimi typis Agenda ſive Benedictionale de actibus Eccleſiæ ſecundùm chorum & obſervationem Eccleſiæ Patavienſis, ut Clerus Patavienſis in divinis obſequiis conformitatem obſervet, & in actibus Eccleſiæ non erret: quod obſequiale opuſculum Baſileæ per induſtrium virum chalchographiæ Magiſtrum Jacobum Phorzenſem anno verbi Incarnati MDXIII. XIII. Kal. Martii ferventi diligentia eſt exactum. Ita ad verbum habet adnotatio fronti codicis præfixa.

De reliquis Wigilei rebus adde ex appendice Schritovini: „Per totum, inquit, vitæ tempus non fuit notatus aliquo crimine: jejunavit omni „ſextâ feriâ; item feriâ quartâ non fuit uſus carne; & omni Sabbatho ab„ſtinuit à piſcibus: Sedulus in orationibus, largus in donationibus ac ſingu„laris amator juſtitiæ. In ætate virili permulta paſſus adverſa, ſed quinqua„genarius vicit ſuos adverſarios patientiâ. Hæc ibi.

Ad extremum valetudine bene longa decubuit; quâ demum magna

Sepulcrum. cum pietate exolutus, plenus dierum exceſſit, ſepultus in baſilica Cathedrali S. Stephani prope aram S. Valentini & Maximiliani, versùs parietem ſepten-

Epitaphium. trionalem, cui marmoreum ejus monumentum inſertum eſt. Epitaphium laudata toties appendix recitat, & eſt hoc:

Natales mihi clara dedit, noménque propago;
Quæ nunc inſigni dexteritate viget.
En ego Canonicus primis Patavinus in annis
Caſibus in magnis aſpera damna tuli.
Corporis expoſui vires in Schiſmate totas;
Eccleſiæ grandes ne caperentur opes.
Curia teſtatur partos Romana labores,
An mea profuerit officioſa manus.
Divinos ritus exáctaque munia templi,
Rite reformavi, quando Decanus eram.
Conſenſu Patrum conſcendi Pontificalem
Eccleſiæ Cathedram, Præſulis arma fovens.
Cæſaream Cameram Judex bis lectus adivi,
Principibus gratus, Romuleóque Duci.
Nunc functus vita tumba Bigileus in illa,
Antiſtes jaceo; Spiritus aſtra premit.

Exemtus eſt Wigileus luctuoſo tempori, quod cum ipſo ejus obitu principium ſumſit. Lutherus enim tum primùm furere contra Indulgentias cepit.

Suffraganeus. Suffraganeus Wigilei fuit Bernhardus Meurl Epiſcopus Lybanenſis, olim Academiæ Viennenſis alumnus, teſte Georgio Edero: qui conſecravit Abbatem Syttanſtetenſem Andream in Capella S. Mariæ Virginis Pataviæ anno 1501. de quo item in tabulis Monaſterii Mellicenſis refertur, eum altare S. Leopoldi ibidem conſecrâſſe: item omnibus & ſingulis devotè ante imaginem Crucifixi ante tumbam fundatorum erecti flexis genibus Dominicam orationem unà cum Angelica ſalutatione & Symbolo orantibus, quadraginta dies peccatorum criminalium, & octoginta venialium miſericorditer relaxâſſe Anno Dom. 1511. die 19. menſis Octobris. Item in Monimentis Sanct-Ypolitanis: Bernhardus Epiſcopus Libanenſis Wigilei Epiſc. Patav. in Pontificalibus Cooperator anno 1500. die Domin. 20. Septembr. Capellam S. Jacobi Ap. majoris in Valetudinario Monaſterii S. Ypoliti reconciliavit.

EPI-

EPISCOPUS PATAVIENSIS LIX.

Erneſtus.

ALbertus IV. cognomento ſapiens Bavariæ Dux è Chunigunde Friderici I.
Cæſaris filia, quam ab Oeniponte clam patre deduxiſſe narravimus, 1517.
tres ſuſtulit filios; Guilielmum, Ludovicum, & Erneſtum. Poſtre- Ortus.
mus horum, quo de agimus, Erneſtus primam lucem anno 1500. aſpexcrat:
Annis abinde octo nempe 1508. Albertus pater vitâ perfunctus, materiam diſ-
ſidii filiis ob hæreditatem reliquit: ſed ii per ætatem nondum exierant cura-
torum poteſtate; Guilielmus tamen ùt natu major ex paternis tabulis & lege
aliàs ſancitâ in ſpem univerſi principatus creſcebat. Ludovicus & Erneſtus Educatio.
fortunis arctioribus reſervati, educabantur in Oppido Burckhuſio, ubi Joan-
ne Aventino in artium rudimentis uſi ſunt præceptore anno ſeculi duodeci-
mo. Sed jam tum Ludovicus à Matre, ùt fertur, inſtinctus litem Guilielmo
fratri pro æqua hæreditatis portione movebat. Erneſtus jurgia pertæſus ani- Inviſit regiones exteras.
mum ad viſendas regiones exteras adjecit. Itaque diſſimulato Principis cul-
tu cum Aventino in Italiam profectus, ubi Jaſonem Mayum Juris conſultum
celebrem audivit Ticini; indè in Galliam tranſiit cum Joanne Malentino viro
equeſtris ordinis, ac pòſt Seccovienſi Epiſcopo. Lutetiæ Pariſiorum quum
ſe à Franciſco Rege oculis notatum animadverteret, agnitum ſeſe ratus iter
properè in Germaniam relegit, Saxoniâque oberratâ cum eodem Malentino
revertit in patriam. Subinde autem hæreditatis contentio per Decretum Cæ-
ſaris anno 1514. hunc in modum deciſa eſt: Ludovicus quadrantem provin-
ciæ ſuo jure teneret; cætera Guilielmus frater, ea lege ut Erneſto fratri, ſi
quidem ad ſacras dignitates aſpiraret, pro eo, ac Principem deceret, proſpice-
ret; Sin ſecùs, in aliqua parte hæreditatis collocaret: Oblata tum occaſio
avunculo Cæſari, deſtinandi Erneſtum pro ſede Patavienſi, utique cujus An- Deſtinatus Sedi Patav. vivente Wigileo.
tiſtitis ea eſſet ætas, quæ ſpem Erneſti haud eſſet in longum ductura: impe-
tratus in rem aſſenſus Pontificis Leonis X. qui in commendatitiis pro more
literis ad Salzburgenſem ita ſcribit: „Hodie dilectum filium Erneſtum ex
„Ducibus Bavariæ venerabili fratri noſtro Wigileo Patav. Epiſcopo Coadju-
„torem in regimine & adminiſtratione Eccleſiæ Patav. Apoſtolica auctoritate
„conſtituimus & deputavimus; Datum apud S. Petrum anno Incarnationis
„Dominicæ 1516. quinto Kal. Februarii anno 4. Impetrata prætcrea venia
ætatis ac liberatio ejus legis, quæ Pontifices intra certum ſpatium ſacris Or-
dinibus initiandos præcipit. Officio ſacro ut ſe rite formaret Ingolſtadium
conceſſit oppidum Lyceo celeberrimum, ubi eodem anno 1516. die 24. Apri-
lis gradum Academicum inter Magiſtros inſcendit. Florebat iſthic inſigni
doctrinæ & religionis famâ Joannes Ekius in hæc tempora ſingulari Numinis
providentia natus, ut eſſet, qui furentis in Eccleſiam Lutheri primos repri-
meret impetus, atque in ea Germaniæ fluctuatione Bavariam à naufragiò
ſervaret. Hujus opera deinde Erneſto magno uſui fuit.

Annum ætatis ſeptimum decimum emenſus erat Erneſtus, quum vidua- II.
ta per obitum Wigilei Patavienſi Cathedra, Succeſſor ſine controverſia re- Init poſſeſſionem Epiſcopatùs.
nunciatus eſt, dièque indè nono, nempe Dominico poſt Martini qui tunc in
diem 15. Novembris anni 1517. incidebat, miſſis Pataviam Legatis Riedlero
Doctore, & Tranero quæſtore Schardingenſi, poſſeſſionem Officii, & Sacra-
mentum à civibus accepit, unâque jus, quod in portionem Bavariæ habebat,
Guilielmo fratri remiſit. Anno ſequenti 1518. Erneſtus ſolenni fratrum Gui- 1518.
lielmi & Ludovici comitatu Pataviam equo vectus majorum more intravit, Pataviam ingreditur.
ab civibus cum eleganti juvenum turma obviam progreſſis, honeſtiſſimè ex-
ceptus. Eodem anno coactus eſt Auguſtæ Vindelicorum, Auguſto menſe Adeſt Conventui Auguſt.
conventus copioſus Principum, in quo deliberatum de ſuppetiis contra Seli-
mum Ottomannum, indies invaleſcentem. Senatus intra conſilia ſtetit, ani-
mis jam per Lutherum corruptis. Ibi Moguntinus Galero purpureo, Maxi-

milianus pileo & enſe per Legatum Pontificis Cardinalem S. Sixti feſto more
exornati ſunt. Refertur inter eos, qui aderant, etiam *Reverendus in Chriſto
Pater illuſtris Princeps Arneſtus Adminiſtrator Eccleſiæ Pataavienſis.*

1519. Anno 1519. die 12. Januarii poſt horam tertiam matutinam in Oppido
Deducit funus Maximil. Cæſaris. Welſio ſuperioris Auſtriæ vitam negotioſè piéque actam poſuit Maximilia-
nus Imperator: funus Viennam deductum comitantibus Cardinale S. Sixti
Sedis Apoſtolicæ Legato, & Erneſto Patavienſis Eccleſiæ Adminiſtratore:
1520. ita referunt Acta Univerſitatis Viennenſis. Gliſcebat ſub hæc Lutheri Secta,
Promulgat damnationem doctrinæ Lutheri. cui extinguendæ incitatus per Ekium Pontifex Bullam emiſit, quâ doctrinam
Lutheri uno & quadraginta capitibus notatam damnavit Kalendis Julii anno
1520. libróſque ejus & chartas igne aboleri juſſit. Attulit eam Ekius in Ger-
maniam ejúſque exemplar ociùs promulgandum Viennam tranſmiſit; paruit
facultas Theologica: reliqui proteſtati, eo prætextu, quòd nec Moguntinus,
nec Salisburgenſis id præſtitiſſent. Patavienſem cùm in exemplum baud ad-
ducant, atque is fuerit religionis tutandæ ſtudioſus in paucis, indubitatum
videtur literas Leonis quantocius explicuiſſe. Cæterùm & Viennæ & in Au-
ſtria permulti jam claudicabant: ipſe Regentum, qui tum res Auſtriæ mode-
rabantur, Capitaneus Leonardus Zeg ſequiorem Academicorum partem con-
tra facultatis Theologicæ decretum tutabatur; ſed anno ſequenti Caroli Im-
peratoris literis ea promulgandi cunctatio graviter caſtigata eſt.

Ejus expeditio militaris. Eodem anno 1520. memoratur in manuſcripto expeditio militaris Erne-
ſti contra locum Marſpach, cui oppugnando civitas Patavienſis adjunxit 150.
viros. Videtur id fuiſſe caſtrum Ottmari Oberhameri, qui ab Anno 1514.
graves inimicitias cum urbe Patavienſi exercuit. Captus & in vincula ductus
ob perduellionem & damna crebrò illata per ſententiam ad rotæ ac rogi ſup-
plicium deſtinabatur: ſed utroque exemptus pœnam truncatione capitis
exolvit.

III.

1521. Anni ſequentes ob Lutheri ebullientem ſectam crebris inter Principes
Adeſt Comitiis Wormatiæ. conſultationibus celebres, in queis egregia fuit Erneſti opera. Anno 1521.
celebrata Comitia Wormatiæ, ubi Lutherus à Carolo Cæſare damnatus &
proſcriptus.

Confirmationem privilegiorum obtinet. In eodem Conventu Erneſtus Patavienſis, qui intererat, impetravit in
ſolenni forma confirmationem omnium bonorum & privilegiorum Eccleſiæ
ſuæ, per duo Diplomata, quorum primum datum eſt die 15. Februarii: alte-
rum quod continet ſummam ac velut anacephaleoſin omnium privilegiorum,
datum die 5. Martii Wormatiæ; quæ duo diplomata ſuo loco exhibebuntur.
Ibidem Ferdinandus Archidux in poſſeſſionem Auſtriæ atque omnis patri-
monii Germanici à fratre miſſus eſt 24. Aprilis: anno in autumnum ver-
gente venit in Auſtriam, cujus pars inferior provincialium motibus turbata
cùm eſſet, in Stiriam diſceſſit. Præfectos à Maximiliano conſtitutos Auſtriaci
1522. loco moverant; novis pro arbitrio delectis. Sed eos Carolus Cæſar anno ſe-
quenti ſeveris compeſcuit literis. Paruêre Ordines minanti, & remiſſis in
dignitatem Præfectis Ferdinandum è Germania, quò ſubinde conceſſerat, re-
vertentem, unà cum Anna Conjuge, quam Lincii 26. Maji duxerat, obedien-
Conventus Pataviæ. ter receperunt. Erat hic annus 1522. quo fertur habitum fuiſſe Pataviæ con-
ventum, in quo Ferdinandus cum Conjuge, Ludovicus item Bavariæ Dux,
cum Mathæo Salzburgenſi, ac duobus Marchionibus Brandeburgicis, quo-
Accedit Comitia Norimberg. rum alter erat Caſimirus clari nominis bellidux. Ferdinandus ad Comitia
Norimbergenſia tum aſcendebat: eò ſe quoque contulit Patavienſis. Trepi-
dabat Europa ob Solimanni progreſſus, qui capto anno ſuperiori Belgrado, ac
nuperrimè Inſula Rhodo, curam vicinis injecerat. Indicta erant ſub anni
finem Comitia ad Norimbergam, ubi de bello in Turcam, & componendo
1523. religionis diſſidio tractaretur: ea in annum etiam ſequentem producta, ad
extremum fruſtra fuerunt.

IV. Anno 1524. rurſum Norimbergæ coacti Principes ſtatuerunt habendum
1524. in Germania Concilium; interim examinarentur ea, quæ in dubium à No-
vatoribus vocarentur, decreto ſuper hoc alio Conventu ad urbem Spirenſem
ad

ad feſtum Martini. Diſplicuit id inſtitutum Pontifici, ut nempe articuli dudum definiti revocarentur ad examen; eadem Orthodoxis mens, quorum proinde magnus numerus privatum inière colloquium Ratisbonæ, auctore Laurentio Campegio Sedis Apoſtolicæ Legato, ad feſtum Joannis Baptiſtæ. Ibi Ferdinandus Archidux cum Ducibus Bavariæ, præterea Antiſtite Salzburgenſi, Tridentino, cæteriſque quos recitat Cocblæus ad annum 1524. eò quoque Legatum ſuum miſit Erneſtus Adminiſtrator Pataavienſis, qui omnes pro fidei Catholicæ zelo accenſi, ut Lutheranæ factioni efficaciùs reſiſtere poſſent, ultronea confœderatione ſeſe conſtrinxerunt, uti ſcribit laudatus Cochlæus, aliáque condidêre ſtatuta, ad clerum reformandum ſanè ſaluberrima. Inter hæc Lutherana factio non pullulabat modò, ſed indies magis magiſque in omnibus locis Archiducatus Auſtriæ ſuccreſcebat, uti referunt Acta facultatis Theologicæ. Ferdinandus ejuſdem Facultatis Doctoribus grave dedit mandatum inquirendi in pravitatem hæreticam: judicium in quoſdam celebratum, nempe Caſparum Tauber civem Viennenſem, Jacobum Peregrinum presbyterum Pataavienſis diœceſis, Joannem Voysler Octernarium, qui ad revocandos errores compulſi liberique dimiſſi: Sed primus cùm ad vomitum rediiſſet, eodem anno menſe Septembri conſumtus eſt igni.

Mittit legatum ad Colloquium Ratisb.

Fœderi Catholicorum Principum jungitur.

Invaleſcit per Auſtriam Lutherus.

Sed premebat exitiale diſcrimen ab Turcis: idcirco per Hungariam & Auſtriam corrogata viritim pecunia in ſubſidium belli peritum ex ſingulis certum æris dimenſum: ab Epiſcopo florenni quinque: ab Abbate & Præpoſito, ùt vocant, Infulato floreni quatuor: ab aliis Prælatis tres, ab Abbatiſſa, Canonico, Doctore quinque groſſi, à Monacho, Moniali decem denarii, & ſic ab aliis pro rata parte, quæ legere eſt apud Chronographum Mellicenſem: exacta denique de ſingulis tertia fructuum ſeu proventuum pars; „Sed „quia grave erat (verba ſunt laudati Chronographi) Epiſcopus Pataavienſis „Adminiſtrator, Dux Bavariæ miſit conſulere ſedem Apoſtolicam ſuper hac „re atque immunitate Eccleſiæ. Denique jubetur per Sanctiſſimum (Cle„mentem VII.) ſub excommunicationis ſententia ita fieri pro defenſione fidei „Catholicæ. Sed Epiſcopus præfatus ùt Paſtor bonus diſtulit, expectans à „latere Legatum ad Nirembergam venturum, ubi erat diæta Principum (qua „de ſuprà diximus) cui & Sanctiſſimus negotium commiſit neceſſitatis ex„quirendæ, & ſic favente Deo, nihil exinde factum eſt hucusque. Idem Le„gatus Nirembergæ congregatis Principibus reſpondit, ſuper dogma Luthe„ri non opus eſſe Concilio; cùm ſimilia etiam priùs fuiſſent à Sanctis Patri„bus diſputata atque repudiata. Hucusque Mellicenſis, ex quo colligitur etiam Erneſtum Conventui Norimbergenſi adſuiſſe, ibíque cum Legato Pontificio ſuper exactione nuper indicta tractâſſe.

Gravis exactio de Clero in bellum Turcicum.

Eam deprecatur Erneſtus.

V.

Correpta ſubinde ab Sectariis arma ad vindicandam dogmatum libertatem: Agricolæ Duce Thoma Münzero immani numero coorti promiſcuè furebant. Ea labes etiam provinciam Salzburgenſem & vicina corripuit: ruricolæ ſupra Anaſum eâdem perciti rabie: Moravi quoque cum Auſtriis contiguis Anabaptiſtarum infamiâ correpti auctore Balthaſare quodam Huebmero ſe paſſim commoverant. Fluctuabat undique Pataavienſis Eccleſia, & prope exitium erat, ni Ferdinandus ſigno generali militiæ propoſito ad comprimendos fanaticos contendiſſet. Laudatur Erneſti Pataavienſis zelus, qui in Catabaptiſticæ factionis hæreticos, aliósque, qui paſſim odio cleri ſuboriebantur, graviſſimè animadverterit; in his duo erant presbyteri, quorum alter Leonardus Kayſer Pataviâ oriundus, inſtituta quæ Wittenbergæ didicerat, per Bavariam primùm, dein, cùm ibi per vigilantiam Principum ſepta omnia cerneret, in patria ſerere ceperat. Sed iſthic in caſſes incidit: nam Erneſtus maturè deprehenſum ſubjecit quæſtioni; ad quam rite exercendam dedit ad facultatem Theologicam Viennenſem literas menſe Julio, quibus petebat ſubmitti ſibi Doctorem Theologum interfuturum, ùt literæ ferebant, judicio contra quendam hæreticum de Secta Lutherana habendo. Juſſus igitur Pataviam proficiſci Doctor Albinus Graffinger Lector Theologiæ Ordinarius: ſed eum Acta ajunt iter ob longitudinem viæ & brevitatem tempo-

1525. Fluctuat Diœceſis Patav. ab hæreſi.

1526. Vigilantia Erneſti.

1527. Supplicia de hæreticis.

 ris

ris omiſiſſe. Sed inter quæſitores aderat Joannes Ekius, à quo reus diſcuſſus, cùm nihil ſani profiteretur, gradu ſacerdotii dejectus, transmiſsúsque Schardingam, ubi jubente Guilielmo Duce pœnam ſolennem, fruſtra Friderico Saxoniæ Electore, aliisque magni nominis viris deprecantibus in rogo pependit anno 1527. decima ſexta Auguſti; relatus ab ſuis inter Martyres. Sed periculum à Clandeſtinis hujusmodi ſuſurronibus extimulaverat Erneſti curam, uti anno ſequente 1528. duodecim ejus generis victimas immolaret flammis. In Auſtria Liechtenſteinius Niclospurgi Dynaſta Anabaptiſtis imminebat; itaque permulti vertêre ſolum, Pataviámque delati triginta & ampliùs, qui carceribus excepti, triennium toleravêre, dum aliis per cuſtodum incuriam elapſis, cæteri contabeſcerent. Princeps eorum Balthaſar Huebmerus, de quo ſuprà, ortus ex Fridperg, ſacrarum olim literarum Ingolſtadii Profeſſor, cùm in Helvetis & Suevis pravum dogma olim ſeviſſet, delatus indè ad oppidum Niclospurg cùm omnem pene Moraviam, magnámque Auſtriæ
1528. partem infeciſſet, demum anno 1528. Viennæ die decimo Martii ipſe flammis, uxor verò triduo pòſt aquis Danubii, ſupplicium exolverunt. Quò verò ſectam peſtiferam funditus exſcinderet Ferdinandus Rex luculentum edidit decretum, quo ſeverè mandavit Epiſcopo Patavienſi, ejúsque Vicariis morem geri, neque in exercitio jurisdictionis ipſorum quidquam moleſtiæ inferri.

VI.

Decretum Ferdinandi Regis pro tuenda jurisdictione Antiſtitis Patav. Cod. Auſtr. par. 2. p. 125.

„ Dabatur decretum illud ad omnes & ſingulos provinciæ militiæque „præfectos, Comites, Barones, equites, Vicarios, judices, cives, populúmque univerſum, quo Ferdinandus, perlatum ad ſe, inquit, eſſe, quemadmodum mandata jam aliàs ad extirpationem pravorum dogmatum, non „multo temporis ſpatio per nefarios quosdam & inſolentes tum ſacri tum „profani Ordinis apoſtatas ad ſeditionem usque & effuſionem humani ſanguinis aliásque improbitates invaleſcentium per utramque Auſtriam edita „& promulgata, tamen, uti è viſitatione ac inquiſitione nuper inſtituta intellectum ſit, parùm hactenus obſervata fuerint. Nam eſſe Præfectorum ac „Magiſtratuum nonnullos, qui Venerabilis Principis ac cognati perdilecti videlicet Erneſti Adminiſtratoris Patavienſis, ac Ordinarii jurisdictionem impedire, atque Ejus Vicariis, Officialibus, & Decanis in ejusmodi pravæ doctrinæ ſeminatores animadvertere volentibus non modò præſidio nulli eſſe, „verùm etiam impedimento ſint auſi: ad hæc perſonas etiam ſacras in ditionibus Epiſcopi conſtitutas ad forum ſuum evocare, ad jusjurandum adigere, de decimis, bonis Eccleſiaſticis, Matrimoniis, teſtamentísque presbyterorum aliisque talibus ad tribunal ſacrum ſpectantibus cognitionem ſuſcipere, pœnas etiam corporis atque æris expetere, in clericorum ægrotantium tum & mortuorum facultates inferre manum, déque iis agere pro arbitrio, cognoſcere, judicare: prætereà ſi qui laicorum præcipuè nobilium „ab ſacro judice in jus citentur, ipſos intercedere, ſuis etiam ſubditis, ne compareant, prohibere: Officialibus quoque ac Decanis, ne pœnam in ejusmodi contumaces exequi audeant, negotium faceſſere: quin eſſe nonnullos, „qui feuda ſacra, Beneficia, piásque majorum fundationes, eorúmque reditus in rem ſuam vertant, aut iis clericos ſuſpectos & ſeductores ab ſacra poteſtate minimè ad examen vocatos, nec unquam ad animarum curam aut „munia ſacerdotalia legitimè admiſſos contra ſententiam Conventi Ratisbonenſis præficiant: inſuper decimas, oblationes, aliáque jure parochiano „dudum debita, contrà quàm in Ratisbonenſi atque noviſſimæ viſitationis „inſtrumento ſancitum ſit, præſtare detrectent. Quæ omnia quòd juribus „cùm ſacris tum civilibus, præterea ſacri Ordinis immunitati ac privilegio „dudum à ſummis Pontificibus, Imperatoribus, Regibus, & Archiducibus „majoribus ſuis obtento adverſentur, eòque jurisdictio Eccleſiaſtica in ſacris „Literis inſtituta, refringatur; dignitas ſacerdotalis non apud nobiliores modò, ſed infimi etiam loci homines in ſummum adducatur contemtum, famæque obſcurationem, ſcilicet rem quæ una non poſtremam dediſſet inobedientiæ, pravis moribus, ſeditionibus, atque execrandis, corruptricibus, „hæreticis ejusmodi ſectis fovendis cauſam; ſibi profectò uti Chriſtiano Regi

„nequa-

„nequaquam eſſe in animo hæc ampliùs intueri, aut tolerare; proinde omnibus & ſingulis majorem in modum atque ſub gravis indignationis ac pœnæ denunciatione præcipere, uti ne in poſterum prædicto cognato ſuo Patavienſi Antiſtiti, aut ejusdem Vicariis, Magiſtratibus, Officialibus, ac Decanis in executione poteſtatis ordinariæ munerúmque ſuorum quod quidem res ante dictas atque alias ad forum ſacrum ſpectantes attinet, præjudicium aut impedimentum afferre, obedientiam detrectare, aut ſibi fas putent, aut ab aliis fieri ſuſtineant; in cauſas Eccleſiaſticas neutiquam ſe inferant, ſed eas ad judicem competentem nempe Epiſcopum aut ejusdem Vicarios remittant, eorúmque judicii vim coactivam tueantur, ſuóque præſidio, quandolibetcunque id expetitum fuerit, promoveant: tum ſi caſus incidat, ut iidem ſacri judices clericos flagitioſos comprehendere, eos in cuſtodiam dare, aut lege in eos agere conſtituant, ipſi nequaquam adverſentur, quin eosdem reos ultro dedant, manum quoque & præſidium, ſiquidem id poſtulatum fuerit, in ejusmodi captivis ad loca aut limites ditionis Epiſcopalis ſumptu Epiſcopi deducendis volentes exhibeant. Ad hæc vetitum ſibi noverint, feuda, fundationes ſacras ac reditus occupare, aut ea ad homines niſi judicio ſacro legitimè examinatos, atque ad munia Curatorum ac Sacerdotum approbatos deferre. Quòd ſi verò feudis Eccleſiaſticis intra ſemeſtre per perſonas legitimè præſentatas & admiſſas non provideretur, aut cenſus, reditus, aliæque fundationum ſacrarum partes, quæ fòrs alienatæ aut quomodolibet abſtractæ fuiſſent, non redhiberentur, tum jus erit Ordinario feudum illud, aut fundationis beneficium pro arbitrio in aliquem ſacerdotum pro ea vice conferre, in quo ei tutelam ac præſidium non defuturum. Denique præcipit, uti ea, quæ juris parochorum ſunt, pendere ne cunctentur; bona clericorum ſeu viventium ſeu vita functorum ne attrectent; eam cauſam ad judicium ſuum ne vocent, ſed eò quò pertinent, conſignari ſinant. Quæ cuncta eò ſpectant, ut promoveatur obſequium & gloria Dei, accuretur juſtitia, vita & mores clericorum ad exemplum probitatis reformentur; rancor & offenſio, quam ſeu de clericis laici, ſeu illi de iſtis conceperunt, funditus extirpetur. Datum XVII. Novembris Anno MDXXVIII. Speciatim autem mandatum omnibus Dominis & Judicibus regnorum ac provinciarum ſuarum dedit, „ut in omnes & ſingulos Anabaptiſtas rationis compotes ſecundùm conſtitutionem in Conciliis Spirenſibus factam, vel igne vel gladio pro facti aut perſonæ merito animadverti curent. Datum Viennæ 18. Maji anno 1529. Regnorum ſuorum anno tertio.

1529. Decretum in Anabaptiſtas.

VII. Vienna à Turcis obſeſſa.

Hic annus eſt, quo primùm attollere oculos Germania ſenſu præſentis periculi cepit, Viennâ à Turcis obſeſſâ. Anno 1526. Ludovicus Hungariæ & Bohemiæ Rex in campis Mohazienſibus cum exercitu deletus eſt die 29. Auguſti, Decollationi S. Joannis Baptiſtæ ſacra; utrumque regnum quà uxorio nomine, quà pactis veteribus ſibi ſumebat Ferdinandus, coronatus primùm Pragæ 24. Februarii anno 1527. deinde Albæ-Regalis die tertia Novembris: Sed in Hungaria æmulus ei coortus Joannes, quem vulgò Scepuſienſem vocant. Is invocato Solimanno tanti emit, ut precariò regnaret, admiſſis in viſcera barbaris. Hoc oſtium datum, quo prolatis in Auſtriam ſignis Vienna primùm obſeſſa ab Turcis anno 1529. 21. Septembris. Maturatæ à Catholicis ſuppetiæ, de quibus conſultatum in Comitiis Spirenſibus eodem anno 1529. menſe Aprili celebratis, quò Legatum ſuum miſit Adminiſtrator Patavienſis Doctorem Stephanum Rœslinum Canonicum Patavienſem: Decretum unanimi conſenſu regnum Hungariæ cùm Chriſtianum ſit & indè Reipublicæ Chriſtianæ, inprimis Germanicæ nationis ſalus dependeat, non eſſe deſerendum. Itaque conflatæ ingentes copiæ, ductæque in ſubſidium Viennæ. Erneſti Patavienſis opera ſtrenua fuit in ſubmittenda exercitui annona; qua cura ſic perſunctus eſt, ut ducentis ſexaginta hominum millibus commeatus affatim in tres ſuppeteret menſes; hoc ampliùs æſtimatâ induſtriâ, quòd fruges eſſent difficillimæ paratu, adeóque parcæ, ut

Erneſti ad eam liberandam opera.

multa

multa Germaniæ Italiæque loca etiam fame premerentur. Erneſto igitur non in poſtremis relata Viennæ liberatio, quæ contigit die 16. menſis Octobris.

VIII. 1530. Intereſt Cœtui Auguſtano.

Adfuit deinde anno ſequenti 1530. celebri conventui Auguſtano, ad quem Cæſar Carolus die 15. Junii in profeſto Corporis Chriſti appulit: ibi propoſita ab Lutheranis articulorum ſumma, quam exinde Confeſſionem Auguſtanam vocârunt. Cæterùm adfuiſſe iſthic etiam Erneſtum, liquet ex literis quas Erneſtus Adminiſtrator Epiſcopatus Patavienſis, Comes Palatinus Rheni, Dux utriusque Bavariæ ſcribit Abbati in Zwetl; & de privilegiis & libertatibus deducendorum per Oenum Salium Zwetlenſium abſque telonio certior fieri petit, eorúmque privilegiorum copiam ſibi tranſmitti poſtulat. Datum Auguſtæ Vindelicorum Dominica poſt Bartholomæi, anno 1530. Literæ per officialem Patavienſem Viennæ ſedentem Doctorem Leonardum Mötz Abbati Eraſmo traditæ, quibus hic reſpondit, ſe privilegiorum, quæ hanc ad rem à Principibus & Patavienſibus Epiſcopis haberet, copiam protinus fuiſſe miſſurum, ſi in monaſterio ſuo foret; recipit tamen id poſtea ſe facturum. Datum Viennæ 16. Septemb. anno 1530.

1531. Ferdinandus I, Rom, Rex.

Anno ſequenti 1531. Nonis Januarii deſignatus Coloniæ Romanorum Rex Ferdinandus: rurſum terror ab Turcis; qui in cauſa fuit ut indulgere Cæſar proteſtantibus cogeretur, diſertè urgentibus non opem contra Turcas laturos, non Ferdinandum agnituros Regem, niſi libertate religionis conceſſâ; ergo paci publicæ datum, ut ne cuiquam religionis causâ moleſtia fieret, usque ad Concilii Generalis proximè indicendi, aut certè Comitiorum, in queis de ſumma rei tractaretur, conventum. Hoc ipſo anno conſtitutus Viennæ Epiſcopus Joannes Faber, cujus viri mentionem idcirco facio, quòd ipſius ferè laboribus res Catholica per Auſtriam nondum ſuccubuerat. Quod Joannes Ekius in Bavaria, hoc erat in Auſtria Joannes Faber; hic velut brachium dextrum Ferdinandi; ille Erneſti Patavienſis & Bavariæ Principum.

Indulgetur Lutheranis ob metum Turcarum,

IX. 1532. Erneſtus in Conventu Ratisbon.

Anno 1532. Erneſtus adfuit conventui Ratisbonenſi, quem Cæſar ad motus Germaniæ increscentis conſiliis componendos coegerat. Sub hæc nunciatum de immenſo Turcarum exercitu per Hungariam adventante. Uti maturè auxilia cogerentur, Pontifex dudum antè laboraverat: Lutherani Principes Turcis an Catholicis ſe conjungerent, incerti erant: inter Catholicos quoque diſcordiæ: nam vetus inter Bavariæ Duces de hæreditatis partitione diffidium recruduerat. Pontifex Legatis ſuis, ac præcipuè Patavienſi negotium eos pacificandi dedit; quod ii ſtrenuè perfecerunt, magna idcirco lætitia affecto Pontifice, quam is per literas 9. Octobris datas cum Friſingenſi Epiſcopo communicavit. Inter hæc Solimannus ad fines Auſtriæ Stiriæque pervenerat; ad Ginſium oppidum (quis crederet?) hæsêre univerſi Orientis vires. Cæſari Carolo ab Ratisbonâ in Auſtriam devecto Erneſtus Pataviæ hoſpitium præbuit, triduum cum agmine ſex millium ibidem commoranti. Ei cives Patavienſes obſequium teſtati, quatuor vini Muſcatelli lagenas, duos boves cum inauratis cornibus, & vim panis, quantus in milites ſufficêret, dedêre dono: illud etiam Impetratum, ut copiæ viginti millium Hiſpanorum, qui jam Brunovium Bavariæ advenerant, triſtémque ſui memoriam, quaqua tendebant, reliquerant, iter alîorſum, omiſſâ Patavia flecterent, eo tamen pacto, uti eis aliquot annonæ diaria ſubmitterentur à Patavienſibus; in quæ omnia feruntur ſupra octies centum florennûm expenſi. Adventus Caroli Barbaris animum progrediendi ademit. Immanis ille terror inter latrocinia conſtitit.

Carolo Cæſari hoſpitium Pataviæ præbet.

Anni ſequentes minore quidem ab Turcis metu, cæterùm inteſtino religionis diſſidio & non obſcuris belli præſagiis fluxerunt. Fœdera hinc à Proteſtantibus Inter ſeſe, indè ab Catholicis icta: Anno 1537. Carolus Cæſar cum Antiſtite Salzburgenſi, Tridentino, item Bavariæ aliiſque Principibus habuêre congreſſum Pataviæ; cujus cauſa, Inquit auctor Manuſcripti, adhucdum ignota eſt. Cæterùm facilè conjicitur, haud aliam fuiſſe, quàm de Concilio propediem convocando, déque fœdere inter Catholicos, cujus fundamenta

1537. Congreſſus Principum Pataviæ.

menta in hoc Patavienſi congreſſu jacta ſuſpicor; indè Norimbergæ eodem anno 1537. conſummata. Fuit hac tempeſtate Rupertus à Moshaim Eccleſiæ Patavienſis Decanus, qui nova quædam Religionis reformandæ ſomnia veriùs, quàm conſilia ceperat. Damnabat doctrinam Lutheranam, Zwinglianam aliáſque ſectas; ſed & Romanam multorum abuſuum errorúmque accuſabat: tertium quoddam doctrinæ genus jactabat, ad quod reliquas cupiebat revocatas omnes; quæ doctrina ex unico fundamento VERBI Triunius quod Chriſtus eſt, veluti ex centro & circulo promanet, ſic ut per eam jugulentur quatuor capitales Antichriſti, quos ſe Cæſari revelaturum ſpopondit, uti & alia, quæ uni ſibi à Deo revelata jactabat. Scripſit libros quatuor de Monarchia & renaſcentia Chriſti, ejusdem furfuris. Capitulum Patavienſe pro zelo ſuo brevi hominem miſſum fecit, etiam Pataviá abactum. Qui deinde vocatus in examen, Hagenoæ an. 1540. abditúsque in carcerem in eodem obiit.

De aliis Erneſti geſtis nihil ſuppetit, præter ea, quæ Hundius ex Bruſchio mutuatus eſt: *Adminiſtrans*, inquit, *Patavienſem Eccleſiam, tantâ curâ in rem familiarem incubuit, ut quanquam in ſacris nihil prætermitteret, multis plus æquo viſus fuerit diligens & induſtrius; ditiones & prædia à ſuperioribus Epiſcopis abalienata redemit, atque Eccleſiæ tribuit: Cives ſuos benevolentia ſingulari proſecutus eſt, eorúmque commoda ſtudioſè promovit, atque neceſſitates tum publicè tum privatim ſublevavit; quæ res adeò carum acceptúmque illis reddidit, ut lites, quas cum decurionibus, Senatúque Urbis Patavienſis, de privilegiis quibusdam perpetuas acréſque habuit, eò æquioribus animis vulgò ferrentur. Ac demum certis legibus, quæ hodie quoque habentur Sanctæ, lis tota conquieſceret. Urbana ædificia magnificè conſtrui curavit, in iis inſtaurandis ſplendidiſſimus fuit, ſicut in Epiſcopali palatio & arce Georgiana alibique paſſim apparet. Arces autem juridicundo in agro Patavienſi diſpoſitas atque alia Suburbana & Ruſticana ædificia neglexit; in quibus eſt Haypach, & Tanneberg. Princeps fuit natura ſagax, uſu rerum prudens admodum, æqui juſtique amantiſſimus, parſimoniam & frugalitatem ignobili luxui longè anteferens.* X. De aliis geſtis Erneſti.

Demum anno 1540. cùm Sedes Salzburgenſis per obitum Mathæi Langi Archiepiſcopi die 30. Martii vacare cepiſſet, in ejus Eccleſiæ Adminiſtratorem poſtulatus eſt Erneſtus die 10. menſis Octobris: de quo ſcribit Philippus Guilielmus ab Hornegg voluiſſe Epiſcopatum Patavienſem retinere unà cum dignitate Salisburgenſi; quod cùm minùs procederet, Wolfgango Salmenſi, quem in locum Adjutoris deſtinaverat, ut Epiſcopus fieret, auxilio fuiſſe. XI. 1540. Tranſit ad Sedem Saliſb. *Inform. Laureacenſ. p. 87.*

Addo hìc animadverſionem Gewoldi, qua invehitur in Melchiorem Cleſ- Apologia Gewoldi pro Erneſto.
„ſelium, qui, inquit, ſuperioribus annis non citra Sereniſſimæ Domus Ba-
„varicæ gravem injuriam in publicum ſpargere auſus eſt, Erneſtum Bavariæ
„Ducem Pataviæ Epiſcopum Comitatum Hals ab Eccleſia Patavienſi artibus
„neſcio quibus alienatum, fratri ſuo Guilielmo IV. Bavariæ Duci, & ſuæ
„deinceps familiæ contuliſſe. Id autem quàm ſit longiſſimè à vero alienum,
„prudens lector ex paucis heis diſcet. Anno Domini MDXVII. (quo ipſo
„anno defuncto Wiguleo Epiſcopo, Dux Erneſtus adhuc minorennis, impe-
„trata ob id à Pont. Max. ætatis veniâ, Epiſcopus Patav. factus eſt) Sereniſ-
„ſimi Duces Bavari Guilielmus & Ludovicus fratres, Comitatum & Baro-
„natum Hals unà cum ejusdem inſignibus ab antiquo competentibus, omni-
„búsque aliis pertinentiis, emptionis contractu adquiſiverunt à Joanne Do-
„mino in Degenberg, & à Magdalena ab Aichperg conjuge illius, ad quos
„hæreditario jure & per transactionem quandam devolutus fuerat, vigore
„literarum Emtionis quæ in Archivo Bavarico integræ exſtant & illæſæ.
„Hunc venditionis contractum, Maximilianus I. Imperator ratum habuit,
„dictóſque Bavariæ Duces fratres, inveſtivit de iſto Comitatu Hals, cum
„ſuis pertinentiis (verba literarum inveſtituræ: die Graveſchaft Hals, mit ih-
„ren Zugehörungen, die ſie mit Kaufft von dem Edlen unſern und des Reichs
„lieben getrewen Johannſen Freyherrn zum Degenberg an ſich gebracht h. e.

„Comitatum Hals, cum ſuis pertinentiis, quem Comitatum per emtionem à „Nobili noſtro & imperii dilecto fideli Johanne Barone in Degenberg, ac„quiſiverunt &c.) faceſſat ergò procul Cleſſelianum figmentum: & Sereniſ„ſimis Bavariæ Ducibus illata injuria, in auctorem ſuum palàm recidat. Ba„variæ Duces primos fundatores Eccleſ. Patavienſ. diplomata in præceden„tibus exhibita manifeſtè docent, nec eſt, qui negare auſit. Idem Duces „ejusdem Eccleſiæ conſervatores quoque & benefactores ac patroni haſte„nus extiterunt, tantúmque abeſt, ſurripuiſſe illos quidquam de bonis aut Ju„ribus illius, ut potiùs ſubinde plurima contulerint. Hucusque Gewoldus.

Anno 1521. Bernhardus Suffraganeus Patav. conſecravit Abbatem Syttanſtetenſem Henricum Sues.

An. 1532. Henricus Chryſopolitanus Suffraganeus Patav. conſecravit Joan. Eyspain Abbatem Syttanſtet. in Sacello B. M. V. Patav.

Ann 1536. Aſſumptus eſt in Suffraganeum Patavienſem Thomas Murnanus ex Ordine Minorum Provinciæ Auſtriacæ, Cuſtode Cœnobii Patavienſis. Ita auctor Opuſculi nuperrimè editi *Sec. V. Ord. Convent.*

Diplomata nuper indicata, quæ Carolus V. Erneſto in Comitiis Wormatienſibus dedit, recitat Gewoldus, ex quo eadem huc inſerimus; alterum quidem ad verbum; quoniam ſtilo conceptum Latino. Sed alterum ſermone ſcriptum vernaculo, prætermiſſis parergis, quæ pene ad verbum eadem ſunt in utroque, ſummatim proferimus ùt ſequitur:

Diploma Caroli V. pro Eccl. Patav. „Nos Carolus V. Dei gratia Electus Romanorum Imperator &c. Rogati à venerabili Erneſto Adminiſtratore Epiſcopatus Patavienſis Principe „&c. Nec non Præpoſito, Decano, Capitulo ejusdem Eccleſiæ, uti confir„maremus omnes & ſingulas gratias, literas, privilegia, libertates, jura &c. „ab Imperatoribus, Regibus, Principibus Auſtriæ, Palatinis Rheni Ducibus „Bavariæ piæ memoriæ aliisque Chriſtianis Principibus ac Dominis data „collatáque, ac ſpeciatim literas tres, quarum unas ſuper Monaſteria dedit „Hainricus & Otto fratres, ac Hainricus patruelis eorundem, Palatini Rheni „Duces Bavariæ: quarum literarum hæc eſt ſubſcriptio: Datum Ratisbonæ „Anno Chriſti MCCCXXIII. Sabbato proximo à Pentecoſte. Deinde alte„ras, quibus Otto Romani Imperii Archicamerarius & Elector; item Ste„phanus, Fridericus & Joannes Palatini Rheni Duces Bavariæ Clerum Pata„vienſem per Bavariam à vectigalibus liberum pronunciârunt. Datum Lan„dishutæ Anno MCCCLXXVII. Demum tertias datas à Friderico III. ab„avo noſtro, quibus veniam dedit augendi portorium in urbe Patavia & in „Obernperg. Datum Neoſtadii die Lunæ poſt Dominicam *Invocavit*. Anno „MCCCCLXV. Regnorum noſtrorum Romani XXV. Imperii XVI. Hunga„rici VII. Has itaque literas uti renovare, confirmare, ac ſtabilire dignare„mur, prout olim Sereniſſimus Cæſar Maximilianus avus noſter bonæ me„moriæ fecerat per literas Majeſtatis, quarum datum eſt Welſii die XXII. „Januarii Anno MDI. rogati Nos quoque renovamus, firmamus, robúrque „habere volumus, ſupplentes defectum quemcunque &c. Datum Worma„tiæ die XV. menſis Februarii Anno MDXXI. Regnorum noſtrorum Ro„mani II. Cæterorum VI.

Carolus.

Ad mandatum Domini Imperatoris proprium

Albertus Cardinalis Moguntinus
Archi-Cancellarius SS.

Poſt paucos indè dies eodem in loco datum inſtrumentum alterum idiomate Latino, quod veluti Summarium eſt privilegiorum Patavienſium ad id usque tempus à variis Principibus indultorum.

Caro-

„ Carolus quintus divina favente clementia electus Romanorum Impe- Diploma alterum.
„rator ſemper Auguſtus, ac Rex Germaniæ, Caſtellæ, Arragoniæ, Legionis,
„utriusque Siciliæ, Hieruſalem, Hungarie, Dalmatiæ, Croatiæ, Navarræ,
„Granatæ, Sardiniæ, Cordubæ, Corſicæ, Murciæ, Giennis, Algarbiæ, Al-
„geiræ, Gibraltaris, ac Inſularum Canariæ & Indiarum, ac terræ firmæ,
„Maris Oceani &c. Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Braban-
„tiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Lymburgiæ, Lucemburgiæ, Gheldriæ,
„Calabriæ, Athenarum, Neopatriæ, Wirtenbergæ, Comes Flandriæ, Habs-
„purgi, Tirolis, Barchinonæ, Arthois, & Burgundiæ, Comes Palatinus Han-
„noniæ, Holandiæ, Ferretis, Kiburgi, Namurci, Roſſilionis, Caritaniæ &
„Zutphaniæ, Lantgravius Alſatiæ, Marchio Burgoviæ, Oriſtani, Gotziani,
„& Sacri Romani Imperii Princeps Sueviæ, Cathaloniæ, Aſturiæ &c. Domi-
„nus Phryſiæ, Marchiæ Sclavonicæ, Portus Naonis, Biſcajæ, Molinæ, Sali-
„narum, Tripolis & Mechliniæ &c. Notum facimus tenore preſentium Uni-
„verſis. Quámque ex Cæſarei culminis beneficientia univerſorum ſubdito-
„rum, quos ſacri Imperii amplitudo complectitur commodo, quieti, & au-
„gmento proſpicere & providere, ùt congruit & ſoleamus. Uberiori tamen
„clementia munificentioríque benignitate illis inclinari, libertates defendere,
„Jura, Immunitates, & Indulta tueri plerúmque etiam ampliare & augere
„conſuevimus, quos divinis mancipatos obſequiis jugiter inherere vigilan-
„térque incumbere intelligimus aſſiduo cultui Creatoris, quorum piis preci-
„bus & orationibus apud eum pro ſacri Imperii & Reipublicæ Chriſtianæ
„exaltatione & felici & proſpera manutentione adjuvari nos poſſe firmiter
„credimus, ſanè per Venerabilem Erneſtum Eccleſiæ Patavienſis Adminiſtra-
„torem, Principem & Conſanguineum noſtrum devotum nobis dilectum
„noſtræ Celſitudini oblata ſupplex petitio continebat, uti ſibi & honorabili-
„bus Prepoſito, Decano & Capitulo Eccleſiæ Patavienſis devotis noſtris Di-
„lectis, omnia & ſingula privilegia, literas, libertates, gratias, immunitates,
„Jura, Conceſſiones, donationes & Indulta, quæ ſeu quas communiter vel
„diviſim à Divis Romanorum Imperatoribus ſive Regibus Predeceſſoribus
„noſtris Ducibus Auſtriæ & Bavariæ & aliis Principibus & perſonis ſaltem in
„temporibus rite obtinuerunt. Quæ quidem Privilegia juxta eorundem te-
„norem certo ordine noviſſimè in paginas ſive Regiſtrum viginti duorum fo-
„liorum ex gratia ſpeciali per felicis memoriæ Proavum & prædeceſſorem
„noſtrum Imperatorem Fridericum tertium ſub aurea Bulla Typiarii ſui co-
„ram nobis exhibitum redacta & confirmata fuerint, in omnibus & ſingulis
„ſuis articulis, continentiis, tenoribus, ſententiis, punctis & clauſulis de ver-
„bo ad verbum prout ſcripta ſeu ſcriptæ ſunt, nec non earum bona, alta &
„baſſa Judicia, mineras, advocatias, venationes, ſalvos conductus, Monetam,
„Telonea, Mutas, Jura feudi, laudabiles conſuetudines, uſus & honores
„eorundem, & quicquid hoc tempore legitimè poſſident, ſicut ad plenum
„continentur & in ſupradictis paginis ſive Regiſtro inſerta ſunt, de ſolita cle-
„mentia innovare, approbare, ratificare, confirmare, de novo concedere &
„auctoriſare gratioſè dignaremur. Nos igitur precibus Prænominatorum
„Adminiſtratoris, Decani, & Capituli Eccleſiæ Patavienſis, ut puta rationi
„conſonis inclinati, tum etiámque juſta petentibus non ſit denegandus aſſen-
„ſus, nihilominus nobiſcum animo revolventes ſedula & fida miniſteria
„per Prædeceſſores Epiſcopos Patavienſes & nominatim quondam Epiſco-
„pum Udalricum ſacro Imperio exhibita ſunt, & per modernum Admini-
„ſtratorem nobis & eidem in futurum pariter exhiberi & præſtari poſſunt at-
„que debent, non per errorem aut improvidè, ſed animo deliberato, ſano
„Principum, Procerum, Nobilium, & fidelium noſtrorum accedente conſi-
„lio, atque ex certa noſtra ſcientia Adminiſtratoris Erneſti, ac Præpoſiti, De-
„cani, Capituli Pataviensſis omnia & ſingula privilegia, univerſáſque liber-
„tates, gratias, Immunitates, Jura, Conceſſiones, Donationes, & indulta, que
„ſeu quas communiter vel diviſim à Divis Romanorum Imperatoribus ſeu
„Regibus prædeceſſoribus noſtris & nominatim ab Arnolfo Imperatore,

„cujus privilegium datum eſt in civitate Reginâ, Anno Domini Octingente-
* Con. ſeptimo. „ſimo Nonageſimo tertio. * Item à Ludovico Rege in Orientali Francia,
„cujus privilegium datum eſt, in Oſtrenhova quarta decima Kal. Maji anno
„Regni ſui tertio. Item rurſus ab Imperatore Arnolfo, cujus privilegium
„datum eſt Raganeſpurg, quinto idus Septembris Anno Incarnationis Domi-
„nicæ Octingenteſimo, Nonageſimo octavo. Item ab Ottonibus primo, ſe-
„cundo, & tertio Imperatoribus & Regibus privilegia ſeptem, quorum pri-
„mum, ſecundum & tertium data ſunt Ratiſbonæ, ſecundo Kal. Auguſti,
„Anno Dominicæ Incarnationis Nonigenteſimo Octuageſimo. Quintum
„Bambergæ pridie Kal. Octobris, Anno Dominicæ Incarnationis Nonigente-
„ſimo Octuageſimo quinto. Sextum Romæ, tertio Non. Januarii, Anno
„Nonagenteſimo Octuageſimo nono. Septimum datum Diaſpurgo octavo
„Idus Februarii, Anno Dominicæ Incarnationis Nonagenteſimo nonageſimo
„tertio. Item ab Henrico tertio duo Privilegia, quorum primum emanavit
„in Perſinicho tertio Nonas Junii, Anno Domini Milleſimo quadrageſimo
„quinto. Secundum datum eſt Gemunde Sextodecimo Kal. Julii, Anno Do-
„minicæ Incarnationis Milleſimo quadrageſimo Nono. Item Friderico pri-
„mo duo Privilegia, quorum primum datum eſt apud Cumas Anno Mille-
„ſimo Centeſimo Sexageſimo primo. Secundum datum eſt ante portas civi-
„tatis Mediolan. tertio nonas Junii, anno jam dicto. Item ab Henrico ſexto
„cujus privilegium emanavit Spiræ Anno ab Incarnatione Domini Milleſimo
„centeſimo nonageſimo tertio, quinto Kal. Aprilis. Item à Friderico ſecun-
„do tria privilegia, quorum primum datum eſt apud Auguſtam datum anno
„Domini Milleſimo ducenteſimo decimo quinto. Secundum apud Nüren-
„berg anno Domini Milleſimo ducenteſimo decimo ſeptimo, duodecimo Kal.
„Februarii. Tertium datum eſt Wimpine Kal. Auguſti, Anno Domini Mil-
„leſimo ducenteſimo decimo octavo. A Rudolpfo Rege quinque: Quorum
primum datum eſt Nürenbergæ undecimo Kal. Decembris, Anno Domini
Milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo quarto. Secundum apud Pataviam in
caſtris ſexto Kal. Octobris, Anno Domini Milleſimo ducenteſimo ſeptuage-
ſimo ſexto. Tertium apud Novam civitatem octavo Kal. Decembris, Anno
Domini Milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo. Quartum Viennæ
quarto Nonas Aprilis, Anno Domini Milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo
nono. Quintum etiam Viennæ quarto Kal. Maji, Anno Domini Milleſimo
ducenteſimo octuageſimo primo. Item à Carolo quarto cujus privilegium
datum eſt Pragæ duodecimo Kal. Aprilis, Anno Domini Milleſimo trecente-
ſimo ſexageſimo ſexto. Item à Ruperto Rege, cujus privilegium datum eſt
Amberg, Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo quinto, quarta feria poſt
feſtum beati Laurentii. Item à Ludovico Imperatore cujus literæ datæ ſunt
in Landshuet in vulgari Alemanico, anno viceſimo nono Regni ejus. Item
à Sigiſmundo cujus privilegium eſt datum in Tatta anno Domini Milleſimo
quadringenteſimo viceſimo quinto penultima die menſis Martii. A Fride-
rico tertio præfato proavo noſtro quatuor: quorum primum & ſecundum
emanarunt in Nova civitate, Anno poſt Nativitatem Chriſti Milleſimo qua-
dringenteſimo quinto. Tertium in dicta quoque Nova civitate datum eſt
die Dominica *Invocavit*, Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo ſexage-
ſimo quinto. Quartum in eadem Nova-Civitate ſub præfata aurea Typiarii
ſui Bulla emanavit in die S. Maximiliani Epiſcopi, Anno Domini Milleſimo
quadringenteſimo ſexageſimo ſexto. Item ab avo noſtro Maximiliano cujus
datum eſt in Wels viceſima ſecunda menſis Februarii, Anno Domini Mille-
ſimo quingenteſimo primo. Nec non à Ducibus Auſtriæ & Bavariæ, aliiſ-
que Principibus & perſonis cujuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, aut præemi-
nentiæ conditioniſque ſint vel fuerint rite obtinuerunt & nominatim à Leo-
poldo Duce Auſtriæ & Stiriæ, cujus literarum datum eſt Pataviæ, Anno Do-
minicæ Incarnationis Milleſimo ducenteſimo decimo ſexto. Item à Friderico
Duce Auſtriæ & Stiriæ & Domino Carniolæ, cujus literarum datum eſt Pata-
viæ, Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo ducenteſimo quadrageſimo
primo

primo Kal. Martii. Item ab Henrico Palatino Comite Rheni, Duce Bavariæ, cujus literarum datum eſt Pataviæ, Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo ducenteſimo ſexageſimo ſecundo decimo octavo Kal. Januarii. Item ab O. Rege Bohemorum, cujus literæ datæ ſunt in Egenburg, Anno Domini Milleſimo ducenteſimo ſexageſimo ſexto Idus Martii. Item ab Henrico & Ottone fratribus & Henrico eorum Patruo Palatinis Comitibus Rheni, & Ducibus Bavariæ, quorum literarum datum eſt Ratisbonæ, Anno Domini Milleſimo trecenteſimo viceſimo tertio Sabbato poſt Pentecoſten. Item ab Alberto Duce Auſtriæ cujus literarum datum eſt Viennæ feria ſexta proxima ante feſtum beati Valentini Martyris, Anno Domini Milleſimo trecenteſimo triceſimo octavo. Item à Rudolpho quarto Archiduce Auſtriæ cujus literarum datum eſt Viennæ in die S. Scholaſticæ, Anno Domini Milleſimo trecenteſimo ſexageſimo quinto. Item à Burchardo Burggravio de Maidburg & Comite in Hardeke, cujus literæ judicialiter Pragæ emanarunt die lunæ poſt Dominicam Invocavit, Anno Domini Milleſimo trecenteſimo ſexageſimo ſeptimo. Item ab Ottone ſacri Imperii Archi-Camerario Principe Electore, cujus literæ datæ ſunt in Landshuet die Sancti Pauli converſionis, anno Domini Milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo. Item ab Alberto Archiduce Auſtriæ, cujus literæ emanârunt in Lyntz, in die S. Agnetis, anno Domini Milleſimo quadringenteſimo nono. In omnibus & ſingulis ſuis articulis, continentiis, tenoribus, ſive ſententiis, punctis & clauſulis, ac ſi de verbo ad verbum preſentibus ſcripta, & ſcriptæ, eorundémque tenores præſentibus ſpecificè forent inſerti, etiam ſi de his jure vel conſuetudine mentio fieri deberet ſpecialis. Nec non alia eorum bona, alta & baſſa Judicia, Mineras, Advocatias, venationes, ſalvos conductus, Telonia, Mutas, vectigalia, Jura feudi, laudabiles conſuetudines, uſus & honores eorundem, & quidquid de præſenti legitimè poſſident; ſupra ſcripta etiam privilegia memoratorum noſtrorum prædeceſſorum tam Imperatorum & Regum Romanorúmque Ducum & Archiducum Auſtriæ & Ducum Bavariæ, aliorúmque Principum & Perſonarum quarumcunque approbamus, ratificamus, de novo concedimus & auctoritate noſtra Romana Cæſarea, noſtris aliàs, & ſacri Romani Imperii Juribus ſemper ſalvis auctoriſamus & confirmamus, omnem etiam defectum & Juris ſolennitatem ſi qua in præmiſſis quomodolibet requireretur, eadem Cæſareæ poteſtatis plenitudine ſupplentes, præfato Erneſto Adminiſtratori ejúsque Succeſſoribus Epiſcopis Paſſavienſibus Bannum Imperiale concedentes, quod ſubinde fide dignis perſonis, criminalium cauſarum Judicibus ſubdelegare poſſint, quemadmodum ceteri Imperii Principes jure vel conſuetudine poſſunt. Quocirca univerſis & ſingulis Principibus Eccleſiaſticis, & Secularibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, Proceribus, Balivis, Univerſitatibus, Communitatibus, cæteriſque noſtris & Imperii ſacri ſubditis communiter vel diviſim diſtrictè præcipiendo mandantes, ne præfatum Adminiſtratorem Erneſtum Principem noſtrum, Præpoſitum, Decanum, & Capitulum Eccleſiæ Patavienſis devotos noſtros dilectos, & illorum ſubditos prædictos in confirmatis per nos privilegiis, Juribus, gratiis, libertatibus, immunitatibus, conceſſionibus, donationibus & Indultis, impediant, moleſtent, aut perturbent, aut impedientibus, ſeu impedire volentibus auxilium, conſilium præſtent; aut favorem directè vel indirectè quovis quæſito ingenio, vel colore, quin imò eos in his pro noſtri & ſacri Imperii reverentia, veluti tenentur, foveant & tueantur. Cæterùm ut prænominatus Adminiſtrator Erneſtus, ſe à noſtra Cæſarea Celſitudine uberiori beneficentia, ut quem nobis arctiori ſanguinis vinculo DEus naturáque ipſa conjunxit, ſentiat affectum, ipſum ac Præpoſitum, Decanum & Capitulum, ſingulóſque Canonicos & perſonas, nec non univerſum utriusque ſexus Clerum prædictos cum bonis Eccleſiarum, nec non eorum Succeſſores pro tempore exiſtentes, cum eorum Juribus ſive corporalibus ſive incorporalibus & jurisdictionibus, præſentibus & futuris in noſtram & ſacri Imperii tuitionem, ſalvaquardiam, defenſionem & protectionem aſſumimus præſentium

per tenorem. Verùm cùm parùm proſit privilegia & gratias concedere, niſi ſit, qui illas tueatur & defendat, hoc Imperiali Edicto firmiter ſancimus & ſtatuimus, ut quoscunque ſacri Imperii Principes, aut alios cujuscunque ſtatûs Imperii ſubditos ſepenominatus Adminiſtrator, aut Præpoſitus, Decanus, Capitulum ſingulare vel Canonici aut Clerici Eccleſiæ Patavienſis pro tutandis & exequendis his noſtris præſcriptis, gratiis, & indultis duxerint requirendos, is aut hii ad hanc noſtram juſſionem & cujuslibet ex ſupra tactis inſtantiam noſtra Cæſarea freti autoritate quam preſentium per tenorem eis & cuilibet ipſorum concedimus, & largimur, Moleſtatores illos, & cujuslibet ipſorum ad ſuam vocare præſentiam prævia cognitione cauſæ præmiſſa ad condignam ſatisfactionem valeant compellere & teneantur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc noſtræ approbationis, ratificationis, innovationis, de novo conceſſionis, confirmationis, inhibitionis, ſtatuti, tuitionis, aſſumptionis paginam infringere, aut ei quovis auſu temerario contraire; ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem noſtram, & Imperii ſacri graviſſimam, nec non in præfatorum Romanorum, Regum & Principum privilegiis & centum Marcharum auri puri pœnas pro medietate Cæſareo noſtro fiſco, reſidua verò parte dictis Adminiſtratori, Præpoſito, Decano, & Capitulo Pataviensi applicandos ſe noverit ipſo facto irremiſſibiliter incurſurum, Harum teſtimonio literarum ſigilli noſtri appenſione roboratarum. Datum in Civitate noſtra Imperiali Wormatia die quinta menſis Martii, Anno Domini Milleſimo quingenteſimo viceſimo primo, Regnorum noſtrorum Romani ſecundo, aliorum verò omnium ſexto.

Carolus.

EPISCOPUS PATAVIENSIS LX.

Wolſgangus I.

I. 1540. Præſul eximiæ virtutis.

CLaritatem generis virtutis nobilitate vicit. Multæ ejus laudes à prudentia tum ſacra, tum civili; à doctrina, eloquentia, peritiâque linguarum; à librorum, hominúmque literatorum ſtudio; à cura religionis, clementia in ſubditos, magnificentia, liberalitate, aliisque virtutibus, ob quas non dubitavit ſcribere Joannes Dugo Philonius ejus familiaris, optare ſe „Germaniæ quinque duntaxat Epiſcopos Wolfgangi ſimiles, neque dubitarem, inquit, quin ſublata diſcordia brevi non ſolùm per Germaniam, ſed „etiam per totam Europam, pacatam cerneremus Eccleſiam. Incomparabi„liter enim antecellis & doctrina & pietate cæteros Antiſtites: dum enim „alii Monarchas mundi captant & ipſorum favorem nullis non venantur ob„ſequiis; Tu Deum precaris & Sancti Spiritus gratiam tibi ac populis com„mendatis paras. Dum alii ſtudent congerendis opibus, tu Bibliothecam „coëmptis utriusque linguæ libris locupletas: dum alii convivantur & indul„gent genio; tu Doctorum volumina volvis: dum alii corpori vacant; tu „ſacris literis reficis animam: dum alii ludionibus & morionibus dant ope„ram; tum cum viris doctis diſputando voluntatem Dei diſcis ac doces: „dum alii denique ob imperitiam ſacrarum literarum curam Eccleſiaſticæ „rei gerendæ omnem Vicariis & alienis commendant; tu ipſe doctiſſimus „Canonum & Scripturæ ſacræ per te obis, quidquid Epiſcopalem authorita„tem requirit. Qualis autem ſis providendis Eccleſiis, parochis populo cui„que præficiendis, examinandis concionatoribus, cærimoniis obeundis, di„ſpenſandis Sacramentis, præterea cognoſcendis cauſis Eccleſiaſticis, ſtudiis „conſervandæ pacis, tollendis diſſidiis, bonis fovendis, coërcendis malis, at„que cæteris Eccleſiæ rebus gerendis, prudens omitto. Hæc Philonius.

II. Pater Wolfgangi clariſſimus.

Natus eſt Wolfgangus utroque parente Clariſſimo: Genitor *Nicolaus III. Comes à Salm incomparabilis Heros; trium Imperatorum ac D. Ferdinandi Rom. Hung. ac Bohemiæ Regis ab arcanis conſiliis, ſupremus provinciarum Auſtriæ Capi-*

Capitaneus, qui, cùm quatuor Cæſarum auſpiciis Reip. annis 45. fortem atque ſtrenuam operam domi militiæque navâſſet, anno 1529. Solimanno Turcarum Tyranno Viennam atrociter oppugnante, tum dirutis mænibus invictum generoſi animi robur ſe murum hoſtium minis opponit, ſaxo percuſſus lethale vulnus accepit, ex quo paulo pòſt obiit. Ei D. Ferdinandus patriæ pater virtutis rerúmque geſtarum gloriæ monumentum curavit in æde S. Dorotheæ Viennæ 4. Maji Anno 1530. Hæc ad verbum ex epitaphio ejus mutuati ſumus. In majores ejus laudes excurrit Georgius Eder Academiæ Viennenſis Rector in oratione funebri quam Nicolai hujus filio itidem Nicolao, Wolfgangi Epiſcopi germano fratri, in eadem æde S. Dorotheæ anno 1551. peroravit. „Illud, inquit, minimè tacendum, quòd „miles & Dux ille cordatiſſimus, acerrimum Romani Imperii tum temporis „hoſtem, Gallorum Regem, ſuis ipſe manibus cepiſſe atque Impp. noſtris ſubjugâſſe dicitur. Perpetua verò rei memoria dignum eſt, quòd is civitatem „hanc Viennenſem præclariſſimam ante annos plus minus XX. obſeſſam ac „propè collapſam conſervavit pene ſolus accepto ibi vulnere lethali; quo „nomine quidem hæc civitas omnis, vitæ ac ſalutis ſuæ partem maximam „huic viro vel ſoli debere videtur. Hæc ille. Progenies Comitum Salmenſium ob vetuſtatem, opes ac gloriam rerum geſtarum clara in paucis apud genealogicos eſt, ad quos lectorem remittimus. Ditiones ipſorum in Auſtraſia ſeu Lotharingia; unde profectus Nicolaus Wolfgangi pater, ſtipendia ſub Carolo V. Imperatore aliquamdiu meruit; indè aſcitus à Ferdinando, fortunæ ſedem in Auſtria fixit, obtento caſtro prædivite Neoburgo ad Oenum, aliquot paſſuum millibus ſupra Pataviam, auctórque fuit lineæ Salmenſis Neoburgicæ, pater trium filiorum, Chriſtophori, qui in adoleſcentia deceſſit, Wolfgangi noſtri, ac Nicolai IV. qui Cæſari Ferdinando à Conſiliis Secretioribus, Eques aurei velleris, exercitus per Hungariam ſupremus Dux, atque Comitatûs Poſonienſis Præfectus, quique anno 1550. die 20. Decembris Agriæ in Hungaria ætatem floridam magno exercitûs mœrore concluſit, relictis tribus filiis Ecktio, Julio & Nicolao.

De ſtirpe Comitum à Salm.

Cæterùm genus maternum Wolfgangi ex Rogendorffiis; qui de Styria in Auſtriam ſub Friderico IV. tranſlati, multis illic ditionibus ditati, geſtis etiam conſpicuis in republica dignitatibus claruerunt. Ex his Eliſabetha Gaſparis Baronis de Rogendorff Burgravii Stirenſis filia fratres habuit Wolfgangum Caroli V. Vicarium in Friſia, Ferdinandi Cæſaris ſupremum Aulæ Magiſtrum, & provinciæ infra Anaſum Mareſchallum. Item Wilhelmum, ſub tribus Cæſaribus, Maximiliano, Carolo, Ferdinando Ductorem belli; à propugnata Verona urbe anno 1513. deinde Viennâ anno 1529. celebrem; poſtremùm à Ferdinando ad oppugnandam Budam cum exercitu legatum anno 1541. ubi infelicem aleam expertus interiit ex vulnere. Itaque Eliſabetha iſtorum ſoror Nicolao Salmenſi nupta in lucem Wolfgangum edidit circa annum 1514. uti colligitur ex Bruſchio, qui ſcribit eum anno 1529. quo patrem amiſit, fuiſſe natum annos XVI.

Genus maternum Wolfgangi.

III.

Studia literarum.

Ætatem teneram in literarum ſtudiis diligenter exercuit; ſub pædagogo Thoma Veider Brixinenſi, viro antiquitatum & hiſtoriarum admodum ſtudioſo; deinde eorundem ſtudiorum continuandorum gratia in Italiam profectus eſt, elucente jam tum ad ſumma quæque adoleſcentis indole; cujus itineri Gaſpar Urſinus Velius poëta & hiſtoricus olim regius tali applauſit propemptico:

Alite vade bona juvenum clariſſime, quo te
Fert via; poſt paucos huc rediture dies.
Omnes tu vinces proavos, atavósque, patrémque,
Olim qui factis enituêre bene.
Omnes te ſupra ſtatuet Tritonia Pallas,
Cujus tam caſto pectore ſacra colis.

Linguam Italicam, Gallicam, Latinam, imò & Græcam peritiſſimè callebat: nullius veterum Philoſophorum ignarus aut rudis; quem idcirco Bruſchius

Peritia linguarum multiplex.

Doctrina varia.

omni

omni virtutum ac eruditionis genere abſolutiſſimum ac verè πολυγλώτατον appellat. Sed in eo præſertim genere doctrinæ, quod inſtituti ſactatioris eſt, omníque Divini Codicis parte mirificè verſatus: ingenio à teneris ſic inſtituto, ut unas in deliciis haberet literas, hominúmque doctorum contubernio unicè acquieſceret. His ornamentis excultus Eccleſiæ reſque publicæ magnum columen parabatur. Collegio Pataviensium Canonicorum adſcriptus adoleſcens, ſic enituit, ut honore feſtinato, quippe adoleſcentiâ vixdum peractâ crearetur Præpoſitus anno 1534. ætatis primo & viceſimo; quam præfecturam in annum ſeptimum ea laude geſſit, ut Erneſto Principe ad Salzburgenſem thronum translato, Wolfgangus *ob inſignem vitæ & morum integritatem* (verba ſunt Georgii Ederi ſuprà laudati) *ac eruditionem incomparabilem; tum etiam ob ſummam autoritatem & gratiam, quâ apud Imperatores diuos præ cæteris ſuo propè jure plurimùm pollebat, ſummo conſenſu & conſtantiſſimo omnium ſuffragio in Epiſcopum Pataviensem eligeretur.* Ita Ederus. Acceſſerat commendatio Ferdinandi Regis, quem is non tam gratiæ perſonæ, neque meritis familiæ nobiliſſimæ, quæ tum ob oculos omnium verſabantur, dabat, quàm egregiæ ſpei, quam pientiſſimus Princeps eo religionis ac reipublicæ profligato ſtatu de virtute Wolfgangi præceperat.

Præpoſitus Patav.

Demum Electus in Epiſcopum comni voto.

Electus eſt anno 1540. circa feſtum S. Martini anno ætatis ſeptimo ſupra viceſimum. Electionem legitimè ratam habuit Paulus tertius anno 1541. 12. Kal. Martii, Pontificatus anno ſeptimo, quo datis ad Salzburgenſem literis Ei novum Præſulem pro more commendavit. Annus aut locus conſecrationis Wolfgangi in incerto eſt. Ab Erneſto poſtò Salzburgenſi, quòd is ipſe ſacris eſſet ordinibus deſtitutus, conſecrari haud poterat: veriſimile eſt conſecratum eſſe anno Epiſcopatus primo, quod colligi videtur ex literis Pauli tertii Pontificis, per quas Wolfgango concedit veniam, à quocunque maluerit Catholico Antiſtite recipiendi conſecrationis munus. Datum decimo Kal. Martii anno Pontificatus ſeptimo, id eſt ſalutis 1541.

1541. Confirmatur à Papa.

IV.

Multus ejus uſus in negotiis Eccleſiæ & Reipub.

Res religionis afflictæ.

Staturam corporis, quam eſt modicam à natura ſortitus, penſavit animi vis verè nobilis & heroica, quæ in gravibus quibusque reipublicæ negotiis eluxit.

Erant res Auſtriæ loco admodum afflicto: indè ab infundente ſe hæreſi, cui præſidia ab doctis viris vix ulla ſuppetebant domi; hinc urgente è Turcis metu, quem ingrata adversùs ſectarios indulgentia ſæpe redimi oportebat: malum erat anceps, quorum alterum propelli citra alterius incrementum haud poterat. Jámque erat in Auſtria doctrinæ novæ pruritus adeò vulgatus, ut anno 1541. coitione facta proceres 24. civitates decem (in quibus Vienna) petere etiam ſuſtinerent ab Rege veniam Evangelii ſcilicet puri, atque ſub ſpecioſis verborum involucris libertatem denique Lutheriſmi: quos cùm irritare ob metum ex occupata nuper à Turcis Buda non auderet Rex, eludere in præſens ſatis habuit, ad Concilium aut Conventum Imperii poſt 18. menſes indicendum remiſſos. Adeò triſti reipublicæ ſtatu egregiam Ferdinando Regi operam commodabat Wolfgangus; ad omnia ferè Germaniæ Comitia quæ his annis crebra admodum ac turbida cùm in negotio religionis, tum ſuppetiis adversùs hoſtem Chriſtiani nominis corrogandis fiebant, Ejus nomine Legatus. Sic anno 1542. menſe Februario acceſſit ad Conventum Spirenſem, effecítque ut decerneretur communi Conſilio in Turcas bellum, decreto viritim ſubſidio. Rurſum anno 1544. Comitiis in eadem Spirenſi urbe coactis menſe primùm Januario, deinde & Majo Wolfgangus Ferdinandi juſſu interfuit: indè Wormatiæ, Norimbergæ, Ratisbonæ eadem Sparta perfunctus. Indictum ſubinde fuerat generale Concilium ad urbem Tridentum anno 1545. ad quem cœtum celeberrimum, totius orbis Chriſtiani florem Ferdinando Regi nemo qui allegaretur, opportunior Wolfgango viſus: hunc miſit unà cum Friderico Præſule Viennenſi, Franciſco de Caſtelalto Comitatus Teriolenſis Præfecto generali, Joanne Cochlæo Theologo, & Antonio Queta utriusque juris Doctore. Eos accepit ſolenni pompa Chriſtophorus Madrucius Cardinalis Tridentinus, cum Didaco Mendoza

1542. Wolfgangus in Comitio Spirenſi.

1544 Iterum in diverſis conventibus

1545. Indictum Concilium ad urbem Trident. Eò legatus à Ferdinando Wolfgangus.

Cæſa-

Cæſaris Oratore. Adſuit Wolfgangus inchoationi Concilii, cujus prima Seſſio celebrata eſt idibus Decembris ejusdem anni: Sed cùm Patres paulo quàm optaretur, pauciores adeſſent, résque religionis in Germania non jam Sanctionibus, ſed armis videretur decernenda, quippe fœdere Schmalcaldico colligatis inter ſeſe Principibus, atque in perniciem rei Catholicæ tollentibus ſigna, revocatus eſt à Ferdinando Rege Wolfgangus, quò ejus opera in tractatu pacis, quem Carolus Cæſar Ratisbonæ habendum decreverat, uteretur. Eam ad urbem Wolfgangus anno 1546. profectus eſt menſe Majo, aſſeditque in eo cœtu à die duodecima ejusdem menſis Maji ad quintam usque ſextilis, ubi quantum etiam ſtudii ad negotium pacis ac Religionis formandum ipſe cum aliis exereret, nihil tamen ad ſummam confici potuit: ſecutum indè bellum, quod appellavêre Schmalcaldicum, quo Carolus Cæſar hoſtes prudenti cunctatione primùm, deinde celeritate vicit. Abruptum ſubinde Tridenti Concilium ob luem peſtiferam, páxque Germaniæ tantilla reddita, quo demum licuit Antiſtiti Patavienſi valetudini, qua ferè afflicta utebatur, paulisper vacare: Cæterùm è negotiis præteritis tantum exiſtimationis collegerat, adeò ſatis Ferdinando fecerat, uti is deliberatum haberet ei mandare Cancellarii Imperialis aut Vicarii provinciam, erátque facturus, niſi precibus bene multis Antiſtes & excuſatione cumprimis affectæ valetudinis privatum otium redemiſſet.

1546. Mittitur ad Conventum Ratisbon.

Recuſat Cancellarii Imperialis munus.

V. Quies redditus literis totus vacat.

Quoties à negotiis publicis vacatio contigerat, tædium illud funeſtorum temporum, Muſarum nectare diluebat: literas enim, quas ab incunabulis dilexerat, in Præfectura quoque conſtanter coluit, nullam vitæ partem ſine ſtudio exigere ſolitus. Inſtruxit Muſeum librarium multiplici codicum genere, totus in eo viſus habitare, partémque temporis potiorem volvendis collocare libris: Doctorum hominum alloquio & familiaritate mirificè capiebatur; ejusmodi plerósque in familiam & conſilium adoptabat; nec penſi habebat ſtipendia in eos largiſſima profundere. Feruntur haud pauci, quorum ſtudia fovebat, eruditione clari, ùt Jacobus Zieglerus Landovianus Coſmographus inſignis; Aurelius Renningerus Legum Doctiſſimus, idémque Principis Cancellarius; Sebaſtianus Gleiſs Medicus, Græcarum literarum cognitione peregregius; Joannes Dugo Philonius trium linguarum peritiâ clarus; Chriſtophorus Collatinus, Mathematicæ Scientiſſimus, omnísque antiquitatis admodum gnarus; his accenſeatur ipſe, qui hæc ſcripſit, Gaſpar Bruſchius, cujus conatum in deſcribendis Germaniæ Epiſcopatibus Wolfgangus liberaliter adjuvit, erátque in eo Bruſchius, ut ſedem Pataviæ figeret, munificentia Principis in commodum ſuæ molitionis uſurus. Hoc de homine, quoniam occaſio fert, ſic habe: ortus fuit Egræ Bohemiæ anno 1518. Poëticam coluit, ob quam laureâ donatus eſt à Ferdinando Cæſare Viennæ anno 1552. quo tempore Maximiliano Regi Ferdinandi filio centuriam ſuam de monaſteriis obtulit. Subinde operi de Epiſcopatibus inſudavit, cujus gratiâ permultum confecit itinerum luſtrandis archivis & bibliothecis, erátque annus 1553. quo vitam Wolfgangi ſcribebat: Præſidet, inquit, Pataviæ, magna cum laude hoc adhuc currente anno 1553. Regibus ac Principibus carus &c. Sed eodem anno Bruſchius Patavia relicta Baſileam ſe contulit ad Oporinum, ubi ſcripta nonnulla Pataviæ compoſita, libera & vincta oratione vulgavit; accuſatus plagii à Wolfg. Lazio l. 12. Commentar. Reip. Ro. c. 5. Calamus Bruſchii Lutherum undequaque putet, nulla facilè occaſione neglecta, qua in Pontificem & Clerum grunnire potuit, Cereris Bacchíque mancipium, ut eum Gewoldus appellat, à quo itidem multorum lapſuum in Epiſcopis Laureacenſibus & Pataviensibus redarguitur. Facilè conjectare eſt, hominem ſubleſtæ religionis, morúmque degenerum diſplicuiſſe Wolfgango, eaque propter aut juſſum indè faceſſere, aut exareſcentibus Epiſcopi gratiis vaſa ſponte collegiſſe. Occiſus eſt in Sylva Schlingenbacenſi, à quibusdam nobilibus, quos appetere calamo minatus fuerat, anno 1559. Hæc de Bruſchio, de quo infrà quoque redibit ſermo. Inter Clientes Wolfgangi fuit etiam Georgius Ederus, ab eo juventuti Patavienſi moderandæ præfectus,

Patronus literatorum.

Relatio de Gaſpare Bruſchio.

Georgius Ederus ſcholæ Pat. à Wolfgango præfectus.

ſtus, uti ipſe teſtatur in præfatione, qua eidem Epiſcopo nuncupat orationem ab ſe dictam in exequiis germani ejus Nicolai; „ Ut acerbiſſimam, inquit, fratris tui mortem oratiuncula deplorarem funebri, totius Reipubl. „nomine ſum adductus, tum etiam & multo magis ampliſſimis in me & ſtudia mea beneficiis, gratiaque divina, qua ab eo me tempore, quo Patavienſis tuæ Reipub. juventuti moderandæ fueram præfectus, ita amplexus es „benigniſſimè, ut non Tuæ Celſitudini tantùm, ſed etiam toti Comitum à „Salmis familiæ tantum me debere fatear, quantum gratiſſimus quisque poteſt &c. Gradum indè à gymnade Patavienſi Georgius fecit ad Academiam Viennenſem, in qua juris prudentia & arte eloquentiæ clarus, Rectoris dignitate quartùm continenter atque univerſim decimùm præfulſit, admotus ſubinde conſiliis Ferdinandi Cæſaris.

Ea cura Wolfgango commendata in paucis.

Sed quoniam de inſtitutione juventutis Patavienſis ſermo illatus eſt, teſtatur Bruſchius atque auctor Manuſcripti, fuiſſe Wolfgango non poſtremam curarum partem, uti adoleſcentes quà literis quà moribus rite formarentur. Præceptorem alebat, quem ei muneri præfecit; erátque cum aliis è nobilitate adoleſcentulis etiam Epiſcopi ex fratre nepos Nicolaus, cujus & aliorum indies non ſolùm recognoſcebat ipſe profectum, ſed etiam emendare penſa literaria perſæpe ſuſtinuit. Hæc de literis.

VI.
Zelus Religionis.

Induſtriam haud minorem impendit Religioni tuendæ. Illud prædicant, operam dediſſe, ut in baſilica ſua præcones Divini verbi haberet quàm exquiſitiſſimos. Celebratur à Bruſchio Urbanus Sachſtetterus Auſtriacus virtute ac doctrina præſtantiſſimus, quem ait ex obſidione Viennenſi, ubi captus à Turcis fuerat, mirabiliter liberatum, ut ceu Moyſes ad æterni Principis legationem divinitus ſervatus eſſe videatur: hunc ait concionatorem Principem fuiſſe inter eos, qui verbi cœleſtis doctrinæque per Prophetas, Apoſtolos ac Chriſtum ipſum patefactæ, diúque admodum neglectæ veri præcones extiterint; quotum ipſe quoque Epiſcopus aliis in exemplum diligentiſſimus fuerit auditor, nihil, inquit, optans, nihil ſuſpirans tantopere, quàm ut illa dies illuceſcat, qua Eccleſia Dei plurimis nævis hodie deſœdata, pluribus vulneribus lacerata & repurgetur & ſanetur quàm dexterrimè: Hæc Bruſchius; ſed hæc laus ſi alio tempore, ſi ab alio promeretur auctore, forſitan accipi in partem meliorem poſſet; at Bruſchio de nævis Eccleſiæ, de puro Dei verbo perorante ex tempore, quo non alia ſonantior quàm hæc ipſa erat Lutheriſtarum cantilena, vereor ne indè manaverit calumnia in Wolfgangum Præſulem conflata, cujus meminit auctor Manuſcripti, tanquam in partes Novatorum extiterit faventior. Fertur etiam eo nomine delatus ad ſacros Judices, malúmque ei creatum, nî qua erat dexteritate & innocentia, ſuſpicionem purgâſſet. Cæterùm quàm zelo verbi Divini, morúmque corrigendorum Wolfgangus flagravit, tam fuiſſe ab eo, quod Bruſchius ſpectabat, alieniſſimum cætera ejus vita docuit, in qua ne ullum ſequioris coepti veſtigium; illúdque inſtar omnium integritatis documentum eſt, quòd apud ſe habuit Nicolaum Bobadillam è primis Societatis JEſu decemviris, præfervidum illum & ſtylo & voce rei Catholicæ per Germaniam propugnatorem. Hunc ad Comitia Spirenſia profecturus comitem ſibi Præſul adſcivit: hunc deinde in diœceſi à flagitioſis moribus & pravis dogmatibus repurganda; hunc in æde ſua Cathedrali Eccleſiaſten adhibuit. Erat Bobadilla multis præliis adversùs Novatores editis egregiâ famâ & verò etiam gratiâ apud Ferdinandum Regem, cujus pientiſſimi Principis ſtudio, quo ad cohibendam ab interitu rem in Auſtria Catholicam flagrabat, egregiè ſatisfecit. Agebat Viennæ, cùm Rex Epiſcopum Patavienſem ad imminentem, qui Spiræ habendus erat anni 1544. principio, conventum mittendum cenſuit: Epiſcopus autem Bobadillam Comitem deducendum. Iſthic Antiſtes hominis virtute familiatiùs cognita in emolumentum ſui gregis uti decrevit, petiítque ab Rege, liceret ſibi per eum cæterámque curiam in ſuam illum diœceſim ad navandam iterum ſibi operam revocare. Fecit poſtea Rex Epiſcopo Patris copiam, immunitatésque & jura, quæ in rem Patavienſis populi

Multum uſus Nic. Bobadilla Jeſuitâ.

ſpera-

Digitized by Google

ſperari ab regia illa Majeſtate poterant, Bobadilla ſuggerente conceſſit. Eo-
dem quoque auctore in diœceſi Patavienſi permulta piè & è re divina Wolf-
gangus conſtituit. Valeſcebant in Clero nuptiæ Sacrilegæ, & quæ erat tem- Operam dat
porum labes, etiam cœnobitæ complures rupto votorum vinculo ad novi corrigendo
Evangelii ùt errores ſic licentiam proruebant: obnitebatur ùt poterat Antiſti- Clero & Cœ-
tis cura, & ſacerdotum complures in carcerem conjectos Bobadillæ commiſit nobitis.
revocandos in viam; quod iſte naviter præſtitit, ut pravis dogmatibus publi-
cè abjuratis digna ſcelerum immanitate ſupplicia in arctis luenda Cœnobiis
ſibi ultro depoſcerent. His fructibus lætus Epiſcopus cùm rurſus ipſe man-
dato Regis allegaretur Spiram menſe Majo, eundem ſibi Comitem deſtina-
verat: Sed id eo recuſante, quòd injuſſu Pontificis ad ejusmodi conventus
accedere ſibi nefas duceret, per Legatum Pontificis Alexandum Farneſium
Cardinalem, qui ad cœtum Spirenſem advenerat, apud Bobadillam, ut veni-
ret, effecit. Dimiſſo dein conventu cùm vir Apoſtolicus certatim à viris
Principibus in ſuis expeteretur imperiis atque provinciis, is Patavienſem Epi-
ſcopum, qui maximè urgebat ex omnibus, ſequi maluit. Quæ deinde Vien-
næ tum habendis Concionibus, tum Paſtorum Doctorúmque moribus ad ve-
teris Eccleſiæ diſciplinam regia auctoritate fingendis, tum in ferendis, quas
in rebus fidei graviſſimis ſæpe rogabatur, ſententiis ex uſu rei Catholicæ
peregerit, accuratè memorat Orlandinus; illúdque inter alia: conſtituiſſe
Regem, ac Bobadillæ Pataviæ adhucdum agenti per literas indicaſſe, gratam
ſibi fore ejus operam in luſtrandis Auſtriæ Cœnobiis: ad quem liberè Boba-
dilla reſcripſit, caveret prorſus ne quid in ea re ſine Præſulum autoritate ten-
taret, ne videlicet monachorum diſciplina vulgo deſpectui & imperitiſſimo
cuique ludibrio eſſet. Adeò Wolfgangus hominis Apoſtolici virtutem & fru-
ctus æſtimabat, ut deinde quoque cùm occaſio daretur, eum ad ſeſe accerſe-
ret, atque licet idiomatis popularis ignarum tamen ad Latio ſermone de di-
vinis diſſerendum adigeret: quod tum acciderat, quando confecto bello
Schmalcaldico, Apoſtolica in caſtris procuratione perfunctus Pataviam rogatu
Præſulis ſe retulit anno 1547. & Latinis per quadrageſimam concionibus 1547.
apud Antiſtitem amantiſſimum (Orlandini verba ſunt) operam poſuit.

Obnitebatur, ùt poterat, procumbenti per Auſtriam religioni Wolfgan- VII.
gus ſuâque haud dubiè hortatione apud Ferdinandum Regem perfecit, uti is Plura effecit
ſalutari decreto Præceptores juventutis, priusquam Magiſterium capeſſerent, Religioni ſa-
vocari ad examen fideíque rationem reddere juberet: quo & illud ſpectabat, lutaria.
quo idem Rex anno 1548. ſolenni edicto vetuit, ne qui deinceps Auſtriorum 1548.
ſobolem ſuam ad Athenéa peregrina inſtituendam dimitterent, ne videlicet
unà cum literis hauriret venenum, cujus contagio redundaret in patriam.
Sed præcipua Wolfgangi cura in Eccleſiarum curionibus incorruptis deligen-
dis, in quo non leves ei dimicationes extiterant cum iis, quorum haud pauci
ad novam prurientes doctrinam ſubleſtæ fidei præconibus commodare aures
malebant, ejúsque furfuris homines & fovebant, & popularibus obtrudebant.
Neque in eos poteſtatis Eccleſiaſticæ valebat rigor, quippe quòd deprehenſis
etiam & patefactis erat impune, citatisque in jus patrocinium præſto erat ab
iis, qui vetabant parére. His aliisque talibus ſacræ diſciplinæ vulneribus ut 1549.
mederetur Antiſtes in Conſilium cum aliis Epiſcopis ivit. Coacta Synodus Conſultat in
Salzburgi 1549. menſe Februario, ad quam Wolfgangus cum Doctore Ber- Synodo Salis-
nardo Schwarz Decano, Doctore Hueber Officiali; quorum uterque erat Epi- burg. de eri-
ſcopo à Conſiliis; quibus acceſſerat Joannes à Schönburg Canonicus Pata- genda re Ca-
vienſis: item nomine Patavienſis Capituli Michael à Kienburg; à quibus ex- tholica.
plicatæ in Synodo querelæ, ſeu ùt vocant gravamina, quæ remedium præſens
expoſcerent. Deliberatum à Patribus & denique decretum, quoniam ea pie- Implorat Fer-
tas eſſet Ferdinandi Regis, quam jam aliàs inſigni adverſus ejusmodi labes dinandum.
edicto præclarè declarâſſet, ab Eo rurſus qui unus optimè poſſet, flagitandam
opem. Et verò noxæ erant ejusmodi, contra quas ante annos viginti Ferdi-
nandus emiſſo ad Prætores & ſtatus omnes Auſtriæ decreto impenſè caverat;
ſed ùt erant tempora, ruente in pejus religione & auctoritate Eccleſiæ ſus dé-

que habita pientiſſimi Regis voluntati non redierat is, qui oportebat, proventus. Intrudebantur in locum paſtorum, atque ad munus docendi prædicandique divini verbi homines ab laico tantùm magiſtratu delecti, Epiſcopo nequicquam vetante; iidémque in prædicandi officio ejus ingratiis ſuſtinebantur. Uſurpabatur communio ſub utraque ſpecie. Patroni beneficiorum diſſimulata ſæpius præſentatione avertebant fructus. In Prælatorum electiones, viſitationes Cleri ac Cœnobiorum inferebant ſe laici. Carpebantur bona Eccleſiæ dicata. Querela itidem erat de violata immunitate Eccleſiaſtica; de manu in perſonas ſacras allata; impoſitis præter fas vectigalibus; de foro eccleſiaſtico variis modis turbato; Clericis, qui citarentur, à comparendo prohibitis: hæc & alia de conſulto Synodi Salzburgenſis per Wolfgangum Præſulem indicata regi ſolicitabant ejus animum, uti continuò in hujusmodi exceſſus mandaret inquiri: ſed erant, qui iſta in occaſionem potiùs litis, & Status Auſtriæ apologiam opponunt. curæ ſeſe purgandi, quàm afferendæ medicinæ ſumebant. Igitur apologia compoſita, qua arceſſitus Antiſtes de non ſubmiſſis, cùm poſceretur, idoneis paſtoribus: patrocinium etiam ſuſceptum Communionis ſub utraque ſpecie, tanquam ejus, quæ conformis eſſet verbo Dei: Additis ad hæc gravaminibus haud paucis, quæ contra Epiſcopum & ſacrum univerſim Ordinem afferebantur: extendi jurisdictionem ſacram in fraudem Majeſtatis Cæſareæ: recuſari tributa provincialia, à Prælatis præſertim exteris, quorum eſſent in Auſtria conſtituta prædia. Erneſtum Archiepiſcopum Salzburgenſem nuper Eccleſiæ Pataviensis Adminiſtratorem Monaſterium Cellæ Angelorum, ejúsque facultates cum magno ſuperioris Auſtriæ diſtrictu in rem Epiſcopatus Pataviensis vertiſſe, in quo Wolfgangus Succeſſor tantillo quidem uſus temperamento, rem tamen nondum reſtituerit in integrum. Eundem varia præcipere quæ ad Magiſtratum laicum & advocatos pertineant, circa nundinas, choreas, rationes decimarum reddendas, inventaria de bonis Clericorum, aliáque ejus generis. Sed his ultro citroque diſceptatis is demum pœnitendus exiſtebat fructus, ut foto per inficiationem morbo eluſáque ſacri Ordinis querimonia graviùs indies res Catholica laboraret: ea ſola in Epiſcopum Pataviensem redeunte laude, quòd officio ſuo minimè defuerit. Sanè haud erat obſcurum apologiam eſſe conceptam ingenio, ùt ferebant exempla, in opiniones jam ſequiores vergente, atque illis popularibus in Clerum maledictis imbuto: quid enim illud de inſtituendis Epiſcopo inſalutato paſtoribus? de communione ſub utraque ſpecie, quæ id temporis indulta nondum erat? ſcilicet hæc primùm ſepes diſtringebatur: auctoritas eccleſiaſtica, quò liberiùs irrumperet aper de ſilva depaſcens vineam; quod anni ſequentes nimium quantum docuerunt.

VIII. Inclinabat indies cauſa Catholica; jámque periculis erat compertum nec decretis Cæſareis, nec amicis colloquiis; ſed nec armis quidquam eſſe promotum: unum ſuperabat generale Concilium, quod nuper Tridenti cœptum, deinde interruptum, in eam ſaltem ſpem comparatum erat, uti in eo ſapientiſſimorum Patrum conſeſſu conjunctis operis de remedio deliberaretur, ac certè daretur dubitantibus locus, in quo dirimi controverſiæ ex æquo & bono poſſent. Igitur anno 1550. indicta ad urbem Auguſtam comitia, ad quæ

1550. Wolfgangus ad Comitia Auguſtana legatos mittit.

Wolfgangus, cùm ipſe per valetudinem aut negotia vetaretur accedere, miſit Legatos eosdem quos nuper ad Synodum Salzburgenſem, Bernardum Schwarz Decanum, & Everardum Huberum Licentiatum juris, Eccleſiæ Pataviensis Officialem. In eo congreſſu, qui cœptus eſt die 26. Julii, convenit, ut ad controverſias religionis aliquando ſedandas preces adhiberentur Julio tertio Papæ nuper inaugurato de reſumendo Concilio Tridentino. Cæterùm per occaſionem Auguſtani congreſſus evenit, ut Ferdinandus Rex, qui ibidem aderat, introducto ad ſe per Epiſcopum Labacenſem Claudio Jajo è primis Societatis JEſu, viro conſpicuo multa collocutus, Conſilium denique declararet ſuum, hujus inſtituti collegis ſtabilem in Auſtria condendi ſedem; quod mox datis ad Ignatium literis pius Rex pro ea, qua flagrabat in omnes religionis adjuvandæ partes, curá effectum ibat, impetravítque ſocios undecim

1551. Societatis JEſu Patres in Auſtriam evocati.

eům qui anno ſequenti 1551. appulêre Viennam, quos velut è cœlo miſſos ad rem Catholicam his in provinciis adjuvandam (niſi obſtet invidia) fateamur neceſſe eſt. Reſumtum eodem anno Tridenti Concilium ad Kalendas Majas: ad quod imperio Wolfgangi Epiſcopi profectus eſt Paulus Schiker Concionator Patavienſis. Parabat DEus hæc præſidia eo ferè tempore, quo res Eccleſiæ Germanicæ grave accepit vulnus per eruptionem Mauritii Saxonis & ſecutam indè transactionem Patavienſem.

IX. 1552. Conventus celeberrimus in urbe Patavienſi.

Anno 1552. Mauritius cum Alberto Brandeburgico Carolum Imperatorem Oeniponte ſedentem repentino turbavit bello, faucibus Rhæticis improviſò perruptis, adactóque Cæſare ad præcipitandum è Tyroli diſceſſum: quo ex tumultu ne fieret mora bello Gallico, in quod Carolus omne ſtudium converterat, interceſſu Ferdinandi Regis Conventus cœptus Pataviæ die menſis Maji undecima. Multæ in eo congreſſu partes Wolfgangi Epiſcopi non exhibendis modò in Principes, qui luculento numero confluxerant, hoſpitalibus officiis, verùm etiam conſiliis, quibus Ferdinandus tribuebat plurimùm. Aderant præter Ferdinandum Regem Mauritius Saxo, Fridericus Palatinus Rheni, Joachimus Marchio Brandenburgicus, Albertus Bavariæ Dux: præterea Erneſtus Salzburgenſis, Mauritius Eiſtettenſis: item Oratores trium Electorum Archi-Præſulum aliorúmque tum Epiſcoporum tum Principum. Ferdinandus in palatio Patavienſis Epiſcopi ſedem delegit: Epiſcopus aliique Principes in ædes Canonicorum diſtributi: prætoriani Regis in urbe Oenana: Cœtus inſtituti ſunt in aula Capituli. Demum die ſecunda ſextilis decreti articuli, quorum ille præcipuus, ut religionis causâ deinceps moleſtia exhiberetur nemini, dum de ratione componendi diſſidii ſive per Concilium generale, ſive per nationale, ſive per colloquium, ſive per ipſummet publicum Ordinum Conventum (quod intra ſemeſtre fieret) deliberaretur. Quod ſi hac etiam via pacandæ religionis ratio facilis non occurreret, hæc nihilominus pax & concordia in perpetuum firma ratáque permaneret: Sicque abolitum eſt celebre illud *Interim*, cujus cauſa tot ac tanti concitati fuerant motus, cantatúmque à Proteſtantibus ſolenne *Euge*, qui hanc *transactionem Paſſavienſem* vulgò dictam, libertatis & pacis religioſæ fundamentum appellant.

X. Cura Wolfgangi de Civitate Patav.

A conventu ſoluto Mauritius copias ſuas, ſex equitum turmas, vexilla peditum undecim in Hungariam duxit: die Auguſti poſtrema ſolverunt à Patavia, rapinis vulgò in populares, qua mearunt, exercitis infames: auditæ quoque minæ de Cœnobiis & Clericorum ac civium domibus expilandis: Sed Antiſtitis comitate & munificentia conciliati Ductores illæſa civitate poſtridie, quàm venerant, demigrârunt. Egregium civibus præſidium omni tempeſtate comparatum erat in caritate Antiſtitis, ſic, ut ad omnem belli aut neceſſitatis publicæ caſum uterentur eo promto adjutore. Frequens per hos annos copiarum in Hungariam juxta Pataviam deſcenſio. Civitas ne hoſpitiis militum gravaretur, potiſſimùm auctoritate Præſulis effecit; ſed nonnunquam miles erat arcendus manu, in quo cives militarem quoque conſtantiam ſuo Principi probaverunt, auſi hoſpites importunos aliquando tormentorum etiam jaculis propellere. Anno 1548. Bavariæ Dux Wilhelmus de re omni annonaria, ùt pecore, frumento, aliiſque mercibus ad Pataviam vectandis grave exegit vectigal; cujuſmodi jam anno 1543. inſtitutum fuerat, quando ante portam prætoriam tabernaculo è materia conſtructo quæſtor in rem vinariam impoſitus eſt, civitate nequicquam jus & æquum obteſtante. Utrique cœpto, quod in grave ac perpetuum civitatis incommodum vergebat, Antiſtes interceſſit, initiſque cum Alberto Duce pactionibus anno 1549. ſuſtulit; quemadmodum & litem, quæ de jure dicundo in diſtrictu Oenanam partem ambiente, multos jam annos agitata fuerat. Valeat hìc Bruſchii teſtimonium, qui ſic de Wolfgango: Cives, inquit, ac ſubditos ſuos Epiſcopus ſingulari veréque paterna benevolentia adeò ſibi devinxit, ut non ſecus eum ac parentem amarent, & veluti Numen aliquod cœleſte mira pietate ac obedientia revererentur. Multa ex uſu publico per Eum inſtituta: Officinæ lanio-

Varia per Eum ex uſu publico conſtituta.

num; aquæ fontanæ per Canales ſuper Oeni pontem diſpoſitos in urbem derivatio; privilegia tribubus Opificum indulta; certi ritus deſcripti pileatoribus, pellionibus, ſartoribus, vitriariis: eorum qui res ad uſum vitæ neceſſarias præemto comparant, conſtitutus ordo: conſultum etiam egenis, quorum concurſationibus oſtiariis ut levarentur cives, & genus hominum iners ac vagabundum moribus publicis ne officeret, inſtituta burſa ſeu pyxis eleemoſynaria anno 1552. cui tres è civibus præpoſiti, Ambroſius Gruber, Georgius Aichperger Senatores, & Georgius Huber: tectum etiam egenis adſignatum, quam vulgò *domum Fratrum* appellitant.

XI. Cura ærarii.

Sed cujus erat ea de civibus cura, ejusdem haud erat minor de patrimonio Chriſti, facultatibus inquam Eccleſiæ ſibi concreditæ. Tempora erant, quibus ob motus bellorum continentes, præcipuè Turcicorum ſolerti erat opus ad vires ærarii ſuſtinendas induſtria. Decernebantur in Comitiis Imperialibus auxilia pro bello Tucico ab ſingulis pro portione conferenda: pars etiam rata Patavienſem contingebat: qui dum ex prædiis Eccleſiæ magnam partem in Auſtria ſitis decretam conficeret ſummam, eveniebat illud, ut eadem prædia præter exactionem Epiſcopi, provinciæ quoque oneribus ejusdem belli nomine præter ordinem impoſitis gravarentur; quam rem Wolfgangus cum Salzburgenſi, Friſingenſi, Bambergenſi, Ratisbonenſi Epiſcopis apud Ferdinandum Regem in Conventu Spirenſi deprecatus, impetravit propitium diploma, quo Eis indultum nunc & in poſterum, ut Eorum Coloni, ſi ſubſidium ad bellum Turcium conferrent, alia provincialium exactione ne graventur. Datum Spiræ die XX. Februarii anno MDXLII. Sed hoc indultum Ferdinandus à ſtatibus Auſtriæ compellatus altero abhinc anno limitavit, noviſque edidit decretum, quo pro hoc tantùm anno nempe 1544. coloni Epiſcopales ab exactione Provinciæ abſolvuntur; ſic ut præter id, quod ad bellum Turcicum ex ſtatuto Comitiorum conferunt, ultra ne teneantur: quid autem in poſterum obſervandum, ſtatuit rem tranſigendam cum ſtatibus Auſtriæ, indicto ad Kalendas Septembres Legatorum epiſcopalium & provincialium congreſſu. Datum Spiræ XXVI. Maji, anno MDXLIV. Seu Clementia Ferdinandi fuit, ſeu Wolfgangi ſolertia, certè illud proditur ærarium Patavienſe ſub eo magna cepiſſe incrementa, reditùsque annuos multis auxiſſe partibus. Rem Oeconomicam dexterrimè tractavit, provido delectu temporum, queis vinum aut fruges utiliter venirent, maluitque ad neceſſitatem domeſticam tolerandam contrahere alienum æs, quàm licitari tempore non ſuo; quâ gratiâ præfectis horrei ſalinarii ultra duodecies mille florennûm mutui nomine obæratus ab obitu manſit, quod nomen Succeſſori Ejus adeò nihil negotii faceſſivit, ut ingens potiùs compendium fecerit in vini frumentique vi magna reperta, cujus pretium ſexagies mille ſuperabat. Veſtium quoque pretioſarum apparatum adeò copioſum reliquit, ut Canonicorum ſinguli in conſueta indumentorum epiſcopalium partitione ultra ſexcenties florennûm pretium ſortirentur. Cùm magnam opum partem in opera publica profunderet, ærarium tamen Eccleſiæ minimè debilitavit.

XII. Opera per Eum conſtructa.

Inſtauravit arces collapſas bene multas: Eberſpergenſem ad Trunam amnem, quam olim Æneas Sylvius in Epiſtola, quam aliàs dederamus, celebravit: Obernpergenſem paulùm ſupra Pataviam, quondam à Wolfgero conditam: Hackelbergenſe Suburbanum uno ferè lapide ſupra Pataviam ad ripam Danubii borealem ſitum, ubi geniales hortos cum variis labyrinthis, vivariis, & habitatione magnifica magnis impendiis adornavit: erat hoc velut Tuſculanum, quo Præſul animi cauſa nonnunquam exſpatiari, & ingenium ſtudiis laſſatum illic recreare conſuevit.

Gratia mira Principum.

Elogium à Bruſchio datum.

His fortunis acceſſerat gratia Principum, qua mirificè florebat; cumprimis Ferdinando Regi atque Alberto Bavariæ Duci carus & familiaris: denique dignus omnino (Bruſchii verbis inhæreo) quem haberet olim pacata Germania Patriarcham vel ſummum Pontificem: ita ille teſtis oculatus, qui hæc duobus ante Wolfgangi obitum annis id eſt anno 1553. ſcribebat: Plura, inquit,

inquit, expectantur, ubi mortuus fuerit, quæ ipſi & familiæ in perpetuam cedent laudem: interim ſubjicit tale hecaſticon:

Illuſtres habuit Patavina Eccleſia multos
Pontifices, melior quos modò mundus habet.
At ſi Wolfgangum Salmonis origine natum,
Hunc penitus videas inſpiciáſque mecum.
Agnoſces tantum hunc alios excellere, quantum
Excellit clariùs aſtra minora DEus.

Nondum ætatem valde provexerat, cùm valetudo quà laboribus pro Eccleſia ſuſceptis, quà ſudore literario debilitata vergebat indies in deterius. Præſagierat ſibi dudum perniciem ab aquis, in quibus nonnunquam proximè ab interitu abfuit. Nam anno 1550. quum pontem ſublicium Danubio inſtratum prope Hackelbergam tranſiret, eo derepente rupto datus in præceps ſic fuit, ut aquis hauſtis habuerit ſalutem in loco prodigii. Simile expertus poſtea Schardingæ, quando illiſo in ſublices pontanos navio naufragum Oenus amnis corripuit. Similia vitæ diſcrimina ſubiiſſe complura teſtatur auctor manuſcripti, è quibus, ait, non niſi eximio Dei munere fuiſſe ſervatum. Verum enimvero quum aquas timeret fatales, demum ab humore domeſtico, quo corpus paulatim tumeſcebat, finem ſibi paratum intellexit. Ætas adhuc vigens (quippe annos quadraginta haud longè ſupergreſſa) præterea virtus ac dotes aliæ, quibus apud Domeſticos juxtà ac externos eximiè vigebat, mœrorem omnibus commoverant: certè Ferdinandus Rex, itémque Albertus Bavariæ Dux, qui eum in oculis ferebant, cognita ejus ægritudine quidquid erat inſignium Viennæ, Pragæ, Monachii, Landſpergæ medicorum ad decumbentem allegârunt: omnes artes ſaluberrimæ ſcientiæ ad vitam ei prorogandam quæſitæ: ſed malum inexpugnabile ſupremam ei neceſſitatem attulit die quinta Decembris, ad Veſperam S. Nicolai anno 1555. luctu omnium incredibili, præcipuè Ferdinandi Regis, aliorúmque Principum omnium obiit, ùt vixit, ſapienter & piè. Cadaver die tertio ab obitu, vultu retecto ex æde ſacra Beatiſſimæ Virginis elatum, funebríque omnium Ordinum pompa prælatis opificum làbaris inter tædas quamplurimas circum baſilicam Cathedralem deportatum, in monumento, quod ipſe ſibi in pariete meridionali templi Cathedralis è marmore Propheticis & Apoſtolicis diverbiis eleganter celato poſuerat, compoſitum eſt: viſebatúrque ara S. Valentini convelata apparatu pullo, quem crux Alba perſecabat; appenſo item Epiſcopali ſcuto, cujuſmodi & in ſepulchro ejus ſpectabatur. Hæc adeò minutè refert codex manuſcriptus quem ad manum habeo. Ejus inferiis triſti elego adgemuit poëta ejus temporis Joannes Mylius Annæbergenſis Viennæ excuſus, cujus Muſæ inſignium Epiſcopi laudum prædicatrici ſimplici, detur tantum, ut audiatur: Sic itaque canit:

XIII. 1555. Valetudo declinans. Obitus. Sepultura.

Epicedion.

Nunc igitur mæſti luctus ſunt omnia plena,
Ac heu! heu! reſonant hic & ubique domus.
En patitur magnas clades Eccleſia Chriſti,
Dum fato Princeps præproperante perit.
Lucida gemma velut fulvo reniteſcit in auro;
Sic & in hoc pietas Præſule Sancta micat.
Nam fuit à teneris hic relligionis amator;
Haud levis in ſummo laus Duce noſſe Deum.
Evolvit vigili ſtudio quoque Biblia Sacra;
Amplexus Chriſtum non dubitante fide.
In rebus cunctis hunc caſta mente vocavit;
Vah quantum eſt Nato fidere poſſe DEI!
Cùm tenuêre animum gravium molimina rerum,
Divina magnum voce levavit onus.

Hæc

Hæc fuit ipſius certiſſima regula vitæ,
Hæc oculis, imò hæc pectore fixa fuit.
Dicitur & Doctas ſemper coluiſſe Camœnas;
Quæ quoque clementi eſt grata paleſtra DEO.
Tam fuit ornatus Latiæ dulcedine linguæ,
Poſſet ut arguto cum Cicerone loqui.
Ac cùm melliſluas effudit pectore voces,
Auribus arrectis cætera turba ſtetit.
In cunctos mitis, manſuetior, atque benignus;
In bene promeritos dextera larga fuit.
Non etiam juſtas conſeſſus vultibus iras,
Sed pœnæ poſuit fræna modúmque ſuæ.
O quoties juvit re Conſilióque petentes,
Et ſolitus feſſis addere rebus opem.
Si quando à gravibus mens cauſis feſſa vacabat
Feſtivis tribuit tempora pauca jocis.
Atque ita ſolatus riſu ſalibúſque labores,
Plena verecundi verba leporis erant.
Adde quòd exactos ſine labe peregerit annos:
Nam ſtuduit ſoli poſſe placere Deo.
Porro teſtatur vitam poſtrema peractam
Clauſula: nam letus jam moriturus ait:
Chriſte DEI *Fili ſummo in diſcrimine lethi,*
Per tua te ſupplex vulnera quinque precor
Purpureo dele mea crimina tincta cruore;
Jamjam fracturum quæ mihi pectus edunt.
Ante tuos oculos fateor ſum languida maſſa;
Aſt opto maſſæ ſurculus eſſe tuæ.
Ergo ſuſtentes æterno carcere dignum,
Méque tuis humeris ô bone Chriſte geras.
Utque tuis verbis extremo in agone quieſcam,
Nunc mea vivifico flamine corda regas.
Ignitas torvi Sathanæ propelle ſagittas;
Solus es auxilium, ſpes mea, vita, ſalus.
Sic fatus, cupidè dulci dat lumina ſomno.
Ac anima ad ſuperas transvolat usque domos.

Dedicavit hoc epicedion auctor tribus Wolfgangi ex frarre nepotibus Ecktio, Julio, Nicolao, quorum priores duo in aula regia tum verſabantur, poſtremus Nicolaus, quem Wolfgangus educabat, ab ejus etiam obitu, ùt Lazius de Salmenſi proſapia tum ſcribens ait, ingenii cultum Patavii accipiebat. Reliquerat Antiſtes ſuperſtitem matrem virtute & pietate præſtantem, quam in contubernio, vitæ & gloriæ ſuæ ſpectatricem habuit, ejusdem ſemper obſervantiſſimus.

XIV. *Bruſchius Hiſtoriam Patav. exhauſiſſe ratus.* Cæterùm deſinit in Wolfgango Bruſchius, iſthoc ad extremum conteſtatus, de Laureacenſibus & Patavienſibus plura nec ab ſeſe nec ab alio quoquam inveniri hacterius potuiſſe. Congeſſiſſe verò hæc bona fide ex variis Chronicis, quæ in Auſtriæ ac Bavariæ monaſteriis paſſim evolverit, & paſſim ab ipſo Reverendiſſimo Antiſtite Patavienſi Wolfgango ſecum fuerunt clementer communicata: *Quibus auxiliatus uſus.* adjutum etiam à bonis viris, atque indicata non pauca, quæ ipſi aut à ſenibus audierint, aut è veterum chartarum monimentis acceperint, ſpeciatim ab Laurentio Hochwartero Nariſco Turſenreutano Doctore, & Patavienſis ac Ratisbonenſis Eccleſiarum Canonico, rei hiſtoricæ cognitione cumprimis claro; qui & ipſe de quibusdam Epiſcopatibus non pauca; & rerum Mundi ingens Chronicon mirâ diligentiâ laboréque immenſo conſarcinavit: ab Ortolpho Fuchspergero S. P. Q. Patavienſis Conſiliario, qui de rebus civitatis Patavienſis Chronicon ingens ſtilo patrio compoſuit:

poſuit: à Thoma Veldero Brixienſi, Wolfgangi Antiſtitis quondam pædagogo, indè vectigalium in Caſtro Obernpergenſi ad Oenum quæſtore, viro antiquitatum & hiſtoriæ admodum ſtudioſo: à Chriſtophoro Collatino, Pannonio, Mathematico & antiquitatis ſtudiis nemini poſtponendo; S. Nicolai ante muros Sacellano: à Leonhardo Pamingero celebri Phonaſco, Scholæ apud S. Nicolaum Rectore; Martino Hubero Eccleſiæ Patavienſis Vicario: Mathia Wedelio Cœnobita & parocho ad S. Nicolaum: quorum ille vitam S. Severini, iſte Altmanni ſecum communicaverit. Hæc Bruſchius.

De ſtatu Religionis in Auſtria, cùm ſuprà narraverimus permulta, tum illud præteriri non debet, ſub extremos Wolfgangi annos fuiſſe Viennæ Petrum Caniſium Neomagenſem, cujus opera rei Catholicæ perutilis & ſacris prædicationibus enituit, & præcipuè libello doctrinæ Catholicæ ſummam complexo, qui anno 1554. in lucem emiſſus, omnium brevi gentium manibus magno fructu cœptus eſt teri. Subvenit etiam Ferdinandus Rex per edictum, quo vetuit ſubditis in Religione & ſacris ritibus quidquam mutari, ſpeciatim juſſit, ut in Cœnæ Dominicæ Sacramento unica ſpecie contenti eſſent.

Anno deinde 1555. Wolfgangi poſtremo Comitiis Auguſtæ à menſe Februarii ad Septembrem usque continuatis, illud commodum conſtitutum, *cui ſui Principis Religionem ſequeretur populus*, quo decreto Ferdinandus nitens importuna Auſtriorum poſtulata annis ſequentibus ſtrenuè repulit.

EPISCOPUS PATAVIENSIS LXI.

Wolfgangus II.

Etſi alii quidam Capitularium ab Cæſare ejúsque filiis, nec non Alberto 1555.
Bavariæ Duce commendarentur, tamen Dei nutu evenit, ut ſuffragia Inter multos
concurrerent in Wolfgangum de Kloſen Canonicum Patavienſem anti- rivales.
qua nobili ac primaria, ùt Hundius ſcribit, Bavarorum familia natum. Ele- Electus.
ctus eſt poſt dies quindecim ab obitu Deceſſoris, die nempe 20. Decembris, S. Thomæ Apoſtoli profeſto. De rebus ejus pauca ſuppetunt, ſeu quòd chiragrâ podagrâque perpetim conflictatus patiendi potiùs quàm agendi materiam nactus erat, ſeu quòd haud diutinum ejus fuerit regimen. Fuit antea Canonicus Ratisbonenſis (inquit Hundius) juvenis, comis, & benignus, queis dotibus eam iniit gratiam, ut mox ad capellam Epiſcopalem promoveretur; deinde ob eandem morum humanitatem gradum fecit ad Decanatum Ratisbonenſem & Sacerdotium; indè ad thronum Patavienſem evectus, 1556.
impetravit ex Paulo IV. Pontifice confirmationem die 12. Junii anno 1556. Confirmatus.
teſte auctore manuſcripti & literis commendatitiis pro ipſo ad Salzburgenſem allegatis.

Poſſeſſionem Epiſcopatûs adiit Wolfgangus die 13. quinctilis, ad quam Poſſeſſionem
cærimoniam Ordo Senatorum Patavienſium cum triginta de populo, hora adit.
ſeptima matutina ad atrium palatii convenerunt; quorum ſingulis Antiſtes datâ dexterâ; ſubiit indè baſilicam cathedralem, factâque primùm ſolenni lithurgia de Spiritu Sancto ad aram in baptiſterio ſitam; indè cum univerſo Comitatu ad aram S. Stephani ſe contulit, ac decantato hymno Ambroſiano, poſſeſſionem per Decanum Capituli ſuſcepit: Porro die 15. Julii univerſa communitas Patavienſium ad palatium evocata eſt, ubi ſenatus rite lectus, novíque tribunalium præſides creati; dictúmque novum ab omnibus Sacramentum. Hæc ex Manuſcripto. Hundius addit conſecratum fuiſſe Paviæ Conſecratus.
à Reverendiſſimo D. Michaële Archi-Præſule Salzburgenſi die 5. iduum, id eſt undecimo Octobris; diéque inſequenti Divo Maximiliano ſacra, in hominum clarorum frequenti corona ſolenniter litaſſe ſub inſula. Probitas Valetudine
ejus ingentem omnibus fecerat rerum optimarum ſpem; verùm huic offecit affecta.
valetudo corporis, articulari morbo artus omnes occupante, eúmque ad functiones graviores minùs idoneum reddente; ægritudinem intemperantiâ

victûs contraxiſſe ſcribit laudatus Hundius: Cæterùm ob eam cauſam functiones epiſcopales perrarò adminiſtrâſſe per ſemetipſum; quippe quòd infirmitate membrorum & hujus & aliarum rerum omnium curam rejicere cogeretur in alios: quo viſus in officio ſuo languidior, atque in Canonicos Capitulares recta monentes protervior factus, cum illis ſimultates exercuit, indè acriùs incenſos, quòd privilegiis ipſorum & pactis conventis derogare nonnihil velle, ac propinquis ſuis evehendis intentior videretur eſſe: verùm
1561. Obitus. mors gliſcentem ſimultatem opportunè ſopivit. Obiit Anno 1561. ſeptimo idus Auguſti, tumulatus in parte Auſtrali Baſilicæ principis juxta aram S. Valentini ſub lapide, cui ſequens inciſum erat epitaphium: Annò Domini MDLXI. die Jovis ſeptimo idus Auguſti obiit Reverendus in Chriſto Pater ac Dominus D. Wolfgangus ex familia à Kloſn, Epiſcopus Eccleſiæ Patavienſis, cujus anima Deo vivat. Amen. Succeſſor ejus uno ferè abhinc anno ingens marmor peryſtylio proximo affixit, cum eadem inſcriptione.

Duo memoranda ſub hoc Epiſcopo contigerunt: primum Abdicatio Caroli V. Imperatoris menſe Septembri anno 1556. pro quo habenas Imperii Ferdinandus cepit. Alterum eodem anno: Ordinum inferioris Auſtriæ pro libertate Religionis iterata contentio. Premebat ſcilicet metus à Turcis: mortem paulò antè obierat Wolfgangus Salmenſis Pataviæ Antiſtes: ea viſa peropportuna Statibus occaſio pervincendi cauſam, pro qua annos jam quatuordecim multis interpellationibus & ſupplicationibus egiſſent: ergo pridie Kal. Februarii vetus ſuum de verbo Dei puro, de Sacramentis more Apoſtolico miniſtrandis, de libera Dogmatis Auguſtani profeſſione, de abrogandis, quæ contrà eſſent, edictis flagitant: ſemel, iterum ac tertiùm in eandem ſententiam perorant; mentionem omnem de ſubſidio belli, niſi audirentur, averſati. Conſtricto Principi ſuffecit tamen animus, ut præciſè, quod petebatur, negaret, ad decretum Auguſtanum ſe referens, uti populus ſui quiſque Principis & non alia profiteretur ſacra. Qui ſecus cuperet, ei poteſtatem
Commentar. l. 26. facere venditis facultatibus aliò commigrandi: Subjecit alia, quæ pluribus exequitur Sleidanus.

EPISCOPUS PATAVIENSIS LXII.
Urbanus.

I. 1561. Omnium teſtimonio laudatus. LAudatiſſimus Antiſtes, in quo ornando ſcriptores ejus ævi conſentiunt omnes: Hundius res ejus geſtas ad annum usque 1581. perſecutus eſt, teſtis ipſe æqualis. Locupletiùs Ejus laudes idoneo poëmate complexus eſt Joannes Dominicus Heſs Ordinis Minorum regularis obſervantiæ, quod anno 1589. præſidente adhuc Urbano Viennæ compoſitum, eidémque Urbano grati animi causâ ob erectum Pataviæ ejusdem Ordinis Cœnobium dedicatum eſt per epiſtolam datam Viennæ Auſtriæ 20. die Junii anno eodem 1589. typiſque vulgatum Ingolſtadii: Is ſub initium poëmatis ita canit:

Hac TRENNBACHIACI generis clariſſimus Heros
Æſtate, URBANUS, CHRISTI qui munere Præſul
Legibus antiquis Patavinas temperat arces,
Cœnobium propria nobis extruxit in Urbe.

Genus. Natus eſt Urbanus vetuſto genere de Trenbach, ſeu Trenbek, quod, ùt idem Heſſius canit:

Per avos, avorum atavos, atavúmque parentes
Ferme ſexcentum fama vivace per annos
Floruit, & floris quoque nunc conſervat honorem,
Heroëſque tulit bellóque, togâque potentes.

Pater Urbani Rudolphus à Trenbach, mater Juliana à Radelhoffen.

Urba-

Urbanus ætatem teneram literis egregiè percoluit; Italiam quoque, at- Educatio.
que ipſam Urbem Romam eruditionis, & linguarum diſcendarum gratiâ lu-
ſtravit: Adſcriptus indè inter Ratisbonenſes, Salisburgenſes, & Patavienſes Canonicatus.
Canonicos, miſsúsque à Wolfgango de Kloſen deceſſore Romam, impetran- Functiones
dæ confirmationis ergò, quam feliciter impetravit anno 1556. 12. Junii, ùt ante epiſcopatum.
aliàs dictum. Hujus itineris illud quoque pretium extitit, ut virtute Romæ
ſpectata Cardinalium quorundam ſibi adjungeret amicitiam. Reverſus Pata-
viam, ob rem bene geſtam, promotus eſt eodem anno in locum Præpoſiti
Patavienſis, quâ ſpartâ jam ante triennium germanus ejus Chriſtophorus de-
functus fuerat. Incidente ſub hæc morte Michaëlis Archiepiſcopi Salzbur-
genſis anno 1560. Succeſſori ejus Joanni Jacobo de Kuen confirmationem, &
pallium præſtolanti, ad expediendum id negotium non alius aptior præ Ur-
bano viſus: itaque ejus mandatô legatus Romam, iter illud jam tertiùm in-
greſſus pari itidem felicitate deſiderium Archi-Præſulis expedivit; illúdque
inſuper commodum in rem ſuam retulit, ut confirmatâ cum Eccleſiæ Princi-
pibus familiaritate prona eorum ſtudia in confirmando dignitatis, ad quam
anno ſequenti evectus eſt, gradu ſit expertus. Electus eſt die 18. menſis Au- Electio.
guſti anno 1561. undecima die ab obitu Deceſſoris Wolfgangi. Confirma- Confirmatio.
túsque à Pio IV. & commendatus per literas præter morem non ad Salis-
burgenſem, ſed ad ipſum Urbanum directas, in quibus Pontifex ait, ſe electio-
„ nem approbare, & confirmare; rogare quoque, & hortari attentè cariſſi-
„ mum filium Ferdinandum Regem Romanorum in Imperatorem electum,
„ nec non Venerabilem fratrem Archiepiſcopum Salisburg. Ipſi Archiepi-
„ ſcopo per eadem, inquit, ſcripta mandantes, quatenus te, Urbanum ſcili-
„ cet, & præfatam Eccleſiam ejusdem Archiepiſcopi Suffraganeam habeant
„ propenſiùs commendatam. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnat.
„ Domin. 1561. tertio decimo Kal. Decembris, Pontificatûs anno ſecundo.
Ita Summar. Salisburg.

Conſtitutus erat hic annus aperiendo rurſum Concilio Tridentino: eò II.
Ferdinandus Legatum deſtinârat Urbanum vixdum electum, eúmque per li- Excuſat legationem ad Concilium Tridentinum.
teras ſemel atque iterum ad ſubeundam eam provinciam orabat: ſed is mo-
deſtè deprecatus, confirmationem nondum obtentam, præterea ſacros Or-
dines, ac conſecrationem epiſcopalem, quam adeptus nondum eſſet, excu-
ſavit. Conſecratus eſt à Metropolitano Salzburgenſi Joanne Jacobo Pataviæ Conſecratio.
annô Domini 1562. die 5ta Aprilis, ipſa Octavâ Paſchatis; quam celebrita-
tem magna ſolennitate, ac populorum concurſu celebratam ſcribunt.

Eſt autem ſpeciale de Urbano, dignúmque memoratu, quòd omnium, Superavit
qui in Sede Patavienſi, & antè, & ab ipſo fuerunt, diutiſſimè rexit, annis omnes diuturnitate regiminis.
ſeptem ſupra triginta: adhæc laude tam incorrupta, ut cum præſtantiſſimis
quibusque Deceſſorum in comparationem venerit, plurimis etiam meritis
anteferri. Enituit virtus, ac præcipuè vigilantia, curáque Paſtoralis, deplo- Vigilantia Paſtoralis.
rato illo rei Catholicæ tempore, quo morbus jam pene ad remedii deſpera-
tionem venerat, ebullientibus quotidie novis in Auſtria ſectis. Nihil Ferdi- Deploratus
nandi Cæſaris conſtantia, nihil edicta profecerant. Illud adhuc in lucro, Religionis in Auſtria ſtatus.
quòd nondum auctoritate publica obſignata erat religionis libertas, pro qua
Ordines Auſtriaci annô 1541. & rurſum annô 1556. omni niſu contende-
rant. Cæterùm cùm nomen libertatis non eſſet, res tamen ipſa paſſim va-
lebat, volitantibus impunè doctrinæ novæ præconibus, quos contra Princi-
pis interdictum ſtudia procerum, & multitudinis tegebant. Quæ tum cla-
des cœnobiorum! quæ ſacri Ordinis perturbatio! potentiſſimi quique, &
lumina Nobilitatis quà defecerant, quà ſic erant, ut tueri morem Catholicum
vix auderent: ipſo numero, & exemplis inſtituta nova ſectantium fiebat, ut
impune primùm eſſet, deinde evaderet etiam plauſibile, ſic ut verecundia
propemodum eſſet Catholicum dici.

Eo ſtatu diœceſis Urbanus regimen aggreſſus eſt: Spes tamen in Ferdi- III.
nando Cæſare, quo uno, quod adhuc ſtabat, innitebatur. Spes altera in 1562.
Concilio Tridentino, quod ſub principium anni 1562. denuò reſumtum. Ad Concilium Tridentinum

 illud reſumtum.

illud Urbanus quò minùs accederet, neceſſitates efficiebant domeſticæ, quæ eum à cuſtodia ſui gregis abeſſe longiùs prohibebant; egit tamen cum Archi-Epiſcopo Salisburgenſi de articulis in Concilio proponendis: id Ferdinandus, & Bavariæ Dux Albertus flagitaverant: ſtudebant enim religioſiſſimi Principes invenire viam, ſatisfaciendi Novatorum querelis, & per indulgentiam nonnullam deliniendi animos à rigore Catholico alienos: eò ſpectabat communio ſub utraque ſpecie, & conjugium ſacerdotum, quæ antequam ad Se-

Urbanus diſcutit articulos in Concilio proponendos.

natum Tridentinum deferrentur, communicata ſunt cum Urbano, qui ea cum aliis provinciæ Salisburgenſis Epiſcopis in Synodo Salisburgi anno 1562. menſe Aprili convocata diſcuſſit. Spes apparebat iis impetratis fore, ut cauſæ defectionum principes obſtruerentur duæ. Verùm contrà Tridentini Patres cenſuêre: Cæterùm illud de calice remiſerunt ad Pontificem, qui tunc erat Pius IV. ab hoc demum Ferdinandus poſt Synodum Tridenti ſolutam

1564. Promulgata per Auſtriam Communio ſub utraque ſpecie.

indultum illud de uſu Calicis impetravit anno 1564. quod die decima octava Junii Viennæ, ac ſubinde ab Urbano per totam diœceſim promulgatum fuit.

Cùm primùm res ingenti omnium jubilo fuiſſet accepta, nec nullo fructu, ſic ut Zacharias Delfinus Pontificis Nuncius non dubitaret ſcribere, jam ante 14. Julii ejusdem anni duas tertias hæreticorum partes in urbe Viennenſi revocatas ad frugem; experimento tamen poſtea cognitum eſt, plus attuliſſe noxæ, quàm commodi, proindéque eveniſſe ùt ſolet in languentibus, qui voluptate de potu noxio percepta, dum videntur ad momentum refoveri, acriorem indè languorem metunt. Poſteaquam enim pruritus ille novitatis refrixerat, omnis illa animorum ad bonam frugem incitatio reſedit; neque ad aliud favor ille Pontificis valuit, quàm ut novatoribus plura ſperandi, Catholicis ad redimendam pacem plura concedendi exemplum ſuppeterer. Sic una rituum Catholicorum parte loco mota ſubiit diffidentia de reliquis; cùm alteris ferocia creſceret palam jactantibus, ſe demum Papiſtis oculos aperuiſſe: indè inſultare Catholicis, ruborémque, & contemtum aſpergere, quo complures pudendus planè pudor à Catholicis cœtibus abſterruit, ſic ut illi etiam, qui reſipuerant, adeò poſt ſe non traxerint reliquos, ut & ipſi priſtinos in errores ſint brevi magnam partem relapſi. Hunc exitum quò minùs videret Ferdinandus Cæſar, effecit mors, quæ die 25. Julii, id eſt, à promulgato Calice tertia, & triceſima de medio ſuſtulit Principem, cui Scriptorum omnium Confeſſione plurimum debet Eccleſia, præſertim felicem exitum Concilii Tridentini, quod ſuâ potiſſimùm induſtriâ promotum, ſeptem ferè ante obitum menſibus abſolutum vidit, immortuus ipſe conatui, quem gerebat ad ejus uſum in ſuis provinciis inducendum. Ferdinandum ſub anni ſequentis finem ſecutus eſt Pius IV. cum quo expirare rurſum cœpit conceſ-

1566. Antiquatur.

ſio nuper facta. Nam Pius V. qui anno 1566. ſeptimo idus Januarii Pio IV. ſubrogatus eſt, quum olim à ſententia concedendi Calicis abhorruiſſet, eandem poſtea mentem ad Pontificatum attulit, habuítque omnium primum, ut indultum illud de Pio IV. extortum refigeret, non exiſtimans æquum, deferre levium quorundam hominum poſtulatis, qui veteres Eccleſiæ ritus adeò floccifacerent, ut hæreticorum potiùs novum morem, quàm reliquorum ritum Catholicorum imitari mallent: hæc enim ferme literarum ejus

1567. Curæ Urbani ob ſublatum Calicem.

ſententia, quas ad Urbanum Patavienſem dedit. Nam quum ob ſublatum Calicem motus fierent, precibúsque fatigaretur Epiſcopus, metu etiam injecto, nè qui propterea ad hoſtium ſigna deficerent, rem omnem Urbanus ad conſilium Nuncii Pontificii Viennæ ſedentis retulit, explicatis rationum in utramque partem momentis, denique edoctus de negotio Pontifex ad Patavienſem hæc in verba reſcripſit:

1568. Literæ Pontificis, quibus Urbanum ad conſtantiam erigit.

Venerabilis frater, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Certiores nos fecit Nuntius noſter, qui apud Sereniſſimum Imperatorem electum reſidet, ſe abs te conſultum fuiſſe ſuper Communione ſub utraque ſpecie, utrum eam Diœceſanis tuis efflagitantibus concedere deberes: miſit etiam ſcriptum, in quo, quæ in concedenda, aut deneganda ea re commoda, & incommoda eſſent, diligenter complexus es. Placuit nobis zelus, quem in hac re ſignificaſti: laudamus etiam prudentiam tuam, quòd de

re

re tam gravi nihil temere agendum putaſti : ſed Apoſtolicæ Sedis Nuntium, hoc eſt, per eum ſedem ipſam Apoſtolicam conſuluiſti. Sed nos conſideratis nobiſcum attentiùs iis, quæ abs te propoſita fuerunt, in eadem ſententia manſimus, in qua etiam tum, cùm à Prædeceſſore noſtro ea licentia efflagitata, atque expreſſa fuit, fueramus ; non eſſe hac in re recedendum à tam vetere, & à tot Sanctis Patribus approbato, & Sanctiſſimè retento Eccleſiæ Catholicæ inſtituto : nec debere te, vel quenquam alium, moveri levium quorundam poſtulationibus inconſultis : qui ſi veri Catholici eſſent, Sanctam Matrem Eccleſiam magis revererentur, neque ejus diſciplinam, & ritus tam temere abjicerent ; & verè Catholicos potiùs, quàm hæreticos horum temporum, in uſu tam Divini, ac venerabilis Sacramenti ſibi imitandos eſſe ſtatuerent. Si ſub una ſpecie perinde Chriſtum integrum, ac ſub utraque, ſumi credunt, ſicuti credere debent, cur una ſpecie contenti non ſunt ? Cur immutari ritum Eccleſiæ adeò antiquum, & ab omnibus Catholicis nationibus per tot ſecula obſervatum, volent ? ſi non credunt, hoc ipſo Catholicos ſe nomine tantùm eſſe, re ipſa autem cum hæreticis ſentire oſtendunt. Nam ſi verè Catholici eſſent, nullo pacto ſibi cum hæreticis, nè de cærimoniis quidem, conveniendum eſſe putarent. Itaque metus ille, ne, denegato eis uſu ſacri Calicis, ad hæreticos tranſeant, te movere non debet. Si enim id facturi ſunt, jam eos certum habeas, non eſſe pura, nec ſincera fide, nec pro veris Catholicis habendos. Quamobrem debes, Frater, primùm illud eniti, ut populus tibi commiſſus retinendum ſibi eſſe ſtatuat potiùs Eccleſiæ Catholicæ antiquiſſimum, & ſanctiſſimum ritum, quàm eum, quo hæretici utuntur. Si hortando, & monendo nihil profeceris, tu tuo te Officio ſatisfeciſſe intelligere debebis. Quisquis receſſerit, non tuâ ſed ſuâ culpâ receſſerit. Atque in hac ſententia adeò conſtanter, & fortiter manere debes, ut nullius jacturæ, aut periculi metu, ex ea te dimoveri patiare, etiamſi temporalia bona amittenda eſſent : etiamſi ſubeundum eſſet Martyrium. Pluris talis conſtantiæ præmium æſtimare debes, quàm quantas-vis opes, & temporalia bona : Martyrium verò adeò non eſt ſubterfugiendum homini verè Chriſtiano, & Catholico, ut ſit etiam expetendum, & in ſingularis beneficii loco à Deo accipiendum ; & felix habendus ſit, quicunque dignus habitus fuerit, qui pro Chriſto, & pro ejus Sanctiſſimis Sacramentis Sanguinem effundat. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXVI. Maji. MDLXVIII. Pontificatus noſtri anno tertio.

Hæc ſententia Pontificis, quæ quemadmodum obtinuerit, haud ſatìs compertum, cùm exploratum ſit poſterioribus etiam annis uſum Calicis in Auſtria viguiſſe, certè ad annum hujus ſeculi poſtremum Patavienſis Epiſcopus Leopoldus, ùt in loco memorabitur, multis argumentis ad eum penitus abrogandum pugnavit. Mollior interea tentabatur via ; monendo, adhortando, fucum illum inconditæ pietatis rationibus detergendo, quo etiam effectum, ut multa hominum millia ſpuriam illam appetitionem ponerent, morem veterem reſumerent, legíque Catholicæ ſua ſenſa gratificarentur. Is tamen uſus nondum penitus abrogatus.

IV. Molitiones ſectariorum.

Cæterùm nutante tantisper Calicis indulto cùm leves homines fremerent, non deerant ſibi Sectarii, qui obnitente quantumvis Urbano, atque opem Pontificis implorante laxarunt demum, quas dudum moliti ſunt poſtes. Dudum pervaſerat apud pleroſque opinio, Catholicam rem in his provinciis pariter cum Ferdinando occaſuram, quem ipſum ab uno Caniſio, & Jeſuitis, & Labacenſi Epiſcopo Urbano fulciri, in eâque ſuſtineri dictitabant : eo demum ad Majores appoſito celeusma cantabant : jam funes Jeſuitis, jam forum ſibi datum prædicabant. Nihil tamen hactenus è Maximiliano Cæſare impetraverant ; quin anno 1566. quum in Comitiis Viennenſibus ſub finem Novembris ob cauſam belli Turcici celebratis (utì ſemper conſuêrunt piſcari in turbido, & conſtituto in anguſtiis Principi legem ſcribere ſacrorum) in iis, inquam, comitiis quum ſuas nænias de libertate Auguſtani dogmatis inſtaurâſſent, tum quidem ſtrenuè repreſſi ſunt, percontante Cæſare, ecquem tandem Articulorum fidei ad ipſos retuliſſet ? illúdque ad extremum reſpondente : diſcederent è provincia, quibus animus ferret aliam ab ſe fidem ſectari : cúmque id ſaltem ſibi dari contenderent, ut Jeſuitas moveret loco ; reſpondit, id negotii ſpectare ad Pontificem : ſuarum verò partium eſſe non Jeſuitas, ſed Turcas expellere.

Nobilitas libertatem religionis impetrat certis pactis.

Succeſſit bellum, quo de diximus ingenti copiarum numero, grandibus impendiis geſtum; conflatum Cæſari permagnum æs alienum, cui diſſolvendo cùm laboraretur, Ordines Acatholici ſuum id tempus ducebant: collatis ipſi copiis, quod fervidè petebant, etiam viſi ſunt mereri, adepti denique in præmium anno 1568. uti Proceribus, & Nobilitati inferioris Auſtriæ liberum Auguſtanæ Confeſſionis exercitium in oppidis, caſtris, & pagis ipſorum jus fáſque eſſet: eandem veniam ſuperiores Auſtrii ſibi datum rati, ſine Conſule uſurpaverunt. Cæterùm cautum de civitatibus & plebe, uti nè ipſis impune eſſet avitos ritus deſerere, nec nobilitati pro ipſis intercedere; de quo ubi nobilitas fidem, ſeu ùt vocabant, aſſecurationem dederit, fore ut conceſſio Cæſarea vim ſuam tum primùm habeat: ſecùs autem minimè: id anno demum 1571. ratum fuit. Sed hæc coercitio tametſi provida, tamen plurimarum indè turbarum extitit cauſa. Nam conceſſio primoribus facta cùm ſperaretur, velut offa cerbero objecta, latratum ſopitura, tamen iſthuc evaſit, quod in ejusmodi ſolet, ut velut anguem inſerto capite etiam cauda ſequeretur, fierérque non lentè, ut Lutheriſmus in partem receptus eam referret hoſpitii gratiam, quam erinaceus in nidum bonis pactis admiſſus: in quo tamen mentem Cæſaris minimè fuiſſe lævam intelligo: majus malum minore redemtum cupiebat, illámque ſectarum diverſiſſimarum in dies emergentium licentiam circumſcribere: qua gratia conſtituit, uti certa conficeretur norma, qua veluti ripa coerceretur torrens ille effrænium doctrinarum. Eum in finem evocati ſunt David Chitræus, & Joachimus Camerarius, veteres Confeſſioniſtæ, qui formam agundorum è legibus Auguſtanis confectam Auſtriacis Luthericolis præſcripſerunt.

V.

Urbanus ſe contrà movet.

Eo religionis diſcrimine non modò Pontifex erectus Legatum denuo Commandonum in Auſtriam miſit, verùm etiam Urbanus Pataviensis cum Archiepiſcopo Salzburgenſi (quo non alium Officio ſuo digniorem Pontificem id temporis Germania tulit) in medium conſuluit. Cum Cæſare vehementer queſti de conceſſione modò dicta, expoſitóque religionis univerſim corrumpendæ periculo, abſtulêre ex eo decretum graviſſimum, quo ita cavit, ut ſi quid ultra conceſſionis nuper factæ terminos à quoquam attentaretur, ſpeciatimque ſi quid in fraudem jurium parochialium, ſi contra leges Tridentinas in ritu contrahendi matrimonii, ſi intra quartum propinquitatis gradum nuptiæ convenirent, de eis judicio Ordinarii graves expeterentur pœnæ.

1569. Intereſt ſynodo Salisburg.

Præter hæc coacta Synodus Salisburgi anno 1569. die quarta decima Martii, in qua præcipuas poſt Archiepiſcopum partes ſuſtinuit Urbanus, ſecúmque habuit Bernardum Schwarz Decanum Pataviensem, & Conradum Schwägerium Sacræ Theologiæ Doctorem, Pataviensem Canonicum. Scopus Concilii princeps, *ut Decreta Tridentina ſuſciperentur, ſummóque ſtudio ad effectum optatum perducerentur* (utì habet epiſtola prævia Joannis Jacobi Archiepiſcopi ad Clerum, & populum ſuæ provinciæ) id quod itidem ſinguli Patrum in Synodo præſentium in grege ſuo procurandum, obſervandúmque polliciti ſunt. Duravit Conventus ad octavam ſupra viceſimam Martii, qua die ſolennem liturgiam honoribus Sacroſanctæ Trinitatis in æde Metropolitana cantavit Urbanus. Sanctiones erant, & multæ, & numeris omnibus abſolutæ, in id præcipuè conſtitutæ, ut eſſent velut ſacra linea doctrinæ Catholicæ, morúmque clericalium; quas idcirco Gregorius XIII. anno 1572. vehementer probatas, Maximiliano Cæſari impensè commendavit.

1572.

VI.

1573. Rurſum adeſt Synodo Salisburg.

Exequitur ſtatuta.

Quo verò certiùs ad executionem venirent, convocata rurſum anno 1573. ad diem 26. Auguſti eadem in urbe Synodus, in qua cum aliis Urbanus Pataviensis aſſedit: ibi Canones denuo recogniti, deliberatúmque de modo, qui videretur de ſingulis quamprimùm deducendis in uſum, in quo minimè omnium ceſſavit Urbanus. Nam ubi primùm Pataviam rediit, habito cum ſuis Conſilio ſtudioſè providit, ſcriptíſque ad Archiepiſcopum literis die ſecunda Octobris ejusdem anni, rationes omnes, & vias, quas ad exequendum ſanctiones jam dictas pro ſua diœceſi meditatus eſſet, expoſuit, petiitque unà bonum numerum exemplorum, quæ formis Dilinganis imprimebantur, quam-

quamprimum ad ſe transmitti. Dedit indè operam ut viſitata diœceſi diſciplina Cleri & Cœnobiorum meliorem in modum inſtauraretur; cujusmodi Monaſteriorum viſitationem adornavit anno 1575. menſe Junio, aſſumtis in ſocietatem operæ nonnullis ex Univerſitate Viennenſi Doctoribus; quæ res non absque magna priſtini vigoris inſtauratione proceſſit, uti meminerunt Acta Theologica. 1574. 1575.

Sed quantum etiam Officii ſui Præſul ſatageret, tamen exaſperatum in- Exaſperatum malum. dies malum, patuitque brevi, religionis fores nullius cuſtodiis minùs tutò committi, quàm indulgentiæ. Nobiles enim minimè contenti eccleſiis, quas tempore conceſſionis poſſederant, alias atque alias quà occupaverunt, quà è fundamentis excitarunt; decimis etiam, beneficiis, aliisque eccleſiarum juribus pro commodo correptis. Ad hæc quod imminuendæ ſectarum multitudini quæſitum fuerat, in earum nutrimentum evaſit: Nobiles enim, quum in Academiis acatholicis operam ponerent, alias alii præceptiones revexêre in patriam. Denique quum per indultum Nobilitati factum ſperaretur fore, ut exſatiatis horum cupidinibus à ciendo motu quieſcerent, id omne in contrarium vertit: nibilo enim quietiores effecti, eodem ardore pro libertate quarti Ordinis, ad quem conceſſio nondum pertinebat, certârunt; hoc acriore vi, quo major indies numerus ad eorum exemplum, ac præſidium ſe applicabat: cúmque vetuiſſet etiam Cæſar edicto, nè qui Nobilium pro Ordine inferioris ſubſellii preces interponerent, idque eſſet inter pacta conceſſionis jure jurando firmatum; tamen conjunctis ſtudiis, & civitates pro ſe, ac populo, & Nobiles pro ſociis velut in cauſa communi depugnabant: alia precibus, alia per vim facere, planè omnibus modis fatigare Principem, ut Catholicis vinculis exoluti pro arbitrio degere ſinerentur. Nulla unquam ætas Auſtriacis Principibus pares referet gratias, qui niſi fuiſſent eâ, qua erant, conſtantiâ, actum erat in Auſtria de re Catholica. Maximilianus Cæſar, quum videret quò res evaderet, frænos adduxit, gravibúsque edictis primùm, deinde etiam pœnis veluti perjuros, læſæque Majeſtatis reos compreſſit; quo ex capite nonnullos etiam è palatio, & Officiis publicis juſſit faceſſere.

Tali rerum ſtatu Maximilianus obiit ad ſuperos anno 1576. die duodecima Octobris, cui filius Rudolphus hujus nominis ſecundus in ſumma rerum ſucceſſit: Is ſibi Pragam urbem habitandam decreverat; Auſtriacis præfecit Erneſtum fratrem; quo tempore quum eadem ſtudia pro libertate popularium ferverent, indiésque graviores deſignarentur exceſſus, ſic ut deſertis Auguſtanæ Confeſſionis placitis dogmata fidei pro ſuo quique genio ſibi cuderent, in vulgus ſpargerent, auctoritatem Principis in negotio Religionis, contrà quàm legibus pacificationis ſancitum eſſet, contemnerent; è terris exteris evocatis prædicantibus, provinciæ novas inferrent ſectas. Nec modò templa Catholicorum invaderent, profanarent, reditibus, ac ſacerdotiis exuerent; verùm etiam perſonas eccleſiaſticas, præterea ad corrumpendam præſentiùs juventutem etiam Magiſtros literarum Catholicos ex oppidis ejicerent: quid multis? extinguere penitus religionem Catholicam aggreſſi, nec jam ſacerdoti ad aram facere, neque laico avita profiteri ſacra, integrum vellent, eorum etiam, qui ſecus auderent, vitam periculi manifeſtam facerent: paſtores interea ſuos tantò ſtudiis ardentioribus colerent, foverent, protegerent, ſilentio ſaltem, ubi res aliud non ſineret, diſſimularent, dum ab exedris, publicísque ſuggeſtibus in omnium Ordinum è Catholicis famam graſſarentur; hæc & talia cùm fierent, tum illud erat intolerandum, quòd bona, quæ Majores ſuis ſuorúmque Manibus expiandis in loca ſacra ſupremis potiſſimùm tabulis contulerunt, omni jure fusdéque habito vendicarent ſibi; ipſi fruerentur Catholicorum ſacerdotum ſtipendiis, ipſi fundationes, è quibus in Sanctos honor, in fundatores verò defunctos fructus rediret, aut everterent omnino, aut impedirent: in oppidis denique ſic agerent, ut cives Catholicos, & commercio ſuo ac ſocietate, & gratu ſenatorio, officiisque publicis omnibus excluſos, ne communibus quidem civium privilegiis gaudere ſinerent, niſi qui Prædicantis examini ſubjecti calculum ab eo propitium ferrent eâ nor- VII. 1576. Sacra omnia permixta.

mâ

mâ propoſitâ, ut cuicunque demum ſectæ adhærere fas eſſet, modò non Orthodoxæ.

VIII. 1579. Indicitur Reformatio Religionis.

Licentiam adeò væcordem non ſibi diutius tolerandam putavit Erneſtus Archidux, ſuóque potiſſimùm hortatu auctor fuit Cæſari, ut ſolenni decreto reformationem ediceret: Igitur anno 1579. imperatum, ut excederent è provincia, quicunque doctrinam & inſtitutionem Catholicam audire nollent, ſalvo tamen Decreto Proceribus, & Nobilibus olim dato. Sed hoc perinde erat, atque alveum ſiccare, fontem non obſtruere. Nam continuò potentiſſimi quique cauſam popularium veluti ſociorum agere, cum quorum precibus, minis, tumultibus per annos indè ſecutos aſſiduò certatum fuit, egregia Rudolphi Cæſaris, Erneſtíque Archiducis conſtantia; quæ ſi partitè deſcribere aggrediar, etſi ab inſtituto non abhorreant, tamen ad alia properantem mole retardarent ſua, opúſque in immenſum excreſceret. Dudum nos eo labore levavit excellentiſſimus Comes Kevenhillerus, cujus opus inſigne nuper typis recuſum planè theatrum eſt rerum in eo negotio geſtarum.

Quam primùm exequitur Urbanus.

Ad Urbanum Patavienſem redeo, cujus potiſſimùm induſtriæ ſalutaris cœpti executio incumbebat. Is primùm in oppidis, & villis ditionis epiſcopalis edicto propoſito, qui redire ad ſanitatem nollent, eis miſſione data res habere ſuas juſſit. Curionum præcipuè parochialium delectum fecit ſingularem; cujusmodi ut deinceps etiam ſuppeterent, clericos ſuis impendiis alendos in diſciplinam Collegii Viennenſis tradidit. Ad hæc ſacerdotum nupturientium (quos ob inopiam Paſtorum ſatiùs nonnunquam Epiſcopi tolerandos putabant, quàm omni plebem ſacrorum uſu privari) morem repreſſit gravi denunciatione ad parochos, qua vetabantur ejusmodi pellicatus ſacrilegi præſtites agere, aut ei cæremoniam connubialem impendere. Ob quæ & alia, quum auctoritatem omnem Officii paſtoralis exprommeret, irritati adverſarii excuſſa propalam obedientia ſcripto publico conteſtati ſunt, ſe nullum Ordinarium præter Chriſtum agnoſcere. Interea reformationis negotium per Auſtriam auxilio Principum ſtrenuè premebatur: receptæ de indebitis poſſeſſoribus Eccleſiæ, expulſi de oppidis, & parochiis illi, qui non per oſtium fuerant ingreſſi; excurſiones oppidanorum, quas ad alienæ fidei doctores in vicinis arcibus concionantes gregatim facere conſueverant, ſeveris interdictis coercitæ: emiſſi denique cum poteſtate publica, qui ſtatum oppidorum cognoſcerent, religionem ad normam decreti Cæſarei reducerent, refractarios ad parendum, aut mutandum ſolum compellerent: his adjuncti Doctores Catholici, quorum officium erat, ſequiores opiniones eximere, docendo, hortando, pugnas etiam cum adverſariis conferendo veritatis Catholicæ lucem vel invitis offerre; quo in munere quum operam non poſtremam navarent Societatis JEſu Patres, qui rogatu Epiſcopi Paſſavienſis, & juſſu Archiducis Erneſti in urbe præcipuè Crembſenſi operam Apoſtolicam ingenti cum fructu navaverunt, tum laudem longè clariſſimam tulit Melchior Cleſelius, qui Epiſcopo Urbano à Conſiliis, ejusdémque per Auſtriam inferiorem Vicarius, magnus planè vir, doctrina, eloquentia, zelo, dexteritate, ac fortitudine prorſus Apoſtolica, quàm multa, & ſtrenua ad votum Urbani fecerit, teſtis eſt laudatus aliàs poëta, qui res primùm Urbani pro integritate religionis geſtas, deinde Cleſelii verſibus haud abſurdis complexus eſt:

Reformatio ſtrenuè procedit.

Urbani, ait, *virtus nunquam conceſſa moveri,*
Crudeles nimiùm nec diſſimulare rapinas,
Nec poterat tolerare ſui damna horrida regni.
Ergo velut pecudum cuſtos oviúmque Magiſter,
Dum ſacris gregibus timet à communibus herbis,
Infectum ſcabie pecus à præſepibus arcet:
Admonitos iterum atque iterum bonitate paterna
Peſtiferos æſtus juſſit, virúsque malignum
Excutere, aut alibi gratas ſibi quærere ſedes,
Accepto ſecum pretio, quod quisque per arva,

Præ-

Prædia, rura, domos, fundos cumulare valebat:
Ite, ait, *hinc quibus heu! ſanis medicina parari*
Tempeſtiva nequit monitis, accedite partes
Ad veſtri ſimiles, agnóſve relinquite ſanos.
His ita tranſactis animi pia lumina vertit
Ad loca in Auſtriaco late ipſi ſubdita regno:
Magno igitur rurſus curarum fluctuat æſtu,
Qua ratione queat terris avertere peſtem.
Nec fuit ulla magis præſens fortuna laborum,
Quàm ſi divinis inſtructus Melchior armis
Chleſelius, cui lingua fluat pleniſſima cœli
Nectare, qua ſævos poſſit domitare vel urſos,
Mittatur, magna qui dexteritate, fidéque
Principiis obſtet.
Et certè obſcurum eſt nulli, quàm mente ſagaci
Turbatas Chriſti res egerit, & quot iniquos
Invidiæ ſtimulos, cœcique odia aſpera vulgi
Ultro pertulerit, dum non ceſſaret atroces
Longè arcere lupos; ad ovile reducere ſparſos
Hinc illincque agnos; ſtabiles firmare; jacentes
Erigere; ægrotis medicamina ferre; procaces
Refrænare hircos, & duris dura minari;
Horrerétque nihil, virtute invadere magnum,
Principis Urbani ditio quò tota malignis
Purgata hæreſibus ſub religione parentum
Viveret: & tantis DEus optimus annuit auſis,
Votáque Chleſelii Divos habuêre ſecundos.
Cernimus Urbano ſiquidem ſub Principe multos
Hactenus hæreſium variis erroribus actos,
Nunc magis atque magis tacitas agnoſcere fraudes,
Et revocare gradum, verúmque intrare Sionem.

Hæc & alia prædictus auctor, qui Carmen ſuum anno 1589. in lucem dedit.

IX. 1590. Urbanus jubet edi methodum Divinorum Officiorum.

Anno ſequenti mandante Urbano typis edita eſt per eundem Cleſelium methodus Officiorum divinorum pro omnibus cujuscunque ſtatus, & dignitatis eccleſiaſticis perſonis Pataviensis diœceſis in Auſtria infra Anaſum, ad quam cæremonias divini cultus componere, ſermones ſacros ad populum habere, Euchariſtiæ Sacramentum diſtribuere, aliáque ad animarum curam pertinentia adminiſtrare ſublata rituum varietate noſſent.

Officialis Pat. Reformator Generalis.

Sed eodem anno ſcilicet 1590. cùm induſtria Cleſelii rebus pro fide geſtis adeò eniteſceret, eidem ab Cæſare mandata eſt quàm glorioſa, tam difficilis Sparta Reformatoris generalis per inferiorem Auſtriam: quum enim ab anno, & dimidio ſalutare cœptum paulisper adhæſiſſet tædio eorum, qui Commiſſarii, ùt vocabantur, ad id munus deputati, inter ſe nec ſtudiis, nec judicio conſenſerant, quippe nullo duce, aut moderatore; altérque alteri obturbaverat diſſimilitudine ſtatutorum; quum alii diſtrictiùs, indulgenter alii negotium capeſſerent; aliique contra alios aſciſcerentur patroni; parùm inde promovebatur ad ſummam; aperti etiam motus obnitentium fiebant: quamobrem Cleſelius univerſo negotio præficitur cum poteſtate plena, de cujus imperio cuncti reformationis ſocii penderent; præſcripta ad hæc formula ſeu inſtructio, quemadmodum in locis, ubi reformationem auſpicaturus ſit, conciliaret primùm animos, promulgaret edictum, refractarios in curiam compingeret, obedientes confeſſione ſacra, & ſynaxi expiaret; tum illos alios è cuſtodia eductos, ſi duritiam nondum ponerent, dato ſpatio trimeſtri terris omnibus hæreditariis excedere juberet: in eos denique, qui ſeditioſis concionibus, aut alia ratione concitarent plebem, explicato rigore con-

cluſos ergaſtulo ad pœnam ab ſua Majeſtate dictandam ſervaret. Hæc ſententia literarum Cæſaris anno 1590. die 27. Februarii datarum.

X.
Canonici quidam agunt de Coadjutore Urbani.

Inter hæc quum ætas Urbani Epiſcopi vergeret, non defuêre, qui referrent ad Cæſarem eſſe quosdam, qui clanculum agitarent de adjungendo eidem Coadjutore: res erat, quòd uſu cognitum eſſet, religionis vehementer referre, ut Epiſcopis, qui vicinos haberent hæreticos, darentur etiamnum vivis Adjutores, ne poſt illorum exceſſum ob ſtudia partium aperiretur locus liberiùs irrumpendi: quam curam cùm ætas ipſa Præſulis intenderet, enim vero nonnulli Canonicorum Pataviensium Ferdinandum Bavarum habebant in votis: cæteri malebant Auſtriacum, cujusmodi in domo Caroli Archi-Ducis Græcii Styrorum ſuppeteret Leopoldus. Sed is per ætatem nondum maturus, quippe ætatis annum nondum egreſſus quintum, cæterùm natalium ordine in ſpes ſacras deſtinatus. Rudolphus Cæſar intellecta re ſatis habuit conſilium in præſens diſcutere: quamobrem ſuum, qui Romæ erat, Legatum maturè admonuit data epiſtola in hanc ſententiam:

1591.
Obſtat Rudolphus Cæſar.

„Nobilis Vir. De Paſſavienſi Epiſcopatu celare te nolumus, nova nos,
„etſi nondum ſatis comperta audire eſſe ibi, qui nova, eáque clancularia con-
„ſilia moliantur, quæ præſentem ſtatus illius turbare quietem, ac tranquilli-
„tatem poſſint. Cùm autem Epiſcopatus ille non ſolùm ſacri Romani Im-
„perii feudum ſit, nósque in temporalibus ſuperiores agnoſcat, ſed ditioni-
„bus etiam noſtris hæreditariis Auſtriæ adeò conjunctus, & vicinus, adeóque
„innexus, atque immiſtus ſit, ut peramplam ibi jurisdictionem, atque opimos
„reditus, plurimáque feuda habeat, quo nomine multa noſtris ſubditis cum
„eo Epiſcopo intercedant, noſtrâ quàm maximè intereſſe ducimus, nè quid
„ibi novo more occultis quorundam machinationibus ſuſcipiatur, quod in
„noſtrum, aut ditionum noſtrarum, aut etiam Epiſcopi adhuc ſuperſtitis, *qui*
„*multos annos Eccleſiæ ſuæ, ditionique laudabiliter præfuit*, præjudicium vergat.
„Quidquid rei ſit, ut apertiùs intelligamus, dum per fidos quosdam Mini-
„ſtros accuratiùs inquirimus, obſervabis diligenter, quàm poteris, num in-
„tempeſtiva ejusmodi conſilia auctores fortè, aut executores aliquos etiam
„iſthic in Romana curia habeant. Quod ſi compereris, hanc rem ita apud
„Pontificem Max. atque apud alios curandam ſuſcipies, nè temere fides ſpe-
„cioſis talium hominum perſuaſionibus, aut conſiliis, clam nobis, aut iis ad-
„hibeatur, quorum interſit, nihil hìc innovari. Hæc autem gerenda ſunt
„dextrè, offenſionum, quæ hinc excitari poſſint, evitandarum causâ: quod
„diſcretioni, induſtriæ, vigilantiæque tuæ benignè committimus. Ut verò
„certiùs rem inveſtiges, & ubi advigilandum ſit, intelligas, ſcire te ſolùm vo-
„lumus de recentibus quibusdam Bavaricis (de quibus tamen nulla apud
„quenquam, nedum apud Pontificem, facienda mentio) clam ſignificari di-
„verſis, eos id rationibus moliri, ut Coadjutoria ibi ſive volente, ſive etiam
„nolente Epiſcopo inſtituatur. Quod ne nobis inſciis fiat, adlaborabis ſaga-
„citer, & dextrè, donec aliud à nobis mandatum accipias. Datum Pragæ
„IX. Martii Anno 1591.

His Rudolphi literis atque ipſius, ùt apparet, Urbani averſione, niſi & benevolentiâ in Auguſtam domum retardata ſunt ſubrogationis Conſilia; partes etiam in hoc negotio ſuas agente divina Providentia, quæ labentem venerandi ſenis ætatem tam diu ſuſtinuit, dum Leopoldus ex ephebis aſſurgeret: in hujus enim partes traducti demum ſunt Canonici Pataviensſes, tali pacto inter legatos Cæſareos, Auſtriacos, Bavarósque inito, juréque jurando confirmato, uti nè Leopoldus Archidux poſſeſſionem dignitatis, aut fructuum Pataviensium adiret ante annum ætatis viceſimum. Egit eodem anno 1591. Urbanus Viennæ, ubi Synodum diœceſanam inſtituit.

XI.
1592.
Transactio Urbani cum Regentibus Auſtriæ.

Verùm eædem Cæſaris literæ documentum non obſcurum exhibent, quàm bellè Principi conveniret cum rationibus Urbani; cujus itidem tractabilitate, & ſapientia compoſitæ demum ſunt annoſæ, ac perpetuæ lites, quæ juris dicundi causâ inter Epiſcopos Patavienſes, & Regentes Auſtrios interceſſerant, ſpeciatim 1mo de Electione, & inſtallatione Prælatorum; 2do de

eorun-

eorundem viſitatione, reformatione & depoſitione: 3tiò de executionibus in bonis monaſteriorum poſt mortem Prælatorum: 4tò de præſentarione parochorum: 5tò de eorundem viſitatione, & correctione, de quibus anno 1591 transactione facta in ſequentem modum conventum eſt, literis anno ſequenti datis.

De Electione & Poſtulatione Prælatorum.

1mò „Si cujusquam Prælati locum quacunque ratione vacare contigerit, ejus vacarionis indicium per literas illico faciat is, utercunque id priùs cognoverit, ſeu Princeps Ordinario, ſeu Ordinarius Principi, aut ejus Vicariis inferioris Auſtriæ Rectoribus.

„Tum Ordinarius ſuo jure deputet Legatos, qui novæ electioni, aut poſtulationi pro rarione ſacrorum Canonum inrerſint ſoli, operámque dent, nè quid in libertatem, & ſubſtantiam electionis, aur poſtularionis peccetur.

„Electionem, aut poſtulationem rite factam Electus, aut Poſtulatus indicabir ocyus Principi, aut ejus Commiſſariis iſthic præſentibus: Ordinario autem, aut ejus Vicario præſentabit etiam electionis, aut poſtularionis decretum, ſic ut à Principe requirat conſenſum, ab Ordinario confirmationem.

„Si quod incidat impedimentum Canonicum, aut exceprio Principis, tum illud tempore à Canonibus præſcripto ſignificetur Ordinario, qui re cognita electionem, aut poſtulationem, dum alia ratio non ſuppetat, antiquabir, factâque proclamatione ſtatuct diem commodum, quo urriusque partis Commiſſarii ad reſumendam electionem, aur poſtulationem ſe conferant.

„Quod ſi omnia rite conſtiterint, tum Electo, aut Poſtulato conferet Ordinarius, aut ejus Vicarius ea, quæ ſpiritualia ſunt, more hactenus conſueto: Commiſſarii verò Principis pro jure Patronatûs, aut Advocatiæ tradent ea, quæ temporalia.

De Viſitatione.

2dò „Ordinario jus erit Prælatos viſitare, reformare, corrigere, dum cautum ſit, nè per eam occaſionem monaſteria ſupervacaneis ſumptibus, aut aliis incommodis graventur, in quo providentia Principis non arcebitur.

Et Correctione.

„Qui itidem admonendus erit, ubi res ad ſuſpenſionem, aut depoſitionem Prælati proceſſerit, ſic ur inrerveniente conſenſu Principis id fiat, ejúsque Commiſſarii ſalrem actui depoſitionis interſint, qui receptis è manu ejus, qui deponendus eſt, bonis temporalibus eadem conſignabunt præfectis Catholicis à Principe deligendis procuranda per tempus vacantis monaſterii; quemadmodum & Ordinario liberum erit curam ſpiritualium Priori, aut Decano, aut cui videbirur, demandare.

„Viſitationes Generales, quas nonnunquam ſuſcipi neceſſitas flagitat, ad majorem earundem efficaciam, & fructum à Principis pariter, atque Ordinarii deputatis inſtituantur.

„Præficiantur Monaſteriis Prælati, vel Adminiſtratores, qui ſint de Ordine cujuslibet monaſterii, & nequaquam exreri.

„Si quando emergant cauſæ merè ſpirituales, aut perſonales Prælatorum, ob quas ad Tribunal Ordinarii citandi erunt, tum diſcrimen habeatur inter Prælatos eos, qui inferioris, & alios, qui ſuperioris Auſtriæ ſunr: iſti evocari Paſſavium porerunt, ſecus illi, qui cùm tribunal Ordinarium infra Anaſum habeant, ab ejus Officiali jus petant, & accipiant, nec cogentur ſe ſiſtere Epiſcopo, niſi in cauſis gravibus, & urgentibus, ídque cum ſcitu Principis, quod itidem obſervandum in cauſis criminalibus, in quibus eriam Princeps ab Ordinario requiſitus per brachium ſeculare, ſi res poſcat, aſſiſtet.

„Ad viſitanda cœnobia ſanctimonialium deligentur à Principe Commiſſarii duo, quorum alteruter ſit Eccleſiaſticus: quibus Epiſcopus veniam ingrediendi ſepta daturus eſt, eísque ſocios ab ſe deputatos, ſi ita videatur, adjungere poterit.

De bonis Prælatorum defunctorum.

3tiò „Prælato è vivis ſublato Prior, vel Decanus cum duobus è Conventu relicta bona obſignabit: tum Ordinarius indicio mortis accepto cum

„Principe, aut ejus Vicariis inferioris Auſtriæ Regentibus; ſi quidem ea in „parte ſitum monaſterium ſit; ſin autem ſupra Anaſum, cum Præfecto ſuperioris Auſtriæ condicturus eſt diem, quo inſtituatur inventarium, & obſignatio generalis; ubi venientibus utriusque partis Commiſſariis, bona „quidem ſacra cenſenda, & obſignanda ſunt ab epiſcopalibus; temporalia „verò à Commiſſariis Principis.

„Compendia per Prælatum facta cedant monaſterio, in quo parta ſunt; „eſto Prælatus aliunde aſſumptus, aut poſtulatus fuerit.

De Præſentationibus Parochorum.

4to „Vacante parochia, aut beneficio, in clientela Principis conſtituto, „licebit eidem de dotibus Candidati inquirere: literas tamen præſentationis „eo pacto daturus eſt, ut Ordinario liceat præſentatum ad examen vocare; „tum ſi minùs idoneum compererit, id ipſum indicare Principi, petereque, „ut alius aliquis præſentetur, neque tabulæ poſſeſſionis à Principe tradentur, „priusquam approbatio Ordinarii obtenta, & exhibita à præſentato fuerit. „Poſſeſſio autem ſic inibitur, ut ad diem utrinque condictam de manu Vicarii Epiſcopalis ſuſcipiantur ſpiritualia, de Commiſſariis Principis temporalia.

De eorundem Viſitatione & Correctione.

5to „In viſitandis, & corrigendis ejusmodi clientelaribus parochis, aut „beneficiariis idem jus eſto, quod ſupra de Prælatis, ſic ut jurisdictio quo ad „ſpiritualia & merè perſonalia ſit penes Ordinarium; quo ad temporalia verò penes Principem, qui itidem in caſu contumaciæ præſidium Ordinario „non detrectabit.

„Quem Ordinarius è diœceſi Paſſavienſi proſcripſerit, id intelligendum „erit de ſuſpenſione à ſacris, aliisque cenſuris eccleſiaſticis; cæteroqui ſine „præjudicio ejus juris, quod Principi terræ conveniat; quod itidem de reliquis hujus transactionis articulis accipiendum: ſic, ut inviolatæ permaneant libertates, indulta, jura, conſuetudines Auſtriacæ domui, ſtatibúsque „provinciæ competentes; denique non extendenda transactio, niſi ad Prælatos, parochos, aliáſque perſonas eccleſiaſticas jurisdictioni Ordinarii ſubjectas; reſervata tamen ſit Principi poteſtas proſpiciendi de remedio, ſi quó „caſu monaſteria, aut ſtatus eccleſiaſticus in ruinam vergat.

„Pariter ex adverſo excipit Urbanus, quidquid tractatione præſenti in „fraudem Conciliorum, Canonum, ſummi Pontificis, & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ auctoritatis, Officii & jurisdictionis epiſcopalis, immunitatis Eccleſiaſticæ, clerique libertatum in genere, & in ſpecie, ac demum poſſeſſionis „avitæ, juriúmque Eccleſiæ Paſſavienſis quomodolibet contineretur.

„Ad evitandas demum in poſterum lites, ſi quæ diſſenſio in puncto jurisdictionis Eccleſiaſticæ ſuborta fuerit, danda erit opera, ut ocyùs per congreſſum utriusque partis deputatorum res diſcuſſa componatur.

„Hæc ut rata ſint, ſponſionem firmam faciunt Imperator Rudolphus, & „Urbanus Epiſcopus Paſſavienſis, utrique pro ſe ſuisque ſucceſſoribus: in „quorum fidem confecti libelli duo utriusque manu ſubſcripti, & ſigillo ſignati, quorum unus in manu Cæſaris, alter Epiſcopi depoſitus fuit. Datum „in arce regia Pragenſi die ſexta Novembris Anno 1592.

In his articulis nihil erat de bonis relictis parochorum, aliorúmque Clericorum, Vicariatus, aut beneficia poſſidentium conſtitutum: res anno ab hinc altero ventilata; verùm ob affectam Epiſcopi valetudinem non perducta ad liquidum, poſt ejus tamen obitum ad certas revocata Leges, ùt in loco referetur.

Compoſitis controverſiis forenſibus æſtuabant adhuc certamina religionis, in quibus quum famam ſibi qualemcunque parerent Societatis JEſu Patres, cúmque dudum eorum inſtitutioni alumnos ſuos credidiſſet Antiſtes, nepotes pariter ſuos ſpectatæ indolis adoleſcentes in ſociorum Crumlovienſium diſciplinam tradidit: cujus exemplo incitati cives Patavienſes certatim liberos ſuos, quos partim Ratisbonæ, partim Ingolſtadii, domíque hactenus aluerant, tranſtulère Crumloviam bonis artibus imbuendos.

In

Digitized by Google

In Auſtria nondum exhauſta Lerna: Prædicantes ſub umbra Provin- XII.
cialium acatholicorum non in urbe modò Viennenſi, ſed aliis etiam urbibus, Malum hæreſum in Auſtria pertinax.
ac oppidis Archiducalibus, boniſque, ùt vocant, Cameralibus ſua ſacra peragebant, inferebant ſe in ditiones provincialium Catholicorum, & Prælatorum; ibidem res omnes ad animæ curam ſpectantes promiſcuè exercebant, neque contenti parochianos è locis Orthodoxis ad Conciones ſuas, locáque ſuis ſacris deſtinata pellicere, quin etiam perſonati ſubibant urbes, baptiſmum prolibus, funebria mortuis miniſtrabant. Quos, aliósque ejus generis exceſſus Mathias Archidux, qui pro Erneſto ad præfecturam Belgii evocato anno 1593. gubernandam Auſtriam ſuſcepit, ad Rudolphum fratrem perſcripſit: 1593.
denique res anno ſequenti erupit in tumultum: ruricolæ erant ſuperioris Au- 1594.
ſtriæ, qui Sacramenta ſibi ſermone vernaculo conferri petebant, porrigíque Tumultus ſuperioris Auſtriæ.
in Euchariſtia Deum Teutonicum: abnuentem parochum ejecêre finibus: continuò propagata rabies: expulſi de ſuis Eccleſiis curiones complures; quod incendium Archi-Dux ut maturè reſtingueret, Præfecto ſuperioris Auſtriæ negotium dedit; copias etiam auxiliares petiit ab Epiſcopo Patavienſi, Imploratur Ep. Patav.
qui jam aliàs manum militarem pro Altfeldenſi parochia ſubmiſerat; eratque ejus fides adeò probata Rudolpho Cæſari, ut ſcriberet, ſe planè fretum Epiſcopi benevolentiâ vivere, eum illico, ubi res poſtulatura ſit, milite ſubſidiario præſto fore, gnavitérque futurum in vigiliis, uti populus Patavienſis à ſocietate rebellium, ferendóque eis ſubſidio omnimodis avertatur.

Præterea admonebatur Epiſcopus, uti in clerum ſibi ſubditum vigilem 1595.
intendat oculum, nè quid fieret, quo irritaretur furor plebis: generatim au- Admonetur de continendis in officio Parochis.
tem cavebatur parochis, uti nè acerbiore de ſuggeſtu loquendi modo, aut inconditis probroſiſque moribus, aut alia quavis ratione pernicioſis ejuſmodi motibus præberent anſam, quin contrà ſatagerent, uti plebem quà hortando, mitigandóque, quà conſpicuis vitæ exemplis ad ſanitatem reducerent. Datum anno 1595.

Altiùs anno ſequenti intonuit Rudolphus Cæſar, quando emiſſo ad Vi- XIII.
carios, ac ſtatus ſuperioris Auſtriæ decreto mandavit, ut genus omne præ- 1596. Decretum Rudolphi Cæſaris contra Prædicantes.
„dicantium, qui in parochias ſtatuum Catholicorum, aut introducti erant, „aut ſemetipſos intruſerant, illico miſſos faciant, aut ſi poſt edicti publica„tionem non faceſſerent; eis in cuſtodiam abſtractis agerent, ut Eccleſiæ „probis paſtoribus inſtruerentur. Imperavit item præfectis utriusque Au„ſtriæ, ut Ordinario, ejúſque Vicariis præſidio eſſent, eorum jurisdictionem „quibusvis modis protegerent: temeraria prædicantium ſtudia in procuran„dis non ſuis ovibus coërcerent: Provincialibus conventum in cauſa religio„nis nè permitterent, ſecus ea, quam haberent, conceſſione caſuris: Sacer„dotes, aut religioſos apoſtatas, aquâ & igne interdicerent. Salutaria ſanè mandata, atque haud dubiè per Urbanum Præſulem impetrata; ſed quòd vindicem non habebant, plerumque irrita, quæ huc demum evadebant, ut Irritatur malum.
velut flamma ventilata irritaretur incendium, aut velut pharmaco, dum vim ſuam non exerit, aggravaretur malum: itáque fiebat, ut quum ſubinde Archi-Dux emiſſo decreto moneret, uti ſtatutis Cæſareis morem gererent, illud de Curiæ Lincenſis janua, cui affixum erat, etiam refigere, ipſámque curiam quinquaginta armatorum manu cingere ſuſtinerent: quæ audacia tantum animorum cæteris addidit, ut indè non diu per Auſtriam ſuperiorem exercitium religionis publicum à Nobilibus paſſim agitaretur; Apoſtatæ revocarentur, nulla denique decretis Cæſareis haberetur reverentia: tum præcipuè adversùs Cleſelium commoti, in eum velut ſtimulatorem Cæſaris effundebant querelas: atque interim Epiſcopo etiam Patavienſi cum ſuis ſubditis oriebantur certamina.

Scharleinpachium oppidum eſt in ditione Patavienſi; die 22. Maji, anno Urbani lites cum ſubditis ſectariis.
1596. ſenatores, judex, cæteríque parochiani auſi ſunt introducere paſtorem acatholicum; quod facinus Antiſtes quum apud Præſidem provinciæ Löbelium vehementer deteſtaretur, licentiæque remedium opportunum poſceret, datum quidem à Præſide mandatum ejiciendi præconis, ſed apud obſtinatos

 invali-

invalidum: nam ii defenſione forenſi ſuſcepta conatum Præſulis duxêre in longum; quum & cognitores à Cæſare conſtituti moras necterent excuſatis impenſis; quæ & alia uberiùs legere eſt in opere aliàs laudato excellentiſſimi ſcriptoris; ubi refertur ad annum 1597. expeditio Joannis Jacobi Löbelii Baronis, Auſtriæ ſuperioris Præfecti pro recuperandis Patavienſibus Eccleſiis in eo diſtrictu, quem vulgò appellant *Müllviertl.*

1597. Expeditio pro recuperandis parochiis Patavienſibus.

Ibi ruricolæ Præfectum Paſſavienſem Georgium Tattenbeck armata manu obruerunt, enectis quibusdam, quos fuga non abſtulerat: in eos Löbelius cum centuria Catholicorum militum movit; patuitque brevi, quanto fructuoſior exactor Officii in contumacibus eſſet gladius, quàm ſtilus: menſe Junio, ſpatio dierum octo cunctas Epiſcopi Paſſavienſis parœcias ſubmotis, qui eas occupaverant, ſeditioſis receptas, legitimis paſtoribus inſtruxit: menſe dein Novembri ejusdem Löbelii virtute multa ſtrenuè in commodum religionis ſuſcepta ſunt: nam potiores Auſtriæ ſuperioris urbes, Lyncium, Styram, Frayſtadium, Anaſum, Welſium, Gmundam, Veklæpontum, in quibus miniſtelli bono jam tempore nidulabantur, reductis Curionibus orthodoxis repurgare cœpit, quod negotium annos etiam ſequentes tenuit reclamantibus in caſſum Proteſtantium Ordinibus. In Auſtria pariter inferiore reformatio procedebat: Civitas Chrembſium, & Stainium paſtoribus Catholicis commendata.

Repurgatæ civitates Auſtriæ.

XIV.

1598. Urbanus aſſumit Coadjutorem Leopol. Archiducem.

Ad hæc læta demum ante obitum videnda poſt aſperas temporum vices emeritam ætatem produxerat Urbanus Antiſtes; qui ut in poſterum quoque rei Catholicæ tantò præſentiùs conſuleret, ſuſcepit conſilium, quo non aliud ſalubrius Eccleſiæ Patavienſi parari poterat; nempe ut eum ſibi proſpiceret ſucceſſorem, qui laborantem Eccleſiam tueri Majeſtate generis, & parentelæ Auguſtiſſimæ poſſet; Leopoldum, inquam, Archi-Ducem Carolo Styrienſi Archi-Duce genitum. Hunc Urbanus anno 1598. ſibi aſcivit Adjutorem; invito ùt refert V. C. Horneggius, Salisburgenſi: res ad Clementem octavum Papam remiſſa eſt, qui conſilium probavit Rudolpho Cæſare ſuas partes interponente: atque res opportunè cecidit: nam pòſt paulò Antiſtitem ſenio confectum defecit vita quinto idus Auguſti, cùm exegiſſet ab die 18. Auguſti, anni 1561. quo electus eſt, ad anni 1598. diem 9. Auguſti annos regiminis ſeptem ſupra triginta, demtis diebus novem; annos ætatis ſeptuaginta tres, menſes duos, dies octo: ita refert inſcriptio ſepulcri, quod ſibi in ſacello Sanctiſſimæ Trinitatis ab ſe fundato dudum locaverat è marmore, conſtitutis in annos ſingulos funebribus ſub initium Decembris peragendis.

Inform. Lauread. & Pat. p. 87.

Obitus Urbani.

XV.

De Virtutibus Ejusdem.

Supereſt ut de virtutibus Urbani, geſtisque, quæ ad certum annum revocari non poterant, adferamus ea, quæ nobis auctor æqualis, laudatus pridem Franciſcani Ordinis Cœnobita, qui optimi Præſulis res non ſegniter executus eſt, in argumentum contribuit: Hundius enim, qui Urbani tempore ſcribebat, multa ille quidem, ſed paucis dicit: *Præeſt*, inquit, ***adhuc hoc anno 1581. non minori laude, quàm Eccleſiæ ſuæ utilitate, tam in ſecularibus, quàm ſpiritualibus negotiis.*** Ita ille, qui alibi eum laudat ob id, quod ſecum Annales veteres Patavienſes, cum Catalogo Præſulum Laureacenſium & Patavienſium; item apographa Diplomatum Patavienſium legenda communicaverit.

Juſtitia. Clementia.

Vigebant in Urbano virtutes præcipuè duæ Principum propriæ: juſtitia & Clementia. Pater erat omnibus in commune; qui nihil unquam gratiæ, aut opibus tribuerit; ad eandem bilancem inopum juxta ac divitum ſolitus cauſas exigere: apud eum velut aram omnibus expoſitam, ùt erat oppreſſis, miſeriſque perfugium; ſic ſceleratos juſta manebat animadverſio; quam tamen clementia mirificè temperabat, ſic ut publica populi ſententia nec excedere in altero, nec in iſto deficere, ſed utriusque temperamentum æquabile complecti diceretur, eòque nomine reverentiam pariter, amorémque in ſe omnium converteret, hoc ampliùs, quo conſtabat in publicum inſignis liberalitas, & munificentia, quam in egenos omni tempore expromebat; quorum ſæpe turbam ſupplicem ſic accipiebat, ut neminem ullum indonatum dimitteret; illud autem ſingulare, quò pudicitiæ puellarum inopum conſu-

Liberalitas in pauperes.

conſulere ſtudebat: nummos aureos mille in cenſum annuum conſtituit, è quo nubiles dotatæ matrimonii copiam haberent: ſi quid autem è ſumma illa dotali ſuperaret, impendebatur in conjuges egeſtate preſſos, eos præcipuè, quos verecundia à poſcenda ſtipe retrahebat.

In res ſacras.

Par liberalitas in res ſacras, Deique cultum ſpectantes; baſilicam præſertim Patavienſem, quam ſtructuris marmoreis, varióque ornamentorum genere perpolivit: in eadem fundavit ſacellum, quod nomini Sanctiſſimæ Trinitatis dicavit, adjecta dote in ſacrificia duo quot hebdomadis celebranda: rurſus piaculare ſacrum pro utroque parente, fratribus, & amicis anniverſarium circiter Auguſti menſis Calendas faciundum inſtituit. In aliis quoque ſacris ædibus viſebantur religioſæ ejus munificentiæ monimenta complura, ſigna, veſtes, vaſa aurea, aliáque ejus generis. Sed memoriam ſui perennem reliquit in cœnobio ſodalium Ordinis S. Franciſci de obſervantia, quod unà cum æde ſacra Sanctis omnibus, Reginæque Sanctorum dicata, è fundamentis erexit in Patavienſis urbis ad occidentem parte extima; cujus Operis auſpicia memoratus aliàs ejusdem Ordinis poëta circa annum 1587. cùm Pataviam tranſiret, adfecta vidit, metróque celebravit Euchariſtico, relinquens fratribus gratiarum referendarum debitum, quas ipſi, & precibus, & ſanctimoniâ vitæ, & literarum, qua pollent, laude fundatori optimo præclarè reddunt.

Erexit Cœnobium Franciſcanorum Pataviæ.

Quòd autem peculiaris eſſet Urbani in Chriſti dolores religio, prætcrea in Sacro-Sanctum Euchariſtiæ myſterium, ita in perpetuum ſancivit, primùm uti in memoriam patientis Domini feriis quibuslibet ſextis ageretur ſolennis ſupplicatio, cui præter nomen Sacerdotum omne, & Canonicorum Cathedralium, ac Miniſtrorum Epiſcopalis aulæ, primores etiam urbis, ære campano ſolenniter convocati adeſſent: deinde pro feria quinta conſtituit, ut Sacro-Sanctum Officium ſolemnibus ceremoniis fieret, ídque ritu admodum ſplendido, lucentibus undequaque cereis, procerum etiam Patavienſium ſacri, profaníque Ordinis comitatu.

Pietas in Chriſtum Patientem.

In Euchariſtiam.

His ille documentis ſanctitatem fidei Catholicæ multis calumniis per adverſarios proſciſſam vindicabat, formámque ſe gregis demonſtrabat ex animo; Cleri præſertim, in quo rite formando totus erat: quúmque intelligeret, quantum ad propugnandam religionem momenti, ac decoris haberent literæ; præterquam quòd ipſe hac etiam parte eſſet omnibus admirandus, nullúmque propemodum eſſet diſciplinæ, ſeu ſacræ, ſeu profanæ genus, in quo palmam non ferret, præter Muſas humaniores etiam Mathematicis, Naturalibus, Hiſtoricis, Juridicis, Theologicis; ad hæc peritiâ linguarum, & artium exterarum cumulatè percultus, tum eodem ſtudio proſequebatur viros doctos, eóque potiſſimùm ex capite magni faciebat Melchiorem Cleſelium, quem ex obſcuris natalibus ad lucem Academiæ Viennenſis eductum, Urbanus in ſuum adſcivit uſum; Vicarium per inferiorem Auſtriam juſſit; deinde ejus opera in graviſſimo reformationis negotio conſtanter uſus, principium dedit ejus gloriæ, quàm factis indè ſuis Cleſelius ad usque purpuram conſecutus eſt. In easdem ſpes educati complures Urbani ſumtibus alumni, quos ſeu in Auſtriacis, ſeu Bohemicis, ſeu Bavaricis Athenis curavit inſtitui. Adhæc penum librariam opere magnificentiſſimo condidit; hìc opes eruditionis Hebraicæ, hìc Græcæ, Latinæque congeſſit, ex quo veluti promptuario adversùs ignorantiam, & hæreticorum deliria, dicacitatémque præſtò eſſent omni tempore ſubſidia. Sed omnium, quæ pro inſtauranda Eccleſiæ ſuæ diſciplina Urbanus geſſit, præſtantiſſimum maximéque memorabile documentum ſunt Sanctiones Capituli ſaluberrimæ, quas partim veteres renovatas, partim novas ad normam Tridentini accommodatas approbavit: eas ob multitudinem & molem ſatiùs eſſe duximus rejiciendas in finem. Neque rei modò ſacræ, ſed etiam fortunis Eccleſiæ ſuæ conſuluit.

Cura formandi Cleri.

Eximia doctrina.

Studium in literatos.

Temperantia.

Oeconomia.

Modeſtia cultûs domeſtici, vitæque temperantia procul ab omni luxu; præterea ſolers œconomicæ rei tractandæ dexteritas tantum ſuffecerat vectigal, ut non modò in ea, quæ diximus, redundarent opes, ſed in alia quoque, quæ fieri ſine grandibus impendiis minimè poterant. Memorabile de pala-

tio

Exornat palatium Epiſcopale.

tio Epiſcopali, quod cum geminum ſit, in utroque exornando artem cum pretio ad ſpeciem planè regiam compoſuit. De quo haud erit abs re ipſius uti verſibus auctoris hunc in modum canentis:

Quid monumenta loquar cunctis victura diebus
Principis impenſis erecta? palatia bina.
Nimirum vetus, atque novum (ſic nomine dicunt)
Quàm pulchro ſplendore ornant nunc Principis aulam?
Cuinam ſpectanti non admiranda videntur?
Stant ambo ſiquidem regali ſplendida luxu
Dædaleis fabricata modis, expoſtáque lymphis
Oeni, ac Danubii, cœlóque expoſta ſereno.
Atque novum quamvis Antiſtitis ære decorem
Induerat magnum; vetus ecce nitore coruſcat
Nobiliore tamen; ſtat tanta id námque politum
Arte, animo ut prorſus dubites graviorêne ſumptu,
An ſtructum ingenio fuerit majore locantis.
Nam quid fornicibus pulchrum magis atque columnis?
Quid teſſelatis nitido de marmore ſaxis
Terſius? hic Phrygio deſectas monte columnas
Tænareiſque pavimentum ſplendeſcere venis
Credideris, Pario & factos de marmore poſtes,
Inque unum coiiſſe locum Titana, Caryſtos
Quicquid habet, quidquid Thaſos & Synodia rupes.
Hinc cunctos etiam tacitè juvat admirari
Artificum doctáſque manus, operúmque labores,
Qui vel Apellæas valeant ſuperare figuras,
Parrhaſiique manus, ac doctam Zeuſidis artem.
Ii quibus æternæ vitæ jam luce fruentes,
Pontifices, aliique viri, quos poſthuma fama
Laudat adhuc, ſua dant cernenda tuentibus ora.
Picta quidem, vivos tamen oſtentantia vultus.

Aliæ ſtructuræ.

Hucusque melos non inſcitum; cui ſubditur aliud de Chartario epiſcopali, ſeu conclavi illo, quod vulgo Cancellariam vocant per Urbanum renovato, ac permunito ſic, ut arcana quævis citra periculum poſſint in eo reponi: de arcibus ſemirutis per eundem inſtauratis, Razmanſtorffenſi, Rüdburgenſi, Zellenſi; de caſtro item S. Georgii, quod urbem Patavienſem è rupe boreali deſpectat, inſtrumentis bellicis in omnem belli caſum inſtructo. Auxit inſuper ditionem Patavienſem dynaſtiâ Leoprechtingenſi parato ære coëmta; ejus caſtrum ruinæ proximum multo ſumptu refecit, quæ cùm faceret, tantum aberat, ut res ærarii fieret anguſtior, quin omnia potiùs affluerent, manifeſta Dei largitate, quæ per diligentiam Præſulis ſe vinci minimè ſinebat, dabátque in lucris etiam illud, ut vim bonorum Patavienſium permagnam, quæ ſeu dolo mortalium, ſeu violentia deciderant in alienas manus, judicatâ causâ recuperaret: illud ad extremum unicè ferens in votis, ut diœceſim de erroribus repurgatam, tranquillam impendio quocunque cerneret. Et quoniam ea vivebat tempora, queis Eccleſiæ ſalus non verbô modò, & doctrinâ, ſed etiam armis propugnanda erat, hìc ille opes, hìc ſumtus ultro conferebat in medium, neque ullo in loco reipublicæ neceſſitatibus defuit, adeò planè, ut non ſupra verum poëta panegyricus inſtituta Urbani cum ejus Deceſſoribus comparatione omnes eorum laudes in hunc unum collectas canat:

Auxit poſſeſſiones Eccleſiæ.

Largus in ſumptus Reipubl.

Præſule in uno
Cætera reſplendent Patavinæ lumina Sedis:
Quidquid enim ſummis animi conatibus illi
Sumpſerunt operæ, quidquid ſumpſêre laboris
Pro pietate, fide, regno, populique ſalute,

Ii

Id totum hic Præſul non inferiora ſecutus
Præſtitit invicta mente imperterritus.

Sic ille, qui quum, & multa, & prolixè de Urbani rebus cecinisset, poſtremò delapſus ad vota, ſauſtámque precationem:

Vivat, inquit, piorum lux bonisque Præſulum
Virtute multa nobilis.
Vivat cohortis ſpes, ambrque pauperum,
Largo juvat quam munere!
Vivat ſcientiarum amator inclytus
Favore quas ſummo fovet!
Vivat bonus Paſtor, ſuum ſalubribus
Paſcit gregem qui pabulis!
Vivente namque Præſule integerrimo
Bono nihil deerit gregi.
Caput efferet fides avita: ſentiet
Fallax ruinas hæreſis:
Ejus per urbes imperabit inclytis
Virtus decora faſcibus.
Qualis fremens tumentibus
Quum fervet æquor fluctibus
Quietis almæ nuncia
Se ſtella nautis objicit;
Talem procellis hæreſum
Eccleſiam obruentibus
Lumen piis qui redderet
Elegit Urbanum DEus.
Sic vivit ille, ne ſibi,
Totus ſed auctori DEO,
Populisque totus ſubditis
Videatur ille vivere.
Doctrina, pietate, Charitatis
Accenſus face, proximo, Deòque
Soli vivit, & eſſe talis optat,
Quales ſecula tutiora patrum
Olim Pontifices tulêre: vivat!
Ergo Mathuſalæ precamur annos,
Exemplo ut proprio docere pergat;
Vita quæ faciat beatiores
Uni Pontifices DEO dicatos.

Hucusque auctor, cujus votum candido, ùt planè apparet, ſtudio depromtum, atque haud dubiè fervidas egenorum preces ratas habuit Deus, ſervavítque, quod orabatur, Urbanum ad ſtipendia novem integra ſuperſtitem, eodem tenore laudis, meritum etiam ab Rudolpho Cæſare graviſſimum elogium: *Epiſcopus, qui multos annos Eccleſiæ ſuæ, ditionique laudabiliter præfuit.* Sed ego virtutis integerrimæ documentum hoc habeo, quòd nuspiam reperi, qui eum cum exceptione laudaret; planè ut illud *oportet* Apoſtolicum in ſe complêſſe videatur: *Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe.* Niſi illud in loco criminis deputetur, quòd anno ſui pontificatûs extremo mentionem intulit *Exemtionis:* Id enimvero ſuccenſet auctor ſummarli Salisburgenſis, quòd Urbanus „ultimo vitæ ſuæ anno 1598. in cauſa cujusdam excommunicationis pro al-„tera ſua ratione attulerit exemtionem Patavienſem, ità ut per eam nec con-„trariam partem citaverit, nec litem intentarit, ſed nudis verbis narraverit, ùt loquitur decretum Cameræ Apoſtolicæ in eodem ſummario ad numerum 22. de quo auctor Informationis Hiſtoricæ Salisburgenſis Urbanum ait ſenio „confectum, ac indè forſan ſubmiſſionis ſuæ tot actibus teſtatæ oblitum, „exem-

„exemptionis aliquid ſomniare cœpiſſe. Ita ille: Verùm auctor Informa-„tionis Hiſtoricæ Patavienſis Sanctum ait, atque divinitus immiſſum id ſom-„nium fuiſſe, quo ad Eccleſiæ ſuæ tuenda jura ſit admonitus. An autem, quidve ſubjectionis Urbanus per vitam ſuperiorem profeſſus ſit, alii cenſeant; nos hunc ſpinoſum hiſtricem libenter è manu dimittimus.

XVI. *Suffraganeus.* Suffraganeus Patavienſis ſub Urbano fuit Hector Wegmon Theologiæ Licentiatus qui anno 1581. inauguravit Abbatem Zwetlenſem Joannem Rüoff die ſecunda Februarii. Rurſus anno 1589. conſecravit alterum ejuſdem Monaſterii Abbatem Udalricum Hackl die 21. Februarii. Idem egregiam operam in reformatione poſuit, anno præſertim ultimo Urbani, quo Eccleſiæ ſuperioris Auſtriæ repurgari ſeriò cœptæ ſunt. Præſto erat Löbelio Præſidi in expeditione ſacra. Ipſe paſtores ſubventaneos è latebris excutere, legitimos ſubmittere, curas denique Apoſtolicas in omnem partem explicare.

Officialis Paſſavienſ. Officialis Paſſavienſis infra Anaſum ſub Urbano fuit Laurentius Zadeſius, qui annô 1565. Joanni Zenoniano Præpoſito Claræ vallis extra muros oppidi Zwetl oſtendit Catalogum rerum in præpoſitura inventarum poſt mortem Rulandi Præpoſiti.

Anno 1581. Melchior Cleſelius Philoſophiæ Doctor, Theologiæ Licentiatus, Præpoſitus Viennenſis, & Archigymnaſii Cancellarius, Wratiſlavienſis Canonicus, Epiſcopi Patavienſis Urbani Conſiliarius, ejuſdem infra Anaſum Vicarius, & Officialis ad præſentationem Erneſtl Archi-Ducis loco, & nomine fratris ſui Rudolphi ſecundi Cæſaris præfecit Præpoſituræ S. Salvatoris Clarævallenſi extra muros oppidi Zwetl ſitæ, tunc per obitum Joannis Zenoniani vacanti Udalricum Hackl presbyterum, & Canonicum ad S. Stephanum Viennæ, eundémque inveſtivit per libri, clavium, & annuli traditionem, nec non & ſtolæ ſacerdotalis impoſitionem (in feſto S. Michaelis) Datum & Actum in Præpoſitura Clarævallenſi die tertia Octobris anno 1581.

Anno 1592. Balthaſar Scultetus Vratiſlavienſis ſacro Sanctæ Theologiæ Doctor, Canonicus Viennenſis, & Epiſcopi Paſſavienſis infra Anaſum in ſpiritualibus Vicarius, creatus eſt Univerſitatis Viennenſis Rector.

XVII. *Initium ſtatuæ prodigioſæ Nidernburgenſis.* Non omittendus cœli favor, qui ſub Urbano civitati Patavienſi oblatus eſt. Bernardus Schwarz Canonicus (an idem qui Decanus Patavienſis Concilio Saliſburgenſi cum Urbano interfuit) qua erat in Dei Matrem pietate, effigiem ejus è materia ſculpendam locaverat apud Phidiam Auguſtanum anno 1567. Opus abſolutum ſecundo Danubio vehebatur: Ratiſbonam pervenerat, quum divertente, aut quod volunt, pernoctante intra urbem artifice ſolutum navigium ferente flumine, nullo Duce, nullo remige ad litus Patavienſe, qua trajectus eſt ad Ilzenſes, locum Antiſtitæ Nidernburgenſi ſubjectum applicuit. Res inſolita advertit cives, ut cœli donum interpretarentur; résque ipſa docuit: nam continuò prodigia effulſere, quæ celebritatem iconi addiderunt. Delata ad cœnobium Virginum, repoſitáque in loco Majoris Eccleſiæ ſupra ſacrarium, noctu mutavit ſedem, quippe inventa manè in Eccleſia minore propè adſita: quod cùm iterum, ac tertiùm eveniſſet, res in prodigio habita multos mortales ad venerationem excivit; quæ aliis deinde, atque aliis divinæ beneficentiæ pignoribus aucta latè manavit. Illud permirum, quod multis inde experimentis cognitum, ac teſtatum fuit: ſtatura imaginis tum Virginis, tum puſionis, quem brachio geſtat, animadverſa creſcere, ſic ut indumenta, quæ ornatus gratiâ ad ſtaturæ modum adhibebantur, ſubinde excedi, atque ea, quæ primùm æquaverant menſuram molis, poſt paulo, membris grandeſcentibus imparia notarentur: cujus miraculi periculum iterum, ac ſæpius factum, chlamydes, quas majore forma confici identidem oportebat, hodiéque aſſervatæ teſtantur; erátque collatis incrementorum calculis manifeſtum, effigiem ulnâ plus dimidiâ factam ſemetipſa, quæ à primo fuerat, grandiorem; Claruit indè ſimulacri prodigioſi gratia permultis in pios pecatores beneficiis, tum eventibus luctuoſis, quos ſeculo ſuperiore Patavienſis Urbs per flammas populatrices ſæpe numero experta eſt; nam rebus circum

circum omnibus materiatis in cineres redactis, imago tamen nulla parte libata fecit ſpem gratiarum etiam in poſterum conferendarum.

Ferunt Commentarii Bernardum Schwarz conductorem imaginis eodem anno 1567. tempore quo Faber cum ſtatua Paſſavium tendebat, obiiſſe mortem: atque Concilium Salisburgenſe, cui Bernardus Schwarz Decanus Paſſavienſis interfuit, celebratum eſt anno 1569. atque in Catalogo Decanorum apud Hundium dicitur obiiſſe anno 1580. Itaque vel diverſi erant ejusdem nominis, vel apocryphum illud, quod proditur, anno 1567. defunctum eſſe.

Rurſus invenio in Catalogo Decanorum MS. Bernardum Schwarz appellari *Patavinorum Pontificem* Suffraganeum utique; cujus tamen alia documenta nondum ſuppetunt.

Libero nunc fidem de Statutis Capituli ſub Urbano partim renovatis, partim de integro conſtitutis, è quibus non modò plurimum lucis de ritibus & conſuetudinibus Eccleſiæ Patavienſis haurias licet, ſed etiam pietatem, zelum, ſapientiam venerandi ejus Collegii velut in imagine contempleris. Eorum finis eſt & ſcopus, præſcribere tam Canonicis Cathedralibus, quàm cæteris ejus Eccleſiæ Clericis regulam quandam & normam, ad quam vitæ morúmque ſuorum & actionum inſtitutum exigere, quémque ad modum ſinguli pro munere ſuo in Domo Dei converſari debeant. Confecta dudum ejusmodi ſtatuta fuerant ſub anteceſſoribus. Ac ſpeciatim ſub Erneſto: at ea denique meliorem in modum abſolvit Urbanus, atque in uſum ſui ſeculi temperavit; quæ nunc ad verbum recitare inſtituimus. XVIII.

Urbanus DEI & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Epiſcopus Eccleſiæ Paſſavienſis &c.

AD perpetuam rei memoriam. Noverint Univerſi, quòd anno à Nativitate Salvatoris noſtri Milleſimo, quingenteſimo, nonageſimo quarto, die verò decimo quinto, Menſis Auguſti, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, ac Domini noſtri, Domini Clementis, Divina providentia Papæ Octavi Anno ejus tertio coram Nobis Pataviæ in Curia Noſtra Epiſcopali perſonaliter conſtituti Venerabilis, generoſi, atque egregii Noſtri Confratres, & Nobis in Chriſto ſyncerè Dilecti, Chriſtophorus Pöttinger Præpoſitus, Antonius Fabricius Decanus, Antonius Comes Ladroni Senior, totúmque Capitulum Eccleſiæ Noſtræ Patavienſis, Nobis humiliter expoſuerunt, quomodo hactenùs animadvertiſſent, ſtatuta Capituli ab Anteceſſoribus ſuis ante ſecula aliquot erecta, & in quendam Ordinem redacta, temporis ſucceſſu in deſuetudinem deveniſſe, & indè Eccleſiæ, & Capitulo plurima emanâſſe damna & inconvenientia. Volentes igitur huic malo tempeſtivè occurrere, & futura opportunis debitisque remediis præcavere, Majorum & Anteceſſorum ſuorum ordinationes, & ſtatuta diligenter perluſtrâſſe, ea verò quæ partim temporis diuturnitate collapſa, partim confuſo rerum ordine adminiſtrata & mutata comperiſſent, in meliorem ſtatum, tamquam ad limam revocâſſe & in integrum reſtituiſſe; pluráque etiam ad præſentium temporum qualitatem & exigentiam innovâſſe, cumprimis verò ad SS. Concilii Tridentini, ac Conſtitutionum Synodalium Eccleſiæ Metropolitanæ normam & decreta accommodâſſe, tandémque in ſpecialem ſtatutorum librum omni meliori forma, ordine atque diſpoſitione redegiſſe, quem & nobis reverenter obtulerunt, debita cum inſtantia Nos requirentes ac obnixis precibus poſtulantes, quatenus ſic per eosdem reformata & in debitum ordinem redacta paternè approbare, ratificare, atque per medium ordinariæ noſtræ confirmationis, robur perpetuæ firmitatis adhibere dignaremur. Nos igitur eodem ſtatutorum libro recepto, omnibus ac ſingulis in eo contentis lectis, atque vigilanter ponderatis, poſtquam ipſa bona, æqua, utilia & laudabilia invenimus, ſtudium ac intentionem tam piam Præpoſiti, Decani, Senioris, & Capituli noſtri, ùt Literæ Urbani Ep.

dignum erat, commendantes, petitioni eorum per omnia duximus acquieſcendum. Quapropter præfata ſtatuta & Ordinationes, unà cum præfatione, ſic, ùt præmittitur, in debitam libri formam redacta, & Nobis præſentata, atque præſentibus ſubinſerta Ordinaria noſtra authoritate approbamus, ratificamus, atque in perpetuæ firmitatis robur manus noſtræ ſubſcriptione, & ſigilli noſtri appenſione, confirmamus. Anno, Menſe & die, ut ſuprà.

Urbanus Epiſcopus Pat.

PRÆFATIO.

EXperientia quotidiana, quæ omnium rerum Magiſtra eſt, docemur, ſæpe ea, quæ benè, ſapienterque à Majoribus noſtris conſtituta ſunt, temporis diuturnitate ſenſim prolabi, ut quæ antea admodum utilia, & probè neceſſaria fuerunt, ea cauſis, temporibúsque mutatis, vix ullum uſum habere putentur: adeò ut interdum neceſſum ſit, leges ipſas inſtaurari, mutari, nec non perſonis, locisque accommodari. Quæ cùm ſtatutis noſtris quoque accidiſſe deprehenderimus, quorum quædam in deſuetudinem abierant; quædam his ſeculis parùm congruebant; omnia ſanè meliori ordine & diſpoſitione indigere videbantur: ea voluntate & conſenſu Revmi Epiſcopi paſſim innovata, noſtris temporibus accommodata, ſtatutis ſynodalibus Eccleſiæ Metropolitanæ, & cumprimis Decretis ſacri Tridentini Concilii, quantum Eccleſiæ hujus rationes ferunt, conformata, in eum qui ſequitur ordinem redegimus, & Superiorum authoritate legitimè confirmari curavimus, ut certam haberent tam Canonici quàm alii Eccleſiæ noſtræ Clerici, & Miniſtri, regulam, ad quam vitam, mores, & actiones ſuas dirigerent, atque adeò ſinguli noſſent, quo modo quemque pro ſuo munere in Domo DEI converſari oporteret.

TITULUS I.
De Cultu Divino.

CÙm Clerici omnes ex impoſito ſibi munere præ cæteris fidelibus, ad Divinum cultum privatim, publicéque præſtandum, propiùs deputentur, & certiùs aſtringantur: neque aliter ad Beneficia Eccleſiaſtica, quàm propter officia Divina ritè & legitimè obeunda eligantur, & aſſumantur: tum verò maximè Canonici, qui ſecularis Cleri ornatiſſima pars ſunt, quibus propterea diligenter enitendum eſt, ut ſicuti reliquis ſacerdotibus, & Eccleſiæ Miniſtris dignitate, & authoritate præeminent, ita illis pietate in Deum, ejúsque cultum ſtudio & fervore præluceant: haud immeritò itaque ſtatuta antiquiſſimæ hujus Eccleſiæ à Divino cultu auſpicanda.

I. Officia omnia divina, cujuſcunque generis, ſive diurna, ſive nocturna, ab omnibus non curſim, non perturbatè, non truncatè, non oſcitanter, ſed leniter, diſtinctè, integrè, ſtudioſè, ac reverenter, debitam tamen faciendo inter ſolenne, & feriale officium differentiam, ùt ratio temporis poſtulaverit, decantentur, ac recitentur; ad quæ peragenda corpore pariter & mente ita ſe componant omnes, quo ſimul & Deo gratum, debitúmque obſequium exhibere, & populo conſideranti devotionem augere valeant. Maledictus enim qui facit opus Domini negligenter præſertim ſi ex illis fuerit, quos Deus præ aliis ſanctos eſſe vult & Magiſtros religionis elegit.

II. Matutinum Officium circiter quartam à media nocte horam, ad conſulendum Chriſti fidelium imbecillitati, quorum precandi ſtudium & ardor plurimùm his periculoſis temporibus refrixerunt, inſtituantur, quò meliùs illi, majorique numero ad iſtud convenire & ſuas ad Dei gratiam impetrandam ejúſque iram avertendam cum Clero pias preces efficaciùs conjungere queant. Nec ob id Matutinum Officium verè dici non poteſt, cùm hoc tem-

pore

pore hibernis præſertim diebus multa adhuc nox eſſe, & idem per Germaniam in præcipuis Cathedralibus Eccleſiis paſſim obſervari ſoleat; ac nihilominus cæteræ horæ, Miſſa, & Officia maturè & juſto cum intervallo perfici queant; exceptis tamen Feſtis Nativitatis, & Reſurrectionis D. N. JEſu Chriſti, quibus media nocte vel circiter matutinum veſperi dicitur. Poterit autem pro celebritate feſtorum, in quibus Divina Officia majorem ſolemnitatem, & temporis moram requirunt, ad Matutinum, ordinante Decano, ſignum ſemi hora quàm aliis diebus citiùs dari.

III. Prima & reliquæ horæ Canonicæ, ſuo, ſecundùm conſuetudinem hactenus obſervatam, tempore abſolvantur.

IV. Epiſcopo Veſperas in ſuis Feſtivitatibus cantanti, duo ſemper Canonici alternatim & per vices inſerviant; duo autem poſt Prælatos Seniores, cum duobus Vicariis, quos ordo tetigerit, præcentores agant. Reliqui Canonici, ſecundum ſenium adeptæ poſſeſſionis de cantu antiphonas exordiantur. Domicelli in minoribus Ordinibus conſtituti, Thurificando, ùt moris eſt, inſerviant. Similiter altera die Epiſcopo celebranti, & Officium Miſſæ cantanti, atque duobus Senioribus, & Vicariis Choro tanquam præcentores præſidentibus ex ſupradictis Canonicis altari inſerviendo unus Epiſtolam, alter Evangelium cantet, idque in ordine fiat incipiendo à Senioribus poſt Præpoſitum, & Decanum (qui ratione dignitatum ab ejusmodi Miniſteriis immunes ſunt) & per ordinem progrediendo ad Juniores usque in majoribus ordinibus conſtitutos. Ratio tamen habeatur ſeniorum, & infirmorum, quos Juniores, ubi neceſſitas exigere videbitur, hoc onere meritò levabunt. Quod ſi quis ſuo muneri, ſive per abſentiam, ſive per negligentiam defuerit, nullo legitimo obſtante impedimento; neque ex Collegio aliquem, qui vices ſuas ſubeat, ſubſtituerit, pœna arbitraria per Decanum & Capitulum puniatur.

V. Porro majora Epiſcopi feſta, nequis ignorantiæ excuſationem prætendat, ſecundùm conſuetudinem noſtræ Eccleſiæ hæc ſunt:

Feſtum { Nativitatis Chriſti. / Sancti Stephani Patroni noſtri. / Circumciſionis. / Epiphaniæ.

Dominica Palmarum.
Feria quinta in Cœna Domini.
Feria ſexta in Paraſceve.

Feſtum { Paſchæ. / Aſcenſionis Domini. / Pentecoſtes. / Corporis Chriſti. / Inventionis S. Stephani. / Translationis S. Valentini Epiſcopi & Confeſſ. / Dedicationis templi. / Purificationis. / Annunciationis.

Feſtum { Aſſumptionis. / Nativitatis. / S. Maximiliani Epiſcopi & Confeſſoris. / S. Valentini Epiſcopi & Confeſſoris. / Omnium Sanctorum. / Commemorationis omnium fidelium. / Defunctorum.

VI. Quòd ſi Epiſcopus impediatur quò minùs Miſſam ſolemnem, aut Veſperas his diebus cantare poſſit, vices ipſius ſubibit D. Suffraganeus, aut Præpoſitus, aut Decanus, aut aliquis ex Senioribus Canonicis Presbyteris.

VII. Feria ſecunda poſt Paſcha & Pentecoſten Veſperas, & Miſſam cantabit D. Præpoſitus.

VIII. In Feſtis Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & Sancti Archangeli Michaelis Veſpertinas preces & Miſſam majorem, item in Vigiliis Paſchæ & Pentecoſtes & Nativitatis Domini & eadem nocte in Aurora Miſſam D. Decanus cantabit. Fontem quoque baptiſmalem in Vigiliis Paſchæ & Pentecoſtes benedicet.

IX. Cæterùm diebus ſequentibus videlicet feſto SS. Trinitatis, Viſitationis & Conceptionis B. M. V. SS. Joannis Baptiſtæ & Evangeliſtæ, Feria tertia poſt Paſcha & Pentecoſten, Veſperas & Miſſam Majorem cantabunt ex ordine reliqui Canonici ſecundùm ſenium, donec omnes munus ſuum expleant. Quòd ſi quis legitimè impediatur aut presbyter non ſit, alium ſuo loco ſubſtituat.

X. Quoties autem Præpoſitus, Decanus, aut aliquis ex Canonicis diebus prædictis, ſacra fecerit, Miniſtris aliquid, ſecundùm uſitatam conſuetudinem eroget.

XI. Vicarii chori in ſuo quisque loco conſiſtens quotidie horis Canonicis diurnis, & nocturnis. Item Miſſis Majoribus; Cryptarii verò, & oblajarii matutinis & Veſpertinis precibus, & Miſſæ ſolenni. Scholares quos chorales appellant, omnibus horis Canonicis nocturnis, & diurnis, & diebus feſtis, Proceſſionibus, Miſſæ majori & Veſperis diligenter interſint. In negligentes Decanus, aut Prodecanus loco Capituli pro ratione exceſſus, vel privatione diſtributionum vel alia pœna, arbitratu ſuo, animadvertat.

XII. Ut peculiaribus patronis noſtris S. Stephano Prothomartyri, & beatis Confeſſoribus & Epiſcopis Valentino & Maximiliano, quorum amborum Sancta corpora in Eccleſia noſtra quieſcunt, ſingularis quoque honor exhibeatur, eorum memoria crebriùs & devotiùs frequentetur, nósque ipſorum & interceſſionibus ampliùs adjuvemur, & meritis arctiùs conſociemur; jam pridem à Rev^{mo} Epiſcopo & Capitulo hujus Eccleſiæ ſtatutum eſt, ut ſingulis ſeptimanis ſemel Officium novem lectionum per univerſam Diœceſim ab omnibus, qui ad horas Canonicas recitandas adſtringuntur, aliqua die nullo Feſto duplici, vel ſemi duplici, aut his ſimilibus impedita, de S. Stephano legatur. Deinde ut ſingulis feriis tertiis, ſi feſtum alicujus Sancti aut celebrandæ exequiæ impedimentum non attulerint, loco primæ Miſſæ, in Altari S. Valentini ſolenne Officium præſentibus Scholaribus cantetur, ad quod majori campana, ne ulli excuſationi locus relinquatur, ſignum detur. Cui officio Præpoſitus, Decanus, Canonici, & Vicarii omnes ſub pœna amiſſionis diſtributionis vini illius diei intereſſe debebunt, niſi graves abſentiæ ſuæ rationes à Decano & Capitulo comprobandas afferre poſſint. Quas quidem pias, ſalutares & rationabiles conſtitutiones renovamus & in poſterum quoque obſervari volumus.

XIII. Ut aucto numero perſonarum Deo ſervientium Divinus quoque cultus augeatur, & majora incrementa ſuſcipiat, nemo Clericorum presbyterorum, ſeu ſacellanorum beneficium aliquod Eccleſiaſticum in Eccleſia Cathedrali aut illius ambitu, & adhærentibus ſacellis obtinens, ad cujuscunque illud ſive Collegii, ſive alterius præſentationem, collationem, ſeu Diſpoſitionem pertineat, alterum in eisdem locis impetrare, recipere, aut habere præſumat; quòd ſi aliud recipiat, & prius intra quatuor menſes non dimittat, hoc ipſo jure vacare cenſeatur, ac tanquam vacans liberè à Capitulo vel quovis alio, ad quem præſentatio aut collatio prioris beneficii ſpectat, aliis idoneis, qui vel ſacerdotes ſint, vel intra annum fieri poſſint, conferatur, niſi Capitulo propter tenuitatem redituum aliter diſponere viſum fuerit; non obſtantibus excuſationibus, conventionibus aut contradictionibus quibuscunque.

XIV. Nulli quoque Sacellanorum in præfatis locis beneficium Eccleſiaſticum obtinentium ab Eccleſia ultra tempus à Jure conceſſum & alio in locum ſuum ſurrogato, ſine expreſſo Decani & Capituli conſenſu abeſſe liceat.

Quan-

Quandocunque autem eos (cauſa priùs per Decanum, & Capitulum cognita, & probata) abeſſe contigerit, Vicarium idoneum ab iisdem approbandum, cum debita mercedis aſſignatione relinquat, qui Capitulo ſiſtatur & promittat ſe eousque dum ſubſtituens redierit, ſtatuta & laudabiles Eccleſiæ conſuetudines (quæcunque ad ipſum ſpectaverint) diligenter obſervaturum. Ipſa illa abſentiæ conceſſio tamen, metas à Provinciali Synodo præſcriptas (niſi ob evidentem Eccleſiæ neceſſitatem & utilitatem) non facilè excedat.

XV. Nemini Canonicorum, Vicariorum, Sacellanorum choralium, aut quorumvis Clericorum, qui Divinis obeundis miniſteriis mancipati ſunt, chorum Eccleſiæ Cathedralis, cùm Divina Officia aut etiam Vigiliæ & exequiæ Defunctorum celebrantur, vel horæ recitantur Canonicæ, ingredi, aut per eum tranſire, & in eo ſacrum audiendo manere, ſine candida veſte, ſeu ſuperpelliceo liceat. Nemo quoque in Eccleſia Dei irreverenter verſari, deambulare, nugari, circulos habere, negotiis operam dare, aut Divina Officia perturbare audeat, neque in eam canes venaticos introducere, volucres vel arma inferre præſumat; qui in horum aliquo deliquerit, diſtributionibus ejuſdem diei careat, aut etiam graviori pœna, ſi Canonicus ſit, à Decano & Capitulo ſimul; ſin ex reliquis Clericis & Eccleſiæ Miniſtris, à Decano ſuo & Capituli nomine pro delicti qualitate mulctetur, maximè, ſi ſemel admonitus non deſtiterit.

XVI. Vigiliæ mortuorum per Scholares non curſim, & feſtinanter, ſed tractim & devotè cantentur, quibus Vicarii, cryptarii & alii ſacellani ſemper interſint. Tres lectiones primi nocturni à Sacellanis, ſecundi ab obligariis, tertii à Vicariis Eccleſiæ legantur, & ita diſtribuantur, ut à quovis ſacerdote una ſaltem lectio legatur. Verſus verò reſponſoriorum alternatim per Diverſos cantentur.

XVII. Nulli Canonicorum liceat Anniverſarinm ſacrum, cui annexa ſit Hiſtoria, ſeu Officium de aliquo ſancto, ſine ſcitu & conſenſu Capituli inſtituere, ſeu fundare. Et ſi permittatur, ità fundationibus ſuis per Legata proſpiciant, ut piæ ipſorum voluntati impoſterum commodè & ſine conſcientiarum onere ſatisfieri queat.

TITULUS II.

De munere & dignitate D. Præpoſiti.

Cùm Præpoſito Eccleſiæ, & Collegii Patavienſis, qui proximum poſt Epiſcopum locum habet, & cæteris Canonicis quò ad dignitatis gradum præfertur (unde & debita illi, ſicut & Decano, à Reliquis Canonicis & univerſo Clero reverentia exhibenda eſt) ex Officio & præſtito Juramento incumbat, ut jura, ſtatuta, Privilegia & bona Eccleſiæ, & Collegii, pro virili tuearur & defendat; ſtrenuam operam dabit, ut muneri ſuo ſecundùm conſtitutiones Synodi Provincialis, ſedulò ſatisfaciat.

I. Nullam tamen ſibi & ſucceſſoribus ſuis rerum temporalium ad Capitulum pertinentium adminiſtrationem ſigillatim vendicabit, ſed quidquid de rebus & bonis Collegii à Capitulo & ipſo ſtatutum & ordinatum fuerit, firmum ratúmque habeatur.

II. Idem Præpoſitus equum in communem negotiorum Capituli uſum continuò alat.

III. Juramentum à Præpoſito Capitulo præſtandum, Infrà titulo de juramentis continetur.

IV. Proviſus de præpoſitura orthodoxæ ſuæ fidei juxta formulam à Pio Quarto, ex Decreto Concilii Tridentini præſcriptam publicam faciat in Capitulo profeſſionem & in Romanæ Eccleſiæ obedientia permanſurum ſpondeat ac juret.

TITULUS III.

De munere & dignitate D. Decani.

I.

DEcani, penes quem altera à Præpoſitura Dignitas reſidet, Officium eſt, pervigili ſtudio curare, ut Clerici ipſius curæ commiſſi, munus Eccleſiaſticum diligenter obeant; vitam Chriſti militibus dignam agant; à negotiis ſtatui ſpirituali haud convenientibus abſtineant; quæcunque ad Chriſti diſciplinam pertinent, ſedulò obſervent. Præterea ipſius eſt delinquentes Jurisdictioni ſuæ ſubjectos emendare, & increpare; exceſſus eorum, quoties opus fuerit, ſecundùm conſtitutiones caſtigare; inobedientiam, petulantiam, & contumaciam coercere, & per omnia oculos habere intentos, ut ſtatuta à Clericis, quantum ad unumquemque in munere ſuo ſpectabunt, quàm accuratiſſimè cuſtodiantur. Quare ne eo abſente, magno cum dedecore & detrimento Collegii divina Officia negligantur, diſciplina Eccleſiaſtica enervetur, vitæ & morum honeſtas periclitetur, & pravis quibusque, quidquid libet, liceat, ad perſonalem & continuam reſidentiam teneatur, eâ tamen adhibita moderatione, ut ſi ultra dies decem in propriis negotiis abeſſe velit, ſufficiat diſceſſum ſuum Capitulari Seniori inſinuare; ſin verò diutiùs ab Eccleſia abfuturus ſit; diſcedendi facultatem à Capitulo habeat. In utroque autem caſu, Seniori reſidenti tanquam pro-Decano; aut ſi is juſtas ſe excuſandi rationes afferat, proximè ſequenti vices ſuas committet; quem ante abitum de negotiis interea tractandis in Capitulo, quoad fieri poteſt, diligenter informabit. Huic Prodecano emolumenta, ſi quæ interea temporis obvenerint, pro laboribus cedent.

II. Eadem de cauſa Decanus non tantùm perſonaliter, ùt dictum eſt, reſidebit, ſed ſingulis Officiis Divinis quotidie intererit, præcipuè Feſtis duplicibus & ſemi duplicibus, niſi vel adverſa valetudine, vel Eccleſiæ noſtræ negotiis, vel alia ex cauſa rationabili, de quibus tamen Capitulo conſtet, impediatur.

III. Invigilabit quoque ſtrenuè, ut ea omnia, quæ de horis Canonicis debito tempore & modo perſolvendis & in univerſim de cultu Divino piè devotéque proſequendo, ſupra commemorata, præſcripta & ordinata ſunt, à Canonicis, Vicariis aliiſque Clericis, & Chori Miniſtris pro ſtatu & Conditione cujusque diligenter obſerventur. Negligentes, & vocationis ſuæ immemores diſtributionum, & cum conſenſu Capituli, proventuum ſubtractione mulctando, quin & per cenſuras quoque Eccleſiaſticas inobedientes & rebelles ad obſequium & Officii præſtationem compellendo.

IV. Idem providebit, ut Sacellani beneficia in Eccleſia Cathedrali & ejus ambitu habentes, Sacra ſuo ordine, & loco diſtinctis horis faciant, qui ſuis deſertis altaribus, quæſtûs gratia aliò excurrerint, à Decano ſuo & Capituli nomine puniantur.

V. Et cùm ex antiquiſſima & immemorabili conſuetudine aliquot Synodorum Diœceſanarum Sanctionibus firmata, cognitio cauſarum matrimonialium ad Decanum ſpectet, is, ſi Doctor Theologiæ aut Canônum non ſit, ut rite munere ſuo fungatur, Jurisperitum aliquem Conſiſtorii Aſſeſſorem ſuis ſumptibus conducere & alere teneatur.

VI. Decanatu vacante à Præpoſito, Seniore & Canonicis præſentibus Collegii Patavienſis ad electionem faciendam abſentes omnes, quibus jus ſuffragiorum competit (competit autem ſolis Capitularibus) ad certum diem literis vel ſcheda publica affixa evocentur, niſi quis in remotiſſimis locis agat, aut locus ſuæ reſidentiæ ſpatium trium, vel quatuor dierum diſtiterit. Unde non ſine magno temporis interſtitio & conſequenter gravi Eccleſiæ incommodo vocari & expectari poſſit. Quòd ſi qui Capitularium vocati non compareant, nihilominus ad celebrandam electionem per alios præſentes hoc modo procedatur. Poſtquam ad diem præſcriptum, Sacro priùs facto in

loco

loco Capitulari omnes convenerint, idoneos aliquot homines ſive ex ſuo corpore aut gremio, ſive alios eligant, qui ſuffragia ſingulorum ſecretò, & ſigillatim ita exquirant, ut eligentium nomina nunquam publicentur. Præmiſſo tamen à ſingulis Electoribus Juramento (cujus forma infrà ſub titulo de Juramentis deſcribitur) ſe omni ſymoniaca pravitate, perſonarum reſpectu & potentiorum precibus remotis, electuros eum, quem maximè idoneum conſcientia dictaverit. Facto & publicato ſcrutinio, in quem major & ſanior pars Collegii per ſententias & vota ſua conſenſerit, ab omnibus pro Decano legitimè electo habeatur. & agnoſcatur. Si quis aliter, quàm ut præfertur, à majori parte electus, ſe ipſum quocunque colore & prætextu, aut per quoscunque ambitiosè intrudere conetur, non modò dignitate, quam nunquam eſt adeptus, careat, ſed à fructibus beneficii ſit ſuſpenſus & à Capitulo eo ipſo excluſus, ac impoſterum ad illam dignitatem inhabilis & ineligibilis; & reliqui omnes ad frangendos ejus conatus conjunctis viribus contra ipſum inſurgant. Eidem pœnæ quoad ſuſpenſionem à beneficio, & excluſionem à Capitulo, omnes illi adhærentes ſubjaceant.

VII. Nemo autem eligatur, niſi vel Presbyter ſit, aut tali ætate ut infra ſpatium ſex menſium fieri queat. Quòd ſi intra tempus iſtud ſacro Presbyterii ordine non initietur, electio irrita ſit, & nulla; nec illi poſſeſſio quidquam ſuffragetur.

VIII. Proviſus de Decanatu orthodoxæ ſuæ fidei, juxta formulam à Pio quarto ex Decreto Concilii Tridentini præſcriptam, publicam faciat in Capitulo Profeſſionem, & in Romanæ Eccleſiæ obedientia ſe permanſurum ſpondeat, ac juret.

Juramentum Decani ſub Rubrica de Juramentis comprehenditur.

TITULUS IV.

Quid ab iis, qui in Canonicos aſſumuntur, & deinceps in Capitulum admittuntur, præſtandum ſit.

Quanquam Corpus Collegii Eccleſiæ Patavienſis ex Nobilibus, & Doctoribus Theologiæ, utriusque juris vel ſaltem Canonum, tanquam membris ſuis, conſtet: neque hi, neque illi tamen paſſim admittentur, niſi requiſitas habeant qualitates, & ſe per omnia ſequentibus ſtatutis conforment.

I. Nemo ſive Nobilis, ſive Doctor in Canonicum aſſumatur, niſi ſe ſuósque parentes ex legitimo matrimonio natos eſſe clariſſimis teſtimoniis doceat.

II. Nobiles præterea probabunt nobilitatem ſtirpis ſuæ, ſe nimirum ex familia nobili, & equeſtri ſeu militari (vulgò Rittermäſsig) genus trahere, productis duobus teſtibus viris itidem Nobilibus, qui interpoſito juramento, cujus forma ſub ſua Rubrica infrà habetur, affirmabunt, ſe compertum habere neque aliter ſcire, aſſumendum in Canonicum non modò patre & matre, ſed etiam Avo & Avia paternis & maternis nobilibus non factis, ſed natis, quorum omnium nomina & cognomina ſigillatim expriment, procreatum eſſe.

III. Præterea Nobiles, qui aſſumendis Canonicis teſtimonium perhibebunt, debent ſimiliter de quatuor avis, tam paternis quàm maternis ex equeſtri ordine originem ducere, quorum nomina etiam ipſi ſigillatim expriment.

Antequam verò ea de re Venerabile Capitulum aſſumendus in Canonicum accedat, debet probationem prædicto modo faciendo D^no^ Decano, ſeu eo abſente Pro-Decano exhibere, qui eandem probationem proximo die Capitulari immediatè ſequenti Dominis Capitularibus diſcutiendam proponet. Simili modo antequam duo illi teſtes nobiles ad Juramentum probationis admittantur, Genealogiam ſuæ nobilitatis, tam de Parentibus, quàm de Avis & de Aviis Capitulo in ſcriptis offerre debent. Viciſſim à Capitulo illis forma Juramenti tempeſtivè tradatur.

IV. Doctores autem Theologiæ, Juris utriusque aut Canonum, ſcriptum teſtimonium ante proviſionem Canonicatus exhibebunt Profeſſorum ejus, in qua promoti ſunt, Facultatis, ſe per quinquennium in ſtudio Theologiæ, Juris vel Canonum in publica Academia, una vel pluribus, incorruptis tamen & approbatis verſatos, & debito examine prævio Doctores creatos eſſe.

V. Prolatis teſtimoniis Nobilitatis aut Doctoratus & fide de alterutro horum facta recipiendus in Canonicum orthodoxæ ſuæ fidei publicam faciat profeſſionem & in Romanæ Eccleſiæ obedientia ſe permanſurum ſpondeat ac juret.

VI. Deinceps præſtabit ſolitum fidelitatis & obedientiæ Juramentum, infrà ſuo loco poſitum.

VII. Nullus impoſterum Ultramontanus, nec alterius nationis, ſed ſolùm Germani, usque Coloniam Aggrippinam & Tridentinam Diœceſim incluſivè in Canonicum hujus cathedralis Eccleſiæ Paſſavienſis recipiatur.

VIII. Nemo quoque civis Paſſavienſis, aut in urbe Patavia ejúsque ſuburbibus, ex civibus & incolis ignobilibus natus, cujuscunque eminentiæ, gradus & ſtatus ſit, in Canonicorum Collegium recipiatur.

IX. Etſi verò Concilium Tridentinum ſtatuerit, ut in omnibus cathedralibus Eccleſiis, omnes Canonicatus aut portiones habeant annexum ordinem Presbyterii, Diaconatus, vel Subdiaconatus; & nemo ex præſcripto ejusdem Concilii ante vigeſimum ſecundum annum ad Subdiaconatus ordinem promoveri, & per conſequens ad Canonicatum admitti poſſit, ſtatuta tamen provincialia à ſede Apoſtolica confirmata in gratiam Germanicæ nobilitatis concedunt, ut Domicelli Clerici majores quatuordecim annis & in ceteris idonei aſſumi poſſint.

X. Ne Eccleſia noſtra, ob proventuum fabricæ & Sacriſtiæ tenuitatem paramentis pluvialibus, caſulis, aliísque ejus generis veſtimentis, inſtrumentis, & Ornamentis Eccleſiaſticis, ad altaris miniſterium & ſacra officia neceſſariis non ſine fidelium ſcandalo & divini cultus detrimento & contemptu deſtituatur, ab Anteceſſoribus noſtris cum conſenſu R^{mi} Epiſcopi ſancitum, & laudabili, eâque vetuſtiſſimâ conſuetudine hactenus obſervatum eſt, ut quilibet Canonicus, priusquam ad fructuum perceptionem admitteretur, quadraginta libras nigræ, ùt appellant, monetæ, numeraret: cui ſtatuto, & conſuetudini etiam impoſterum inhærendum volumus, ita tamen, ut omnis iſta pecunia in prædictorum inſtrumentorum & ornamentorum refectionem & reparationem aut novorum emptionem, aliósque ejusmodi pios uſus tantùm convertatur, & omnino caveatur, ne qua ſuſpicio ſymoniacæ labis, aut ſordidæ avaritiæ contra inhibitionem Tridentini Concilii meritò ſuboriatur.

XI. Quilibet in Canonicum receptus, ſtatuta quæ vocant minora 5. flor. & 2. ſolidos, & Decano in recognitionem Superioritatis, & ob labores annulum aureum, ſive florenos decem ſolvat. Medium ejus quod pro inveſtitura beneficiorum, ad collationem Capituli pertinentium penditur, eidem Capitulo, reſiduum Decano cadat.

X. Pari ratione ab iisdem ſuperioribus temporibus ſtatutum eſt, ut ſingulis annis circa feſtum S. Nicolai à ſingulis Canonicis per vices inchoando à D^{no} Præpoſito, & annuatim per ſequentes ad ultimum usque progrediendo 60. libræ monetæ Patavienſis, partim ad ſuſtentationem Cuſtodis Sacriſtiæ, & aliorum Eccleſiæ miniſtrorum, partim verò in ſubſidium pauperis ſtudioſi numerentur. Quæ conſtitutio à majoribus ad nos derivata, ut ad poſteros quoque transmittatur, decernimus, ut quilibet Canonicus in ipſa admiſſione ad Canonicatum fidejuſſoria cautione per procuratores ſuos aut alios Canonicos vel Presbyteros, aut etiam cives Patavienſes, quos Capitulum acceptandos duxerit, de ſolutione dictorum ſexaginta florenorum, quocunque anno debuerit, ſufficienter caveat.

XIII. Ut indemnitati Collegii per omnia conſulatur, quilibet ad Canonicatum & Præbendam admiſſus, quomodocúnque illa impetraverit, Capitulo ſcriptam in forma conſueta cautionem det ſe Jura Canonicatus & Præbendæ,

contra

contra quoſcunque impetitores & litigatores, propriis ſumptibus & impenſis ſine ullo Capituli damno defenſurum.

XIV. Ad Capitulum, actus Capitulares, atque fructuum perceptionem nullus Canonicorum, cujuscunque conditionis, ſtatus & ætatis, ante triennium integrum exactum, à die acquiſitæ ab ipſo poſſeſſionis numerandum, & Subdiaconatus ordinem aſſumptum admittatur. Quo tempore completo, ſi in Capitulum recipi velit, & per ætatem viginti quatuor annorum completorum admitti poſſit, juramentum, quod Capitulare vocant, præſtet, & ſic adhibitis ceremoniis conſuetis aſſumatur: iisdem cum reliquis Capitularibus privilegiis, & fructibus gaudeat.

XV. Si qui Canonicatus, Præbendas, & quævis beneficia, quorum proviſio, & plena diſpoſitio ad Capitulum Eccleſiæ noſtræ pertinet, quocunque prætextu impetrant & invadant, iis non tantùm à Prælatis, ſed ab omnibus Collegii membris unanimi conſilio, & auxilio reſiſtatur.

XVI. Gratias expectativas, quas interdum anteceſſores noſtri nullo etiam vacante beneficio quibusdam ad futura concedebant, qui propterea *expectantes* appellabantur, ùt quæ occaſiones deſiderandæ mortis alienæ plurimarúmque contentionum, litium & perturbationum præbuerant, abrogamus prorſus & abolemus, eásque poſthac nemini ampliùs, quocunque quæſito colore, concedendas eſſe, ſtatuimus.

TITULUS V.

De Domicellis, & eorum ſtudiis ac inſtitutione.

I.

MInorennes quanquam ex ſpeciali ſedis Apoſtolicæ indulto poſt exactum decimum quartum ætatis annum, ſi idonei ſint, in Canonicos aſſumi poſſint, ad annalem tamen Canonicatus Præbendam, antequam Capitulares extiterint, non admittantur.

II. Sed ne interim otio torpeſcant & tempus inutiliter terant, volumus eos pro ætatis & ingenii captu ad ſcholas, vel Univerſitates Catholicas mitti, ut ibidem, ubi in humanioribus literis & Philoſophiæ ſtudiis non nihil fuerint progreſſi, Theologiæ, vel ſacris Canonibus, & Legibus ſtudeant.

III. Ad ejusmodi ſtudia proſequenda & continuanda poſt Triennii à die adeptæ poſſeſſionis carentiam, ſubſidium 50. florenorum cuivis iſtorum in ſingulos annos decernimus.

IV. Verùm ut Capitulo de ipſorum in literis profectu, converſatione, moribus & exercitiis conſtare ſemper queat; ſingulis annis, dum in Gymnaſiis publicis verſantur, teſtimonium Doctorum ſuorum ad Capitulum mittent: neque Academias, in quibus bonis artibus operam navant, ſine conſenſu & præſcitu Collegii pro ſuo libitu facilè deſerent, aut mutabunt.

V. Quòd ſi compertum fuerit, eos potationibus, diſcurſionibus nocturnis, aut aliis illicitis & inconceſſis magis quàm neceſſariis & utilibus ſtudiis vacare, aut alibi, quàm in ſcholis & univerſitatibus verſari, à Decano & Capitulo vel ſubſidii decreti ſubtractione, vel alia quavis ratione juxta culpæ modum puniantur & ad officium faciendum revocentur. Non enim committendum eſt, ut cultui Divino dedicata ſtipendia in hujusmodi diſcolos erogentur.

VI. Iidem etiam, dum ad ſtudia dimittuntur, ſi majoribus ordinibus initiati non ſint, Capitulo ſufficientem cautionem præſtent, ſeſe in ſtatu clericali permanſuros. Quòd ſi mutato propoſito ab ordine Eccleſiaſtico reſilierint, & ad matrimonia ſeu negotia ſecularia ſe transtulerint, ad reſtitutionem omnium fructuum, & ſumptuum Eccleſiaſticorum, quos interea perceperint, teneantur & compellantur.

Ordinamus inſuper & ſtatuimus, ut Juvenes Canonici Domicelli nuncupati, licèt in ſacris ordinibus non fuerint conſtituti, non ſolùm in Eccleſia, ſed etiam extra, domi & foris habitu clericali omnino utantur, horas Ca-

nonicas quotidie recitent, vitam ſtudioſis & Canonicis dignam agant, & ita ſe gerant, ut ii, quibuscum verſantur, intelligant eos ſe totos divinis miniſteriis & ſervitiis devoviſſe: ſi quis ſuæ conditionis immemor contrafecerit, à Decano Capituli nomine caſtigetur.

TITULUS VI.

De Reſidentia, perceptione fructuum, & diſtributionibus quotidianis.

I.

Cùm Concilium Tridentinum ſtatuat, ut illi tantùm Canonici, qui ſacris horis interfuerint, diſtributiones quotidianas recipiant, reliqui verò quavis colluſione aut remiſſione excluſa his careant, juxta Decretum Bonifacii Octavi, quod ſancta ſynodus in uſum revocavit, non obſtantibus ſtatutis & conſuetudinibus quibuscunque; Nos decretum illud ab omnibus etiam Prælatis noſtris, Præpoſito & Decano, inviolatè obſervari volumus. Id autem de verbo ad verbum ſic ſonat.

Conſuetudinem, quæ in quibusdam partibus inolevit, qua Canonici & alii Beneficiati, ſeu Clerici Cathedralium, & aliarum Collegiatarum Eccleſiarum diſtributiones quotidianas (quæ aliàs manualia beneficia, ſeu victualia nuncupantur, & tantùm reſidentibus tribuuntur) qualitercunque in civitatibus, ſeu aliis locis, in quibus ipſæ conſiſtunt Eccleſiæ, ſint præſentes, licèt divinis Officiis non interſint, ex integro percipiunt, ac ſi continuè ipſis Eccleſiis in eisdem officiis deſervirent, penitus improbantes: ſtatuimus, ut diſtributiones ipſæ quotidianæ in quibuscunque rebus conſiſtant, Canonicis ac aliis Beneficiatis & Clericis Eccleſiarum ipſarum, qui eisdem officiis in ipſis Eccleſiis adfuerint, tribuantur, juxta Eccleſiæ cujuslibet ordinationem rationabilem jam factam, ſeu etiam faciendam. Qui verò aliter de diſtributionibus ipſis quicquam receperit (exceptis illis, quos infirmitas, ſeu juſta & rationabilis neceſſitas corporis, aut ejusdem Eccleſiæ utilitas excuſaret) rerum ſic receptarum dominium non acquirat, nec faciat ipſas ſuas; imò ad omnium reſtitutionem, quæ contra hujusmodi noſtram conſtitutionem receperit, teneatur, de diſtributionibus etiam pro defunctorum anniverſariis largiendis idem decernimus obſervandum.

II. Quodſi oblayarius abſenti cuipiam diſtributiones contra decretum prædictum perſolverit, tantum de ſuo inter præſentes diſtribuendum aut in alios pios uſus convertendum reſtituere teneatur.

III. Porrò is pro abſente habeatur, illiúsque horæ diſtributione careat, qui ad Matutinas & Vigilias Defunctorum ante Pſalmum *Venite exultemus*, finitum, in aliis horis ante initium epiſtolæ, non venerit & ante finem absque rationabili cauſa diſceſſerit.

IV. Si fortè Canonici Eccleſiæ noſtræ durantibus expectantiæ annis, officia divina ſuperpelliceis induti viſitaverint, iis, qui in majoribus Ordinibus ſunt conſtituti in ſuperioribus ſedibus; ſin domicelli, in inferioribus locus detur, & loco diſtributionum duo crucigeri domicellis numerentur.

V. Canonicis aliarum cathedralium Eccleſiarum, hac tranſeuntibus, aut aliquantiſper hic manentibus ſi ad Eccleſiam noſtram, dum ſacra fiunt, aut Canonicæ horæ cantantur, venerint, honoris & benevolentiæ cauſa, locus in Choro ſuper alios Decano proximus, pro qualitate & dignitate perſonæ ab ipſo Decano aſſignetur, qui quidem locus in hunc uſum (uti & alter ex adverſo à latere Præpoſiti) vacuus ſemper maneat, niſi major reſidentium numerus aliud poſtulet, diſtributiones quoque illis pro rata eadem, quæ Canonicis Eccleſiæ noſtræ, ab oblayario dentur. Id tamen de iis qni hìc certam ſibi ſedem figunt aut diutiùs commorantur, intelligendum non eſt.

VI. Quod ad reliquorum proventuum maximè frumenti diſtributionem pertinet, hactenus obſervata forma retineatur, nimirum ut cuivis Canonico, qui primis & ſecundis veſperis, & Miſſæ ſolenni in Feſto Inventionis S. Ste-

phani

phani interfuerit, ſingulis ſeptimanis, quamdiu actu reſederit, cedat unus modius ſiliginis, quem ſeytarium appellant, vulgò ein Sechſtling Korn: ſi verò per mediam ſaltem hebdomadam præſens fuerit, medium quoque ſextarium tantùm accipiat, ſeptimanæ initio ſumptæ à die adventus. Si qui verò in Feſto Inventionis S. Stephani abſentes fuerint, niſi vel R^mi vel Capituli cauſa abeſſe cognoſcuntur (quos pro præſentibus haberi volumus) ii diſtributione ſiliginis careant, usque ad Feſtum Nativitatis Chriſti excluſivè. Poſtea verò ſi perſonaliter reſederit, ad æquales portiones reſidentis hebdomadatim, ùt præmittitur, diſtribuendas admittatur.

VII. In diſtributione vini eadem erit planè abſentiæ ratio, pro rata temporis, quæ ſiliginis

VIII. In diſtribuenda avena idem propemodum modus mutatis ſaltem Feſtis diebus ſervetur, videlicet, ut cuilibet Canonico, qui primis & ſecundis veſperis, & Miſſæ majori in feſto S. Martini interfuerit, ſingulis ſeptimanis, quamdiu actu reſederit, cedant ſeptem metretæ menſuræ oppidi Landavienſis, quos vulgò Landauer Mezen vocant: dimidium verò ejus, qui per mediam ſaltem ſeptimanam affuerit, tribuatur. Si qui autem in Feſto S. Martini, non impediti negotiis Epiſcopi vel Capituli, quos præſentium loco habere fas eſt, abſuerint, avena usque ad Feſtum Purificationis Deiparæ Virginis Mariæ incluſivè careant, quo lapſo, ſi præſentes ſint, ad diſtributionem avenæ, eodem modo, ut paulo antè de ſiligine ſtatutum eſt, admittantur. Extra tamen feſtos dies Inventionis S. Stephani & S. Martini, Canonicis exigente neceſſitate rerum ſuarum aut amicorum, aut etiam alia ex cauſa æqua & rationabili cum conſenſu Capituli decem ſeptimanis ſingulis annis abeſſe liceat, Anni initio & fine, à feſto S. Martini ductis, ſalva ſemper pœna abſentium in feſtis Inventionis S. Stephani & Martini infligenda. Nolumus autem D. Præpoſitum, Decanum, & cæteros Officiales Capituli ratione officiorum ſuorum duntaxat ad onus præſentis ſtatuti obligari, ſed quoad fructus præbendæ decernimus eos eidem planè ſubjectos, & aſtrictos eſſe.

IX. Ne inter fratres relinquatur ſeminarium diſcordiarum, quæ hactenus propter quasdam obventiones, quas vulgò nominant Stüfftgeld, Mitgeld, und Leihkauff, ſæpius excitatæ ſunt, ordinamus, ut hæc omnia in communes proventus & fructus à Cellario noſtro redigantur, & indè cuivis Canonico Capitulari, reſidenti & præſenti, duo dentur floreni Renenſes, unus in feſto S. Bartholomæi Apoſtoli, alter in feſto S. Michaelis Archangeli, ea tamen lege, ut quoties quis Canonicorum uno iſtorum feſtorum divinis officiis non interfuerit, etiamſi in civitate reſideat, uno; ſi utroque, duobus florenis careat, qui ſummæ communium redituum applicati maneant.

XI. Canonici præbendas obtinentes, qui in feſto S. Andreæ Apoſtoli, & Dominica in quinquageſima primis & ſecundis veſperis, & Miſſæ majori interfuerint, participes emolumentorum, quæ præſentes ex antiqua conſuetudine, iſtis diebus percipere ſolent: Abſentes verò, etſi die feſto veniunt, illis careant, niſi ex animo, & intentione reſidendi venerint, tum enim eos diebus feſtis veniſſe ſufficiat.

XII. Lucra autem piſcinarum, vel piſces ipſi ſabbatho ante Dominicam Palmarum, aut alia quavis die, quæ Capitulo placuerit, inter ſolos præſentes deſtribuantur. Quicunque etiam Canonicorum in ſervitiis, obſequiisque & negotiis R^mi Epiſcopi vel Capituli fuerint, ſive in Diœceſi, ſive extra eam verſentur, præbendarum ſuarum fructus integrè percipiant, cùm abſentes dici non debeant, ſed præſentes, qui cum Epiſcopo in ſuo ſervitio, & Eccleſiæ commorantur; exceptis diſtributionibus quotidianis, quæ non conſueverunt abſentibus exhiberi.

XIII. Si qui autem ex Canonicis præſtiti Juramenti, quod abſit, immemores, ultra ea quæ jam præſcripta, & conceſſa ſunt, vel diſpenſationis Apoſtolicæ prætextu, vel Regum & Principum favore, aut alia quavis arte conentur obtinere, ut abſentes fructus præbendarum ſuarum percipere poſſint, iis tanquam ſtatutorum transgreſſoribus deſolationem Eccleſiæ noſtræ molientibus,

lientibus, communi omnium voce, & ope reſiſtatur, quin & hoc ipſo præbenda ſua careant, qui eousque Collegii uſibus applicetur, donec ſe errore agnito, ſtatutis Eccleſiæ conformaverint, & reſtitutionem per Capitulum meruerint.

TITULUS VII.

De Congregationibus Capitularibus, quomodo, quando, & in quibus indicendæ, & quid in iis obſervandum.

I.

Autoritas, ſive poteſtas convocandi Capitulum penes Decanum, aut (eo abſente, vel Decanatu vacante) Pro-Decanum eſt, qui id quoties opus videbitur, tempeſtivè indicere curabit, ut Capitulares vocati borâ præſcripta commodè adeſſe queant.

II. Et cùm eidem ex impoſito munere incumbat & quæ tractanda, & in deliberationem vocanda ſunt, aptè & explicatè ad Capitulum referre, eò citiùs aderit, ut reliquis adventantibus, quos ad quartam horæ partem expectabit, omnia quæ proponenda ſunt in promptu habeat.

III. Capitulares omnes, quotiescunque à Decano vel Pro-Decano ad Capituli congregationem vocabuntur, præfinito tempore præſto eſſe teneantur, exceptis iis, quos manifeſta corporis infirmitas, aut evidens neceſſitas vel alia rationabilis, & legitima cauſa excuſat, de quibus tamen certam Decano vel Capitulo fidem faciant. Quòd ſi qui media hora tardiùs, quàm ſtatutum fuerat, veniant, diſtributionem ejus diei amittant, nec iis quæ per reliquos interim concluſa ſunt, ampliùs contradicere poſſint. Sin autem prorſus non compareant, mulcta irroganda duplicetur.

IV. Eandem pœnam ſubibit, qui ſuo arbitratu è Capitulo non obtenta priùs à Decano abeundi licentia diſceſſerit.

V. Si Decanus, & Pro-Decanus in puniendis negligentibus ipſi negligentes fuerint, eisdem pœnis quibus alii ſubjicientur.

VI. Poterit Decanus vel Pro-Decanus Capitulum, propoſita majori pœnâ, ſed quæ ſcapham ſiliginis non excedat, indicere, quam tamen à Canonicis niſi approbante & ratificante, & ſi juſtum videatur, moderante Capitulo non exiget.

VII. Si Capitulum ante meridiem habeatur, nemo ſine ſuperpelliceo ingrediatur, qui ſecùs fecerit, diſtributionem ejus diei ne capiat.

VIII. Ne confuſio in ferendis ſuffragiis inter Collegas oriatur, Decani munus eſt negotia tractanda proponere, ſingulorum vota colligere; hunc ordinem in ſententiis rogandis ſervabit. Primùm rogabit D. Præpoſitum; poſt quem ipſe quoque ſuam ſententiam dicet; deinde ſeniores non ætate ſed poſſeſſione, donec ad ultimum usque nemine excluſo, perveniatur. Par enim eſt, ut quod communiter ad omnes pertinet, omnium judicio & calculo diſcutiatur & comprobetur. In ſententiis dicendis hæc diligenter ſerventur.

IX. Quisquis quod ſibi de re conſultanda viſum fuerit, & conſcientia dictaverit, apertè, modeſtè, graviter, ac placidè proponat, nihil aliud quàm DEum, utilitatem Collegii, & Jusjurandum quo Eccleſiæ obſtrictus eſt, præ oculis habendo.

X. Nemo alterius ſermonem interrumpat, aut quovis modo perturbet, neque poſterior priùs dicere incipiat, quàm prior loquendi finem fecerit.

XI. A ſuffragatoribus abſint ira, odium, invidia, philautia & ſimiles affectus, quæ mentis aciem & judicium ita obſcurant, ut nec verum, nec utile, nec decorem cernere poſſit.

XII. Faceſſant quoque factiones, ſtrepitus, contentiones, rixæ, jurgia, contumeliæ, verborum mordacitas, ſingularitatis ſtudium, & id generis alia, quæ maximorum ſæpe diſſidiorum & malorum cauſa eſſe ſolent.

XIII. Si cui ſententia aliorum non probetur, ſuam ipſe diſcretè ſine acerbitate tamen, aut nota vel ſugillatione præcedentium exponat.

XIV. Si

XIV. Si quis cujuscunque generis arma in locum capitularem tulerit, aut ibidem vel alibi inſolenter ſe contra Decanum, vel Capitulum erexerit; vel etiam in quemvis ex fratribus petulantiùs, procaciùs & immoderatiùs debachatus fuerit, Jure ſuffragii omnino privetur, nec reſtituatur, niſi priùs Capitulo ſatisfecerit.

XV. Quidquid major Collegii pars concluſerit, definierit, ſtatuerit, id firmum, ratúmque habeatur contradictione minoris partis neutiquam obſtante.

XVI. Cùm nihil in humana vita tutum eſſe queat, ſi tollatur ſecretorum fides, ſtatutum eſt, ne cui liceat, ea quæ in Capitulo tractantur, foras efferre, detegere, aut qnovis modo revelare, niſi forſan talia ſint, quæ publicari, aut nihil referat, aut quandocunque proſit. Quòd ſi quis evulgati ſecreti convictus fuerit, ultra perjurii notam (quam incurret) à Capitulo eo ipſo excluſus cenſeatur, nec ante reſtituatur, quàm Capitulo obtenta priùs abſolutione à perjurio, & congrua ſatisfactione exhibita commodum videatur.

XVII. Si quid nomine Collegii ad Epiſcopum ſit referendum, Canonici, quos Capitulum eam ad rem delegerit, onus iſtud ſine detractatione, & tergiverſatione ſubibunt, niſi ejus recuſandi juſtas rationes à Capitulo probandas, attulerint, vel negotium arduum ſit, & magni momenti; tunc omnes ſimul Epiſcopum accedant.

XVIII. Nihil unquam Capitulum ſine expreſſo Epiſcopi conſenſu concedat, ſtatuat, & decernat, quod innovationem, indebitam ſubmiſſionem, ſeu alicujus rei Eccleſiæ alienationem (contra ſtatuta & jus commune) quoquo modo ſapiat, ſi tale quid tentatum, aut factum fuerit, irritum ſit.

XIX. Cùm graviora quæque negotia in Capitula peremptoria, quæ poſt feſta Inventionis S. Stephani, & S. Martini quotannis celebrantur, rejici, atque in iis tractari & decidi ſoleant, ſtatuimus, ne quisquam DD. Capitularium, aliàs hic non reſidentium, ſive ſua ſponte veniat, ſive vocetur, ante octiduum, cujus initium à ſecundis veſperis dictorum feſtorum ſumatur, niſi ſumma urgente neceſſitate, de qua tamen penes Capitulum ſit cognoſcere, hinc diſcedat, ſed conſultationibus pro tempore occurrentibus diligenter interſit. Curabit autem Dominus Decanus ut quando cauſa majoris eſt monumenti, eo citiùs ad deliberandum proponatur. Ea quoque quæ in Capitulo peremptorio ſtatuta ſunt, vel ſtatuentur (ſtatuta noſtra concernentia) niſi in Capitulo peremptorio, diſſolvi non debent.

TITULUS VIII.

De Controverſiis, & diſsidiis inter Canonicos ortis, fraternè componendis, dirimendis & tollendis.

I

Si inter Canonicos diſcordia oriatur de negotiis Capitularibus, curabit Decanus, adhibito conſilio, & auxilio Capituli, ut eam in ſuis initiis opprimat, & diſſidentes reconciliet: neque enim convenit, ut quos tanquam fratres in domo DEI unanimes verſari oportet, litibus inter ſe digladientur. Si qui verò adhortante & partes ſuas interponente Capitulo cum fratribus in gratiam redire noluerint, tam diu à fructibus præbendæ ſuſpendantur, donec Capituli ſententiæ obtemperent.

II. Sin autem inter eos aliud verſetur negotium, quàm Capitulare, aut extraneus quispiam, ſive Clericus ſive Laicus querelam habeat contra Canonicum, Capitulum audita cauſa ſedulam operam navet, ut controverſias motas dirimat, aut commodis mediis componat: quæ ſi à partibus contentionis ſtudio repudietur, ut neceſſe ſit litem in judicium legitimè deduci, tum Decanus adhibito Seniore, aut eo, juſtis de cauſis à Capitulo probandis impedito, proximè ſequenti, cauſam denuo audiat, examinet, & debito fine terminet, ita tamen, ut ſine conſenſu, conſilio & judicio adjuncti Senioris vel Sub-

ſenioris

ſenioris nihil agat, & decernat. Si contingat eos opinionibus inter ſe diſcrepare, & convenire non poſſe, Acta omnia ad Capitulum transferantur, quod de cauſa cognoſcet. Sententiam autem Decanus ſuo, & Capituli nomine aſſiſtente ſibi Seniore, feret.

TITULUS IX.

De vita & honeſtate Canonicorum & Cleri.

I.

CAnonici omnes vitam, moréſque ſuos ita componant, ut habitu, geſtu, inceſſu, ſermone aliiſque omnibus rebus nihil niſi grave, moderatum, & religione plenum præſeferant, levia etiam delicta, quæ ipſis maxima eſſent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem.

II. Habitu utantur decenti, honeſto, ſimplici, in quo neque exquiſitæ elegantiæ ſtudium neque nimiùm affectatæ ſordes appareant.

III. In omni veſtitu color potiſſimùm niger adhibeatur, rubeo, & viridi omninò excluſis.

IV. Externa veſtis ſemper ſit talaris, interior ſimiliter, vel minimùm ad mediam ſuram, ſeu ſpithamam infra genua promiſſa.

V. Verumtamen ſi iter faciendum ſit, illis habitu liceat uti contractiore, & ad iter accommodato, ſimplicitate tamen conſpicuo, & in quo ſpiritualis conditionis honeſtas atque decorum eluceat.

VI. Caput tegant bireto, ùt appellant, quadrangulari.

VII. Camiſias ad collum & manus criſpas, aut rigoſas, aut artificio elaboratas ne geſtent.

VIII. Turgidis ſollicatis & diſſectis caligis, torquibus aureis, armillis, monilibus & ſimilibus ſeculi vanitatibus ne utantur.

IX. Baliſtas, haſtas, bombardas, & alia arma ne ferant, niſi fortè extra civitatem ſuſpectis locis iter cis faciendum ſit.

X. Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, cæteríque Canonici in minoribus conſtituti, clericali tonſura ſint inſigniti ad eam formam, quam ratio uniuscujusque Ordinis poſtulabit.

XI. Comam ultra medium cervicis, aut barbas inſtar laicorum, vel potiùs militum ne nutriant.

XII. Breviter, ne ad minutiſſima quæque deſcendere oporteat, cùm in Canonicos tanquam Senatores & præſtantiſſima Eccleſiæ membra reliquus Clerus oculos habeat ſemper conjectos & intentos, meritò illis curandum eſt, ut quò ſtatu, & conditione ſunt majores, & ſublimiores, eo etiam morum & vitæ integritate ſint perfectiores. Quod haud dubiè fiet, ſi ea omnia, quæ à ſummis Pontificibus & à ſacris Conciliis de Clericorum vita, honeſtate, cultu, doctrinâque retinenda ac ſimul de luxu, commeſſationibus, choreis, aleis, luſibus, ac quibuscunque criminibus, nec non ſecularibus negotiis fugiendis copiosè ſancita, à Tridentina ſynodo repetita, & ſtatutis provincialibus, multis capitibus inculcata ſunt, non modò diligenter ſecum cogitent, & meditentur, ſed uſu exerceant & moribus obſervent.

XIII. Qui aliquid in his commiſerint, ſi Canonici ſint, à Capitulo & Decano; ſin alii Chori Clerici, à Decano nomine Capituli graviter pro modo culpæ puniantur; contra eos verò qui in impudicitiæ ſordibus immundóque concubinatu verſantur, pœnis à Concilio Tridentino ſancitis, gradatim procedatur.

TITULUS X.

De Canonicis defunctis, eorúmque Teſtamentis & Prabenda gratia.

I.

DEfuncto aliquo Canonico reſidente, cùm corpus ejus efferendum, & ſepulturæ mandandum erit, ſignum pulſu campanarum detur, quo audito Canonici in Eccleſiam Cathedralem conveniant. Unde & ſuperpelliceis induti omnes ordine prodeuntes, bini canentes Pſalmos aliáſve ſa-

cras

cras preces, mortuum ab ejus ædibus ad ſepulturam comitentur; ibidem inſtituta officia celebrent; nec priùs diſcedant, quàm corpus in ſepulchrum illatum fuerit.

II. Deinde juſta ſeu exequiæ, primo, ſeptimo, & triceſimo obitus die, Miſſarum pro anima defuncti celebratione, Vigiliarum cantu, & precibus more ſolito, ad ſepulchrum factis à Capitulo diligenter perſolvantur.

III. Abſentium verò exequiæ ſemel duntaxat conſueto campanarum pulſu, Miſſarum celebratione & officii mortuorum recitatione peragantur.

IV. Eáque ſumptibus & impenſis Capituli fiant, niſi aliter defunctus, cùm adhuc in vivis eſſet, ea de re ſtatuerit.

V. Divinis iſtis Officiis Canonici omnes ſub pœna privationis diſtributionum ad triduum intereſſe debebunt.

VI. Præpoſitus quoque & Conventus S. Nicolai extra muros, quibuscum fraternitas eſt, primis exequiis cujuslibet Canonici in Eccleſia cathedrali aderunt, ad quas D. Decanus eos debito tempore vocari, ac invitari curabit.

VII. Idem quoque mortem defuncti Canonici Fratribus Monaſterii Cloſterneuburgenſis literis Capituli nomine ſcriptis ſignificabit.

VIII. Mortui Epiſcopi aut Canonici memoria quotidiè in omnibus vigiliis & Miſſis à primo obitus die ad triceſimum usque, per collectam habeatur, niſi ſolennitas feſti impediat.

IX. Si quis Canonicorum Capitularium mortuus fuerit in actuali reſidentia, vel abſens in negotiis Eccleſiæ, poſt ipſius obitum per ſpatium triginta dierum, omnium fructuum, extra præſentias, particeps erit, ejúsque hæredibus cedent centum & quinquaginta floreni pro expediendis funeralibus. Similiter & illi, qui inter annum à feſtivitate S. Martini computando tribus ſeptimanis reſederint, eodem gaudebunt privilegio.

X. Decanus inter ſpatium trium menſium propinquos & cognatos defuncti Canonici, ſi commodè fieri queat, de morte ipſius, illorum tamen ſumptibus certiores faciat, niſi probabiliter conſtet, eam ipſis aliunde innotuiſſe.

XI. Cuivis Canonico liberum ſit, quandocunque in vita voluerit, teſtamentum ſecundùm Juris diſpoſitionem condere, accitis aliquot ex fratribus Canonicis, aut conſanguineis vel aliis fidei ſpectatæ & probatæ viris, coram quibus factum teſtamentum ſubſiſtat, & validum cenſeatur.

XII. Si quis Canonicorum facto eo modo, ùt præmittitur, teſtamento deceſſerit, Decanus aut Prodecanus nomine ſuo & Capituli ad petitionem executorum teſtamenti, diem publicationi ejusdem per literas ad valvas Eccleſiæ affixas, quas Cridam nominant, præſtituat, qui adhibito Seniore vel Subſeniore operam dabit, ut morientis voluntas & ordinatio intra debitum tempus executioni mandetur, & Juſtitia in omnibus, ſecundùm formam, titulo octavo præſcriptam, fideliter adminiſtretur.

XIII. Sin autem Canonicus quiſpiam ab inteſtato deceſſerit, Decanus de morte ipſius ad propinquiores cognatos, quamprimùm poterit perſcribat, & die ex ipſorum voluntate & commoditate præfinita, adjuncto Seniore eodem planè modo, quo jam dictum eſt, procedat.

XIV. Sed ne interea temporis relicta defunctorum bona intervertantur, Decanus & Senior ea omnia Notario & teſtibus præſentibus deſcribent & in Inventarium redigent atque in loco tuto, quem ipſi annulis ſuis obſignabunt, usque ad executionem teſtamenti diligenter collocari & aſſervari curabunt.

XV. Executores teſtamenti, de executione facta rationem reddent Capitulo, à quo bene adminiſtrati officii teſtimonium & apocham ſeu quietantiam accipient.

Hæredes ſimiliter hæreditate adita de receptis defuncti bonis apocham vel quietantiam dabunt Capitulo.

Signum magnâ campanâ ſolùm detur in Exequiis Epiſcopi, Præpoſiti, Decani, Canonicorum, & eorum qui anniverſaria officia pro animarum ſuarum ſalute celebranda inſtituerint ac curaverint.

TITULUS XI.

De Cuſtodia Sigilli.

NE ex negligentiori ſigilli cuſtodia detrimentum aliquod Capitulum accipiat, decretum eſt, ut majus Collegii ſigillum in capſa peculiariter ad hoc deſtinata collocetur, quæ quatuor clavibus iisque inter ſe diverſis, clauſa ſit, quarum prima à Præpoſito, ſecunda à Decano, tertia ab uno ex Senioribus, quarta ab aliquo ex Junioribus à Capitulo deputandis, aſſervetur. Ex iis ſi cui, quacunque de cauſa aliquamdiu diſcedendum ſit, is clavem fidei ſuæ commiſſam ipſemet, non per internuncium reddet Capitulo, cujus arbitratu alteri, donec redeat, tradetur, & aſſignabitur.

TITULUS XII.

De Immunitate Capituli, & Cleri.

I.

CAnonici Patavienſes, Magiſter Pontis, & Leproſorum à vectigalibus, & exactionibus omnibus, præſertim quæ vulgò vocantur Umgeld, Aufſchlag und Anſchlag in civitate & territorio Pataviensis cuicunque jus ejusmodi vectigalia & onera imponendi & exigendi competat, prorſus ſint liberi & immunes, ita ut ſine ullo impedimento & gravamine, vina, aliáque bona ſua diſtrahere & vendere poſſint, vel civibus vel aliis extraneis, quibuscunque. Ea tamen conditione, ne per ipſos ſed per ſeculares aliquos vina vendant, neve tabernas in ſuis ædibus ullas inſtituant, aut cauponariam exerceant.

II. Ab iisdem exactionibus exempta, & libera ſint, non modò Canonicorum, ſed & Vicariorum, Beneficiatorum, & univerſi Cleri bona, frumenta, & ejus generis alia, quæ vel ſubditi convehent, vel Clerici ipſi in uſum domeſticum, pro ſua & ſuorum neceſſitate aliunde in civitatem inferri, vel advehi curabunt, ſive iſta ad annuos ſuarum præbendarum cenſus, fructus, & reditus pertineant, ſive empta, aut quocunque alio modo comparata, & acquiſita ſint.

TITULUS XIII.

De impignoratione, & alienatione bonorum Menſæ Epiſcopalis.

SI Epiſcopus ob evidentem Eccleſiæ utilitatem velit, aut juſtiſſima urgente neceſſitate debeat arces, caſtra, prædia, aut alia immobilia bona ad menſam epiſcopalem ſpectantia impignorare, hypothecæ titulo obligare, aut etiam debitis ſolennitatibus adhibitis alienare, Capitulum alia ratione non conſentiat, nec tabulis impignorationis, aut alienationis ſigillum ſuum appendat, niſi clauſula iſta literis contractus & obligationis expreſsè inſeratur uns und unſerm Inſigel, auch unſern Gütern, ſo wir inſonderheit haben, allerdings unvergriffen und ohne Schaden. Si ſecùs fiat, literæ etiamſi Capituli ſigillo munitæ fuerint, tamen tanquam non carentes ſuſpicione falſi, quoad Collegii obligationem nullius ſint efficaciæ, roboris & firmitatis.

TITULUS XIV.

De munere Cellarii, Subcellarii, & aliorum Officiariorum.

I.

CEllarius, Subcellarius, & alii Officiarii quando eliguntur aut recipiuntur, loco Juramenti promittant & polliceantur ſe muneri ſuo ſedulò perfuncturos, bona & negotia ſuæ fidei commiſſa fideliter & diligenter adminiſtraturos, operámque quantùm fieri poteſt daturos, ne quid in iſtis Collegium detrimenti accipiat.

II. Eorum autem præcipuæ partes ſunt in Bavaria, Auſtria, & aliis locis omnibus, cenſus, penſiones, fructus, reditus & proventus omnes, cujuscunque

cùnque qualitatis & ſpeciei, quocunque etiam nomine vocentur, iis temporibus, quibus ſolvi darique conſueverunt, ea diligentia & fide exigere, & colligere, ut de acceptis & expenſis omnibus nec non de debitis adhuc non ſolutis, totâque adminiſtratione ſua ſingulis annis, ſeptimana ante Dominicam Reminiſcere, rationem Capitulo reddere queant, præſentibus omnibus Canonicis, maximè Decano, & iis qui certa propoſita pœna, ad examinandas rationes deputabuntur, debita vero à ſubditis, & Colonis nondum diſſoluta, ſive decimarum ſive pecuniarum aut aliorum quorumlibet fructuum & proventuum, ſi qua ratione confecta reliqua fuerint, maturè & integrè exigant, nec quidquam ſine conſenſu Capituli, & rationabili cauſa cuiquam remittant.

III. Cùm Cellarius noſter alios ſub ſe habeat Officiarios in Bavaria, quibus incumbit, ut ad mandatum ipſius reditus non modò frumentarios & pecuniarios, ſed & reliquos in quibuscunque rebus conſtitutos, videlicet pecora, oves, anſeres, gallinas, pullos, caſeos, fabas, piſa, papaver, & breviter fructus & proventus omnes cujuscunque generis & qualitatis ſuo quoque tempore exigant & colligant, munus ſuum diligenter exequentur, & de omnibus rationem Capitulo & Cellario reddent. Si quæ ſoluta non ſint, docebunt cujus culpa id factum ſit, vel fiat, curabùntque, ut primo quoque tempore ſolvantur. Præterea ſi reditibus Annuis quidpiam deeſſe videatur, aut in illis mutatio facta ſit, Capitulum de iis monebunt, ut ea, quæ forte deerunt, tempeſtivè recuperari poſſint.

IV. Qui in his negligentia, vel fraude deliquerint ac ſuum magis lucrum & commodum quàm Capituli quæſierint, non tantùm ab officiis (aliis in eorum locum ſuffectis) amoveantur, ſed & damnum ſua culpa illatum, reſarcire teneantur.

V. Verùm ut eo certiùs, an rationes conſtent cognoſci poſſit, ne interceptis vel perditis monimentis, res quoque Eccleſiæ ita pereant, ut in jus ſuum vendicari ampliùs nequeant, ſtatutum eſt, ut omnium & ſingulorum fructuum, decimarum, annuorum cenſuum, redituum, & cujuscunque generis proventuum, bonorum item immobilium, aliorùmque quorumcunq; ad Collegium ſpectantium ubicunque locorum ſint, Index, ſeu Inventarium conficiatur, in quo locorum fines conditionéſque omnes quoad fieri poteſt, ſigillatim deſcribantur. Exempla autem ejus Inventarii, ſeu Regiſtri, duo ſint, quorum alterum in Archivo Capituli aſſervetur, alterum detur Officiariis, ut ſciant quid, quando, & quantum à Colonis & ſubditis Capituli exigere & petere debeant.

VI. Non liceat Cellario prædia, ſeu alia Collegii bona locare in Emphiteuſim, ad cujusvis temporis ſpatium concedere, permutare, cenſum illis novum imponere, veterem augere, aut imminuere, Emphiteotas ullos ſuſcipere, aut dejicere ſeu repellere, aut ſimile quidpiam de illis ſtatuere, niſi præſente Capitulo, aut aliquibus à Capitulo ad hæc peculiariter deputatis. Tabulæ quoque ſeu literæ ejusmodi contractuum & obligationum non Cellarii, ſed Capituli ſigillo obſignentur, & muniantur. Si quid contrà faciat, irritum ſit ac nullum.

TITULUS XV.

De Officio Magiſtri, ſeu Adminiſtratoris Fabricæ.

I.

ADminiſtratio fabricæ S. Stephani Protomartyris & Patroni noſtri ſemper alicui Canonicorum, qui decorem & gloriam domus Domini diligat, authoritate Epiſcopi, cum conſenſu & conſilio Capituli commendabitur. In qua electione, ſeu Adminiſtratoris Conſtitutione, ſi diſſenſio oriatur, poterit Epiſcopus juxta ſuam conſcientiam, aliquem ex Canonicis, quem magis idoneum judicaverit, ejusdem fabricæ Gubernatorem & Adminiſtratorem inſtituere.

II. Ad eum autem ſpectabit reditus & proventus omnes tam eos quos fabrica nunc obtinet, quàm qui ex piorum hominum liberalitate, & defunctorum

ctorum legatis, in dies accedunt, aut accedere poſſunt, accuratè & fideliter colligere & adminiſtrare; templum ſartum tectum obſervare: Si quid ruinoſum, vel disjectum fuerit, farcire, & reſtituere, atque in omnibus commodo & utilitati Eccleſiæ providere.

III. Ad eum quoque ex antiquiſſima conſuetudine & ſpeciali Epiſcopi commiſſione pertinet, in caſibus dubiis, re priùs plenè explorata, & deliberata ſepulturam concedere vel denegare. Item tempore quadrageſimali à caſibus epiſcopalibus impoſita confitentibus pœnitentia ſalutari abſolvere, aliisq; idem demandare; quo in munere tam ſancto tanquam neceſſario ſumma cum prudentia, pietate & religione verſabitur.

III. Porrò de omnibus & ſingulis acceptis, & expenſis quotannis Epiſcopo & Canonicis à Capitulo deputatis die ab ipſis præſcribenda rationem reddet. Unde & fabricæ debitoribus ſine ſcitu & conſenſu Epiſcopi & Capituli, nihil prorſus remittet. Si contrà fecerit, tantundem de ſuo reponet.

TITULUS XVI.

De ædibus Canonicorum.

I.

Cùm ædes Canonicorum omnes cum atriis & tota area, quæ inter eos interjacet ac vulgò Pfaffen-Hoff nominatur, ea ſint immunitate iisque privilegiis ornata, ut neque judici, neque civibus Pataviensibus, nec ulli ſecularium liceat quempiam iis in locis capere, vinctum tenere, aut quovis modo ſive in rebus, ſive in perſona moleſtare, aut vexare, ſtatutum eſt, ut ejusmodi privilegia, ſingulis annis in conventibus publicis civium quæ Ehehafſthädung germanicè nominantur, non publicentur tantùm, ſed inviolatè ab omnibus obſerventur. Violatores verò Privilegiorum à Judice quemadmodum literis Epiſcopi Bertholdi cautum eſt, ſeverè puniantur.

II. Vacante aliqua Domo Canonicali, ſive per obitum, ſive per renunciationem, aut alio quovis pacto Collegium eandem Canonico ſeniori, actu reſidenti, & Capitulari aliàs curiam non habenti conferre poterit, non pluris tamen aut majoris quàm hactenus locari conſueverant, cui per obligationem injunget, ut eandem pro neceſſitate inſtauret, & in ſtructuris decenter conſervet.

III. Atque ejusmodi conſervationi, & reparationi ædium rectiùs certiùsque conſulatur decretum eſt, ut quivis Canonicus, quo tempore domum impetrat, ſcripta ſe obligatione Capitulo obſtringat, ſe tantam pecuniæ ſummam, quantam Capitulum præſcribet, ſpacio quatuor annorum, aut etiam breviori, ſi neceſſitas exegerit, reſtitutioni domus impenſurum. Quo tempore elapſo, niſi teſtimonio peritorum & juratorum Architectorum doceat ſe tantum pecuniæ, quantum præſcriptum fuerat, in eandem reparationem contuliſſe, eò usque à perceptione præbendæ ſuſpendatur, donec dicta pecunia collecta fuerit, quæ vel in ædium inſtaurationem, vel in alios pios uſus convertatur, & nihilominus Canonicus obligationi in reficienda domo, de ſuo ſatisfacere teneatur.

IV. Si quis verò domum prorſus collapſam aut ruinam minitantem, à Capitulo tamen priùs inſpectam & cum ipſius conſenſu erexerit, inſtauraverit, & refecerit, atque rationum tabulas Capitulo exhibuerit, ejusdem hæredibus poſt obitum ipſius dimidium ejus quod ultra quinquaginta florenos expenderit, à Canonico, cui domus collata fuerit, reddatur, & refundatur.

V. Si quis relicta domo, quam priùs obtinuerat, aliam pro ſua commoditate optaverit, taxam quam vocant, eidem impoſitam ſolvere teneatur non obſtantibus ſumptibus in priori domo reparanda factis & taxa de eadem ſoluta. Quòd ſi domus, quam dimiſſa ſua optare conſtituit, inſtauratione indigere videatur, in eandem quoque tantum impendat, quantum Capitulo videbitur, non minùs ac ſi in priori domo reficienda nihil erogâſſet, nec aliter optioni locus dabitur.

VI. Nemo

VI. Nemo Canonicorum abſentium domum ſuam ulli ſecularium locet, aut cuſtodiendam tradat, niſi Clericos idoneos habere commodè nequeat, tum conſentiente Decano, & Capitulo facultatem habeat, eandem, iis ſecularibus, quorum fides, vita & mores ſuſpecti non ſint, usque ad ſuam vel Decani & Capituli revocationem locandi.

VII. Cùm pauciores ſint Canonicorum ædes quàm præbendæ, ut omnibus quantum fieri poteſt decommodis habitationibus proſpiciatur, conventum eſt, ut ſi Eccleſia Parochialis S. Pauli alicui ex fratribus Canonicis, qui jam domum antea habeat, conferatur, is capta poſſeſſione intra ſpacium trium menſium, in ædes parochiales, ſatis amplas commigrare, & priorem domum, quæ eo ipſo vacare cenſeatur, relinquere teneatur; quam Collegium arbitratu ſuo, cui velit, conferet: quæ omnia ut ſine difficultate executioni mandari poſſint, jurabit Canonicus, cui de Eccleſia S. Pauli providebitur, ſe huic ſtatuto absque contradictione obtemperaturum, niſi de eadem parochia controverſia oriatur: tunc illi integrum ſit in ſuis ædibus, donec iſta dirimatur, & ſopiatur, permanere.

VIII. Singuli Canonici de ſuis ædibus quotannis cenſum numerabunt trium librarum, uſitatæ monetæ Pataviensis, dimidiam partem in feſto S. Georgii, reliquam in feſto S. Galli; quam qui præfinitis diebus non ſolverit, ſi præſens ſit, à Præbendæ emolumentis omnibus ipſo facto ſit ſuſpenſus, nec Cellarius, nec oblayarius illi priùs quidpiam diſtribuant, quàm quod debebat, ſolverit. Si verò inſtante ſolutionis die, penſione, nec per ſe, nec per alios numerata, eo tempore diſcedat, quò aliàs fructus non perciperet, reverſus tamdiu in perceptione eorundem ſuſpenſus maneat, quamdiu in pendendo cenſu negligens fuit, etiam ſi à reditu ſtatim exſolverit. Si autem non reſideat, & inter duos menſes, à termino penſionis numerandæ lapſo, poſtquam admonitus fuerit, per ſe, vel ſuos non ſolvat, ædes ipſas cum Jure, quod in iisdem habuerat, amittat; quas Capitulum cui voluerit Canonico, domicilium non habenti, ſine cujusque impedimento conferre poſſit. Hoc ſanè ſtatutum eo diligentiùs obſervandum eſt, quòd cenſus illi omnes ad ſacra defunctorum Anniverſaria pertineant.

TITULUS XVII.

De inobedientium, rebellium, & ſtatuta non obſervantium pœna.

I.

Cùm leges quantumvis bene ſapientérque latæ, ad vitam rectè inſtituendam, parùm proſint, niſi executioni mandentur, moribus obſerventur, & earum transgreſſoribus pœnæ pro ratione culpæ non decernantur modò, ſed irrogentur: Quapropter communi conſilio ſtatutum eſt, ut Decanus Canonicos, quos negligentiùs, immodeſtiùs, aut etiam inſolentiùs ſe gerere animadvertit, vocatos tanquam fratres officii ſui blandis verbis, & humanis admoneat, ab illicitis deterreat, arguat, obſecret, increpet in omni bonitate & patientia, cùm ſæpe plus erga corrigendos eos, præſertim quos per humanam fragilitatem magis quàm malitiam peccare contingit, agat benevolentia, quàm auſteritas; plus exhortatio quàm comminatio; plus charitas quàm poteſtas. Sin verò Decanus deprehendat ſe lenitate nihil proficere, ſed inobedientiam, morum diſſolutionem, ac contumaciam in dies augeri, tunc re cum Capitulo communicata ex ejusdem conſilio, authoritate & ſententia, gravioribus, & acrioribus remediis, quales ſunt pœnæ ſuis quæque ſuper titulis expreſſæ, contumaciam ac petulantiam rebellium coerceat, videlicet privatione diſtributionum quotidianarum, Præbendæ, vini, Juris ſuffragiorum, ſuſpenſione à perceptione fructuum, & aliis pro ratione exceſſuum & ſimilibus. Reliquum itidem Clerum ſuæ Juriſdictioni ſubjectum Decanus iisdem aut aliis etiam Canonicis pœnis ad faciendum officium & obedientiam præſtandam compellat; in puniendo tamen, nec iræ nec odio locus præbeatur, ſed ea charitatis ratio in pœnis infligendis ſervetur, ut animadvertere

poſſint omnes eos non ex privata aliqua affectione, ſed æquitatis ſtudio ob illius, qui punitur, vel ſaltem Eccleſiæ utilitatem inferri.

II. Si contingat Decanum ipſum quod abſit vel in obſervandis & tuendis ſtatutis functionis ſuæ partes negligere, vel alio quovis modo à munere ſuo exorbitare, cæteri Canonici ſimul in loco capitulari congregati, eundem vocationis & officii ſui, in ſpiritu lenitatis & humilitatis modeſtè & reverenter commonefaciant; quam Collegii piam adhortationem libenter & grato animo admittet. Et ſi poſt ejusmodi monitionem bis térve repetitam non videatur adhuc occurrentibus defectibus ſatis proviſum, & Decanus ea qua cœpit perverſitatis via progredi pergat, tum Canonici de aliis opportunis remediis deliberent, aut rei ſtatum ad Epiſcopum deferendo aut quacunque alia correctionis forma, quæ expedire videatur utendo, cui ille ſe vigore Juramenti præſtiti, patienter ſubmittere teneatur.

TITULUS XVIII.

De Juramentis.

Forma Juramenti profeſſionis Fidei.

EGo N. firma fide credo, & profiteor omnia & ſingula quæ continentur in Symbolo Fidei quo S. Romana Eccleſia utitur, videlicet Credo in unum DEum, Patrem Omnipotentem Factorem cœli & terræ viſibilium omnium & inviſibilium, & in unum Dominum JEſum Chriſtum filium DEI unigenitum, & ex Patre natum ante omnia ſæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt, qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis, & incarnatus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus & ſepultus eſt. Et reſurrexit tertia die ſecundùm Scripturas, & aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram Patris, & iterum venturus eſt cum gloria judicare vivos & mortuos, cujus regni non erit finis, & in Spiritum ſanctum Dominum & vivificantem, qui ex Patre, Filióque procedit, qui cum Patre & Filio ſimul adoratur & conglorificatur; qui locutus eſt per Prophetas, & unam ſanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam; Confiteor unum baptiſma in remiſſionem peccatorum & expecto reſurrectionem mortuorum, & vitam venturi ſæculi Amen.

Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas traditiones reliquáſque ejusdem Eccleſiæ obſervationes & conſtitutiones, firmiſsmè admitto, & amplector.

Item ſacram Scripturam, juxta eum ſenſum quem tenuit & tenet ſancta Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu & interpretatione ſacrarum Scripturarum, admitto, nec eam unquam niſi juxta unanimem conſenſum Patrum accipiam & interpretabor.

Profiteor quoque ſeptem eſſe verè & propriè Sacramenta nova legis, à JESU Chriſto Domino Noſtro inſtituta, atque ad ſalutem humani generis (licèt non omnia ſingulis) neceſſaria, ſcilicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem & Matrimonium; illáque gratiam conferre: & ex his Baptiſmum, Confirmationem & Ordinem ſine Sacrilegio reiterari non poſſe.

Receptos quoque & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſupradictorum omnium Sacramentorum ſolenni adminiſtratione, recipio & admitto.

Omnia & ſingula, quæ de peccato originali & de Juſtificatione in ſacroſancta Tridentina ſynodo definita, & declarata fuerunt, amplector & recipio.

Profiteor pariter in Miſſa offerri DEO verum, proprium, ac propitiatorium Sacrificium pro vivis & defunctis, atque in ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe verè, realiter, & ſubſtantialiter Corpus & Sanguinem, unà cum anima & divinitate, Domini Noſtri JESU Chriſti, fierique converſionem totius ſubſtantiæ panis in Corpus, & totius ſubſtantiæ vini in Sanguinem; quam converſionem Catholica Eccleſia Tranſubſtantiationem appellat.

Fateor etiam ſub altera tantùm ſpecie, totum atque integrum Chriſtum, verúmque Sacramentum ſumi. Conſtanter teneo purgatorium eſſe, animásque ibi detentas fidelium ſuffragiis juvari.

Similiter confiteor, & Sanctos, unà cum Chriſto regnantes venerandos, atque invocandos, eóſque orationes pro nobis DEO offerre, atque eorum reliquias eſſe venerandas.

Firmiter quoque aſſero imagines Chriſti, ac Deiparæ ſemper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas, & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam.

Indulgentiarum etiam poteſtatem à Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe, illarúmque uſum Chriſtiano populo maximè ſalutarem eſſe affirmo. Sanctam Catholicam & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam, omnium Eccleſiarum Matrem & Magiſtram agnoſco: Romanóque Pontifici Beati Petri Apoſtolorum Principis Succeſſori, ac JESU Chriſti Vicario veram obedientiam ſpondeo ac juro.

Cætera item omnia à ſacris Canonibus & Oecumenicis Conciliis, ac præcipuè à ſacroſancta Tridentina ſynodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipio, atque profiteor; ſimúlque contraria omnia, atque hæreſes quaſcunque ab Eccleſia damnatas, & rejectas, & anathematizatas, ego pariter damno, rejicio, & anathematizo.

Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo ſalvus eſſe poteſt, quam in præſenti ſpontè profiteor & veraciter teneo, eandem integram & immaculatam usque ad extremum vitæ ſpiritum conſtantiſſimè (Deo adjuvante) retinere, & confiteri, atque à meis ſubditis, ſeu illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectavit teneri, doceri & prædicari, quantum in me erit me curaturum promitto. Ego idem N. ſpondeo, voveo, ac juro. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta DEI Evangelia.

Juramentum Præpoſiti.

EGo N. confirmatus hujus Eccleſiæ Patavienſis Præpoſitus, omni ſtudio, cura, fide & diligentia, nunc & imposterum enitar, ut quæcunque ad honorem, utilitatem, bonum, florentémque prædictæ Eccleſiæ ſtatum faciunt, conſerventur, & promoveantur. Jura, libertates, immunitates, bona & privilegia; ſtatuta item approbata, & laudabiles ejusdem Eccleſiæ conſuetudines, quantum ex officio debuero, ſimul cum Decano & reliquis Fratribus è Collegio pro virili cuſtodiam, defendam & tuebor.

Nunquam conabor obtinere, ſive per Sedis Apoſtolicæ indultum, ſive per Regum & Principum favorem, aut quovis alio modo, ut quoſcunque Præpoſituræ fructus abſens, æquè ut præſens percipere poſſim, neque abſolutionem à Juramento, quod nunc præſto, neque ejusdem remiſſionem in diminutionem & labefactionem à Juramento, quod nunc præſto, neque ejusdem remiſſionem, & labefactionem Privilegiorum & ſtatutorum hujus Eccleſiæ unquam impetrabo, aut per alios meo nomine impetrari curabo, neque impetratis, aut proprio etiam motu conceſſis utar, Præpoſituram meam contra quoſcunque ſine damno, impendio & præjudicio Capituli meis ſumptibus & laboribus defendam & tutabor. Præfatis Dominis Decano, & Capitulo debitam reverentiam exhibebo.

Omnia & ſingula jam dicta, omni dolo, & fraude remotis inviolatè præſtabo, & ita promitto & juro. Sic me DEus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia.

Juramentum ante Electionem Decani ab Electoribus præſtandam.

EGo N. juro, ſpondeo, ſanctéque promitto DEO Opt. Max. & Stephano Protomartyri hujus Cathedralis Eccleſiæ Patavienſis Patrono, me eum in R[di] Capituli noſtri Decanum electurum, quem ſciam eidem utiliorem fore in adminiſtratione ſpiritualium & temporalium, nullo habito reſpectu precum, aut aliarum corruptelarum, quæ quovis modo nominari poſſint; nullo quæſito colore aut fuco maligno. Sic me DEus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia.

Jura-

Juramentum Decani.

EGo N. Canonicus & electus Decanus Eccleſiæ Patavienſis, omni ſtudio, cura, fide & diligentia, nunc & impoſterum enitar, ut quæcunque ad honorem, utilitatem, bonum, florentémque prædictæ Eccleſiæ ſtatum faciunt, conſerventur & promoveantur; Jura, libertates, immunitates, bona & Privilegia, ſtatuta item approbata, & laudabiles ejusdem Eccleſiæ conſuetudines pro virili defendam & tuebor.

Commiſſum mihi munus, & eidem adhærentem jurisdictionem diligenter, & fideliter exercebo. Ut ea omnia, quæ de horis Canonicis debito modo & tempore perſolvendis & in univerſum de cultu divino piè devotéque proſequendo ſtatutis comprehenſa ſunt, à Clericis & Chori Miniſtris pro ſtatu & conditione cujusque ſtudioſè obſerventur, ſedulò operam dabo.

Clerum mihi ſubjectum in moribus, & vita, quoad potero reformare ſtudebo.

Perſonaliter ſemper reſidebo, neque absque Capituli licentia, contra quàm in ſtatutis conceſſum eſt, hinc diſcedam.

Decanatum contra quoscunque ſine damno, impendio, & præjudicio Capituli, meis ſumptibus & laboribus defendam, & tutabor.

Eundem Decanatum ſine expreſſo Præpoſiti, & totius Capituli conſenſu, nec reſignabo, nec permutabo, aut dimittam.

Domino Præpoſito & Capitulo reverentiam, & conjunctam obedientiam debitam, juxta ſtatuta, & laudabiles Eccleſiæ conſuetudines exhibebo.

Præterea Jusjurandum à me, dum primò ad Canonicatum admitterer, datum repeto, & renovo.

Omnia & ſingula jam dicta omni dolo & fraude remotis inviolatè præſtabo, & ita promitto & juro. Sic me DEus adjuvet, & hæc ſancta DEI Evangelia.

Forma Juramenti à Nobilibus præſtandi.

ICh N. von meinen 4. Ahnen Adelichen Rittermäſſigen Geſchlechts gebohren, als nemblichen von meiner Mutter N. dann von meinem Anherrn Vatters halben N. und von meiner Anfrau Mutters halben N. Schwöre, daſs ich nit anderſt weiſs, noch glaub, diſer hier gegenwärtiget N. ſey von ſeinem Vattern N. und ſeiner Muttern N. und ferner von ſeinen 4. Ahnen, als nemblich von ſeinem Anherrn Vatters halben N. und deſſelben Hauſsfrauen N. von Rittermäſſigem gutten Edlen Geſchlecht, nit gemacht, ſonder Adelich und Rittermäſſig, auch Ehelichen miteinander wohnend, und in Ehelichen Stand erworben und gebohren. Würdet auch von mir und männiglich darfür gehalten, und ich nit anderſt gehöret noch vernommen. Als mir GOTT helff und ſeine Heiligen.

Juramentum Canonicorum.

EGo N. fidem quam nunc Eccleſiæ Patavienſi do, firmam, & inviolatam præſtabo ſemper. Statuta edita, & edenda, approbata tamen & approbanda, nec non laudabiles Eccleſiæ hujus conſuetudines à majoribus rationabiliter introductas & per manus quaſi traditas ſive ſcriptæ, ſive non ſcriptæ ſint, diligenter & fideliter obſervabo, nec me illis verbo, vel facto, clam vel palam, directè vel indirectè ullo unquam tempore opponam. Jura, libertates, immunitates, bona, privilegia, ac prædictæ Eccleſiæ ſtatuta, pro virili defendam, & tuebor.

Pericula, damna, & incommoda iis imminentia quantum potero avertam, & propulſabo: Præpoſito hujus Eccleſiæ reverentiam; Decano & Capitulo ſimul, & ſeparatim juxta ſtatuta & laudabiles hujus Eccleſiæ conſuetudines obedientiam, & reverentiam; reliquis Canonicis, ſeu fratribus dilectionem fraternam impendam, & exhibebo.

Nullo unquam tempore fructus Præbendæ & Canonicatus, ſive ſub nomine indulti, ſive cujuscunque facultatis à quocunque conceſſæ aut concedendæ prætextu, abſens petam.

Nun-

Nunquam conabor obtinere à ſede Apoſtolica, aut ejus Legatis privilegium, ſeu gratiam proventus in abſentia percipiendi.

Abſolutionem à Juramento, quod nunc præſto, aut ejusdem remiſſionem non impetrabo, aut per alios meo nomine impetrari curabo; neque impetratis, aut proprio etiam motu conceſſis utar.

Canonicatum meum, contra quoscunque adverſarios ſine damno, impendio, & præjudicio Capituli, meis ſumptibus, & laboribus defendam & tutabor.

Si quas Capitulum ob receptionem meam expenſas ſecerit, aut pericula ſuſceperit, ſumptus reſtituam, & Collegium, quoad potero omni onere levabo. Inſuper juro me absque omni ſimoniaca pravitate, & illicita pactione Canonicatum meum adeptum eſſe.

Omnia & ſingula jam dicta omni dolo & fraude remotis inviolatè præſtabo. Et ita promitto & juro. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta DEI Evangelia.

Juramentum completo Triennio.

EGo N. Canonicus Eccleſiæ Patavienſis Juramentum à me (vel Procuratore meo) dum primùm ad Canonicatum admitterer, præſtitum, repeto, & nunc juro, me ſecreta Capituli, ùt in ſtatutis cautum eſt, nemini unquam quovis modo patefacturum, ſub pœna in iis ſtatutis expreſſa. Sic me DEus adjuvet, & hæc ſancta DEI Evangelia.

EPISCOPUS PATAVIENSIS LXIII.

Leopoldus I. Archidux.

CArolus Ferdinandi I. Cæſaris proles, Styriæ confiniúmque provinciarum I.
imperium à morte Patris adeptus, è Maria Bavara numeroſam ſobo- 1598.
lem ſuſtulerat; in his Ferdinandum poſtea Cæſarem hujus nominis Natales.
Secundum: deinceps Maximilianum Erneſtum, cujus mentionem idcirco facimus, ut notemus errorem quorundam, qui eum in cenſum Epiſcoporum Patavienſium retulerunt, lapſu adeò manifeſto, ut confutatione non egeat. Niſi illud forſitan fuerit, quòd, cùm de Adjutore Patavienſi primùm deliberaretur, tenella adhuc Leopoldi ætate prior ùt natu, ſic votis in eam ſpem vocaretur Maximilianus, quem tamen ſubinde placuit in ſpes alias ſervari. Liberorum Duodecimus erat Leopoldus, in lucem editus anno 1586. die nona Octobris: ingreſſus eſt, ùt erat illa domus, Gymnaſium Sanctimoniæ veriùs, quàm virtutis, quippe parente pientiſſimo, matre illa, cujus memoriam ob Pietas parentum. incredibile religionis reparandæ ſtudium, & conſtantiam plus quàm fœmineam in illis circumfrementium Erebi ſatellitum, reſque Catholicæ reliquias ad interitum urgentium violentiſſimis conſiliis, nulla pro merito celebrabit ætas; certè provinciæ ut ſalutis auſpicem venerantur.

Hunc ſanguinem cum virtutibus Leopoldus hauſerat, eam cumprimis Educatio. fortitudinem, quæ, ut Pallavicini verbum uſurpem, *ſumma fuit in hæreſi ubique oppugnata, ac propugnata orthodoxa fide, procuratâque religione.* In Geneal. Inſtitutione matris (nam patre anno ætatis quarto orbatus eſt) & hunc avitæ religionis amorem, & hæreſum odium altè combibit; iis præterea exercitiis aſſuefactus, quæ Auſtriaci ſolent: DEI Matrem impensè colere, cujus ſodalitiis & adſcriptus eſt, & præfuit: ſanctiſſimum myſterium in deliciis habere, cujus venerationis exempla non eo modò tempore, quoad in patria verſatus eſt, ſed per omnem deinceps vitam illuſtria præbuit, quæ ſubinde referre non omittemus. Ingenium ei ſtrenuum, ſagax, induſtrium. Addit Kevenhillerus: in Ingenium. ætate minore fuiſſe regnorum, ac provinciarum parandarum cupidum; in adulta ſedatum admodum & æquabilem: verùm enimverò res ejus ætatis penſanti facilè liquebit, incredibile rei Catholicæ vindicandæ ſtudium fuiſſe, quod eum, ùt poſtea narrabimus, ſubegit, regna, & provincias non recuſare potiùs, quàm ambire. Literis operam ſub Magiſterio Societatis dedit; Literæ.

nec puduit, ùt tum erant tempora, Atheneum Græcenſe à Parente fundatum adire palàm cum fratribus, periculum etiam publicum in arena Academica facere, dimicatione Philoſophica ſub auſpiciis Rudolphi Cæſaris, cui teſſeras conſecravit, non ſegniter ſuſcepta; ludos etiam comicos, quos in Lyceis noſtris edi mos eſt, non dedignatus, anno 1600. in theatro Græcenſi perſonam ſuſtinuit Ambroſii; id quidem aptè ad rem, ac pro inſtituto, cui dudum antè deſtinatus fuerat, jámque olim, decennis cùm eſſet, anno 1596. per Ordines, quos vocant, minores initiatus ab Epiſcopo Seccovienſi: ubi functionem etiam ſacram, quam Acolythi ſolent, in baſilica Græcenſi palàm cum Maximiliano fratre ſæpiùs exercuit.

Initiatus Ordinibus minbus.

II.

Deſtinatus dudum Eccleſiæ Paſſavienſi.

Jam anno 1591. quadrimus Eccleſiæ Patavienſi parabatur; anno dein ætatis duodecimo adoptatus eſt ab Urbano, quod nuper diximus, in Adjutorem cum jure, ùt ſolet, ſucceſſionis, de quo tamen inter Cæſarem, & Proceres Patavienſes ita convenerat, ut poſſeſſionem rerum niſi adultus ne adiret: ita factum, ut ad annum ætatis usque viceſimum, larem paternum colere pergeret, cùm interea clavum Patavienſem Adminiſtri nomine moderaretur Chriſtophorus Pöttingerus ejusdem Eccleſiæ Præpoſitus; curam etiam huc intendente Rudolpho Cæſare, ut nepoti ſuo ſponſam interea pararet ſine macula, ſine ruga: iteràtis namque decretis altero ad provinciales Auſtriæ; ad ipſos Prædicantes altero diſtrictè mandavit, iſtis, quòd contra repetitum aliàs èdictum in urbibus & oppidis, aliisque Eccleſiaſticorum, & Catholicorum Ordinum, locis, & parochiis exultare contumaciter auderent, uti octidui ſpatio unà cum apoſtatis Sacerdotibus & Monachis, quorum perfidia & criminationibus accendi populum conſtaret, utràque ex Auſtria ſe aufferrent; ſecùs illico in vincula ducendi, ſupplicium corpore & fortunis daturi. Cum Provincialibus autem graviter queſtus, quòd non contenti declarationibus aliàs editis finem non facerent obtundendi ſibi aures, animúmque curis alioqui graviſſimis belli Turcici, aliisque ſaucium importuniſſimis interpellationibus exulcerandi: indè renovat decreta ſuperiora de exterminandis præconibus; de reformatione ſtrenuò promovenda; cui moram ſi facerent, denunciat eos loco omni gratiæ & conceſſo aliàs exercitio privandos. Utrumque decretum datum eſt in caſtro Podiebrat die 18. Octobris anno 1598.

Rudolphus Cæſar ſatagit repurgandæ Diœceſis Paſſav.

Inter hæc Löbelius cum delectis reformatoribus, & manu militari majorem Auſtriæ ſuperioris partem oppidatim, vicatímque luſtrando, paſtores Catholicos pro alienis inducendo revocavit ad officium. Sed ſcilicet nondum obſtructus erat fons, non exciſa mali ſedes, nec ademptus corruptelæ receptus: nobilitas, cui eatenus parcebatur, ſuopte partium ſtudio, adhæo à proſcriptis accenſa, & ſcilicet ſpecioſo conſcientiæ obtentu palàm obniti, bona ſacra trahere, ducere, Catholicos Sacerdotes ipſi pariter expellere, Prædicantes reducere, divortia injuſſu judicis eccleſiaſtici facere: ob quæ Cæſar anno 1599. literis graviſſimis Löbelium admonuit, ageret, curaret, ne nobilitati conceſſionis limites adeò fidenter egrediendi veniam faceret. Id ille cùm diligenter exequeretur, arcem tamen negotii, id eſt, reformationem urbis Lincenſis anno primùm ſequenti aggreſſus eſt. Ejusdem generis pugnæ per inferiorem Auſtriam fervebant, illúdque potiſſimùm dabatur opera, ut non ferenti frænum licentiæ intra conceſſionis terminos ſcriberetur modus. Sed nimirum radice non revulſa perpetuò dimicandum erat cum ramentis fruticantibus; quæ cauſa erat, ut Mathias Archidux exemplo Ferdinandi conceſſionem ipſam nobilitati factam velut ſtirpem noxiam eruendam putaret; cujusmodi conſilium Rontifex Clemens Octavus in abroganda conceſſione Calicis prævivit, dedítque Leopoldo per Nuncium Apoſtolicum ſub anathematis denunciatione in mandatis, ut eum uſum aboleret, Sacerdotibus injungeret, ne poſthac laicis Chriſtum ſub utraque ſpecie porrigerent. Jam nuper ſub Georgio XIII. & Sixto V. incidente morte quorundam Epiſtoporum, quibus ejusmodi venia data fuerat, dubitabatur, an ea conceſſio ad ipſorum pertinuerit Officium, proinde valitura etiam in ſucceſſoribus; an affixa tantùm perſonis, extinguenda per mortem. Sententia fuit, extinctam videri cum

1599. Iteratum Rudolphi decretum pro Religione.

Pontifex Leopoldo mandat abrogare uſum Calicis.

perſonis,

perſonis, neque licitè uſurpandam ab ſacerdotibus, præterquam iis, quibus dicti Epiſcopi ante obitum, ejus uſûs gratiam fecerint. Caſu igitur ejus generis per exceſſum Urbani Præſulis nuper oblato, Clemens judicio deceſſorum inſtitit, pérque diœceſim Pataviensſem quamprimum effici juſſit. Leopoldus de re omni certiorem fecit Mathiam Archiducem: ſed hunc ea tenebat cura, ne ſi hunc lapidem ſibi movendum ſumeret eo tempore, reformationis negotium adhæreſceret, aut certè operoſius redderetur. Re in conſilium adducta decretum, uti delectus fieret virorum proborum, & expertæ doctrinæ, qui cum Melchiore Cleſelio re probè ventilata ſententias dicerent. id factum anno 1600. ubi erant, qui vetera recoquerent: rem eſſe ſeipſa non improbam, nec in ſacris paginis interdictam; in primordiis etiam Eccleſiæ uſitatam, aliáque ejusmodi dudum extrita: præterea fructum, qui extiterit ejus conceſſione ſub Ferdinando vulgata: Converſiones multorum; aliorum conſtantiam, & affectum adversùs rem Catholicam, quorum modò defectio pertimeſcenda ſit, aut certè mœror, & querela expoſtulantium, quid tandem culpæ in ſe admiſerint, ut ipſi uni privilegio, quod Viennenſibus, Neoſtadienſibus, vicinis præterea Bohemis, & Hungaris maneret integrum, fraudarentur. Et cui tandem agreſti ita conformandus ſit animus, ut exiſtiment tantundem ſub una ſpecie, atque ſub utraque ſumturum? non defuturos ab adverſariis ſarcasmos de furibus Calicis, de tyrannide Papiſtica, de ſtatutis arundineis, de fluxis pollicitationibus, quibus ſpecioſè ad Romana Sacra fuiſſent pellecti. 1600. Ea de re deliberatur.

Ex adverſo Cleſelius cum bono Theologorum numero, ac nominatim Henrico Hartungio ita diſſerebant: rem eſſe contra morem Eccleſiæ Catholicæ, mox ab obitu Pii IV. revocatum à Pio V. deinde eo pacto toleratam, ut cum vita Epiſcoporum expiret. Ipſum porro Pium IV. qui conceſſerat, poteſtatem revocandi ſibi disertè retinuiſſe, ſi fructus, qui ſperabatur, non extiteret, revocatam à Pontificibus eſſe quibusdam in locis; modò etiam à Clemente cum imperio ſupremo, atque anathematis indictione revocari per diœceſim Patavienſem. Nec ſuppetere exceptionem à fructu; quòd experimento cognitum eſſet poſt publicatam etiam Calicis veniam non diminutum hæreſum numerum, quin juncto agmine irrupiſſe; nec retentos in gradu Catholicos, quorum permulti ab eo tempore Romana caſtra penitus deſeruerint; alii ad Utriquiſtas defecerint, pudore ſcilicet multis ſuborto, ne religioſiùs cæteris avitos ritus colere viderentur. Id Alberto Bavariæ Duci viſum adeò indignum, ut incommodis etiam, periculiſque contemtis privilegium illud per edictum publicum ſuſtulerit: hoc ſanè potiùs imitandum eſſe, quàm ferenda illa inſolentium dicteria, quibus & è ſuggeſtu, & in ſcriptis glorientur, ſe Papiſtis accendiſſe lumen, emendâſſe ritum, feciſſe imitatores ſuos. Hunc plauſum obſtinationi ſervire: eripiendum rurſum eſſe; ſecùs fore ne unquam, ut religio priſtinam in his provinciis faciem induat; tantum abeſſe, ut interdictio calicis ſit allatura converſioni moram: non laboraturos de calice, ubi de reliquis conſtiterit. Qui contrà exiſtiment, iis intuendum exemplum Ferdinandi Archiducis, qui perfacilè impetrâſſet una ſpecie contentos eſſe, poſteaquam eos ad cætera cum Catholicis ſentienda deduxerat. Nec verò extimeſcendum in Catholicis motum, aut conſternationem animi, quin hanc potiùs è conceſſione orituram: multa eſſe hominum millia, qui paſtorum voce edocti animum ad ſpeciem ſimplicem adjecerint: his publicationem iteratam calicis gravi offendiculo fore, habituris Religionem Catholicam ad inſtar arundinis vento agitatæ, quæ jam deteſtetur idem, jam rurſum approbet. Horum potiùs habendam rationem, atque illorum, qui leves homines hæreticis potiùs, quàm Catholicis conformare ſe malint: & hos, ſi fidem ſinceram alant, aliorum exemplo breviter daturos manus: ſin contrà faciant, hoc ipſum indicium fore, non ultra ſpeciem Catholicos eſſe, quos veluti Zizania præſtet aliquando ſecerni de tritico; certè indignos, quorum causâ labefiant termini, quos Patres poſuerunt. Hæc univerſim contra uſum calicis militare, etſi alia incommoda non adeſſent: jam quæ Sacrilegia? quæ injuriæ ſacroſancti Myſterii, quæ in ejus promiſcuo miniſterio neceſſe ſit evenire? quàm citò vini ſpecies corrumpi?

corrumpi? quàm facilè effundi, præcipuè ſi deportari aliquò, aut vehi contingat? ut nihil dicatur de abſterſione labiorum, de morbis contagioſis, aliisque talibus.

Decernitur antiquatio calicis. Difficultates objectæ.

His ultro citróque diſputatis placuit, ut uſus calicis antiquetur. Nec mora fuit in Patavienſi Epiſcopo, qui ocyùs decretum fecit, ùt illi cenſuêre: uſum calicis edicto vetuit; id non perinde æquo animo accipiente Archiduce, qui ita cenſebat, Ordinarium non rectè, ac providè è tranquillitate publica feciſſe, quòd Cæſare non poſtulato interdictum calicis propoſuerit: decuiſſe, ut Cæſaris authoritate tolleretur, quod Cæſaris authoritate fuerat antehac publicatum. Et verò conſtituerat apud animum ſuum Rudolphus, omnia relinqui loco priore; cui tamen Archidux ſuadebat, ut quoniam Papa abrogationem mandâſſet; Theologi cenſuiſſent; Epiſcopus etiam edicto ſanxiſſet; ſi certum haberet, nihil moveri; ageret, legaret hominem Romam, qui orato Pontifice impetraret prorogationem ſententiæ in aliud tempus, quo promtior abrogandi copia ſe daret. Ita literæ Archiducis, quibus tamen per negotia graviſſima, & valetudinem Cæſaris auſcultatum haud fuit; nec legatio ſuſcepta, ſed cuncta, quo fuerant, eo ſtatu manſêre; eo tamen fructu, ut conſtantior indè exercretur conatus à paſtoribus, ut, quod apud plurimos alioqui refrixerat, etiam reliquis eximerent calicis deſiderium: cui demum penitus extinguendo ſatirs viſum exequi caput rerum, refomartionem urbium, quæ anno 1600. ſuſcepta Lincii duce laudato aliàs Löbelio, cui Rudolphus menſe Martio peculiare mandatum idcirco transmiſerat, adjunctis Commiſſariis, qui in ſubſidium evocatis Jeſuitis duobus, Georgio Scherero, & Joanne Zehendnero ſaxum operoſum moliti ſunt, proſcripto primùm è Curia Provinciæ, quod illic agitabatur, alieni cultus exercitio; deinde Scholiaſtris, & Prædicantibus ſolum vertere coactis. Reprehenſi à Cæſare Confeſſioniſtæ de injuriis Epiſcopatui Patavienſi allatis, de ſubtractis præter fas & æquum juribus etiam ſpiritualibus; exprobrata præcipuè ſuperiorum Auſtriæ ſtatuum libertas, qua talia deſignarent, cujusmodi inferiores Auſtrii nihilo ipſis deteriores ſibi ſumere nè unquam auſi fuiſſent. Cæterùm illud in malis acceſſerat, quod fervente in Styria reformatione multi, quibus iſthic lares adempti fuerant, in vicinam ſe Auſtriam intulerunt; ibi nobilitatis præſidio tegebantnr, quibuscum multa dehinc negotia Patavienſibus fuêre.

relinqnitur res loco priore.

Reformatio urbis Lincenſ.

III.

Transactio inter Cæſarem & Paſſavienſes de bonis relictis parochorum.

Eodem anno 1600. confectum eſt inter Rudolphum Cæſarem, & Adminiſtratorem Patavienſem Chriſtophorum Pötinger de Perſing inſtrumentum de bonis relictis Parochorum: quod nuper cum Urbano transactum, per ejus valetudinem perſcribi haud poterat. Ejus tenor eſt, ut in eventu mortis parochi aut beneficiarii ſocius ejus adjutor (Capellanum vocant) ſi quem habuit, aut in hujus defectu Decanus proximus, aut parochi duo, qui id primi reſciverint, cum judice, aut juratis facultates omnes obſignent. Quo facto Ordinarius, aut ejus Officialis de re omni certiores facient Vicarios Principis, qui Decanum proximum ruralem, aut parochum, cum vicino quopiam nobili Catholico nominabunt; hi die cum Ordinario condicta dum obſignatio ſolennis, & index rerum inventarum conficitur, aderunt; ipſi rem œconomicam, Ordinarius autem res templi conſtituet: ſupremas tabulas, ſi quæ fuerint, ipſe item Ordinarius ad ſe recipiet, proclamari jubebit, ratas aut infectas pronunciabit; omne denique negotium teſtamentarium rogatis ſententiis *conſiſtorialiter* exequetur, ſic tamen, ut præſens ſit Juriſconſultus à Regentibus Inferioris Auſtriæ ſubmiſſus, qui aſſeſſum duntaxat, non item *votum* habiturus eſt. Eadem ratio ſervanda in iis, qui ab inteſtato deceſſerint; ubi ſi res inter Commiſſarios utriusque partis pacificè tranſigi poterit, id ita fiat: Cæterùm oborta lite judicem agat Ordinarius, uti ex teſtamento, ſic ab inteſtato: à cujus judicio ſi qui appellent, tum ea appellatio cognoſcetur ad modum Reviſionis in aula Cæſarea per quatuor Commiſſarios Catholicos, quorum duo de regimine, duo item à partibus Ordinarii deputabuntur: horum ſententia ſuprema eſto, néve ultrà appelletur: at ſi quatuor illis ſententia non conſtiterit, iidem ſibi quintum adſciſcent velut arbitrum ad facienda *majora*. Hæc

Rudol-

Rudolphus Cæſar, & Adminiſtrator Patavienſis cum Decano, Sniore, & Capitulo pro ſe, & ſucceſſoribus habent rata citra fraudem aliorum jurium, quæ alterutri parti præter jam dicta competere videbuntur. Datum in arce regia Pragenſi die 2. Novembris Anno 1600.

IV.
Leopoldo deficitur Epiſcopatus Argentinenſ.
Nondum ei conceditur reſidere Paſſavii.

Annum quintum decimum ætatis agebat Leopoldus in aula fratris Ferdinandi inter felices rei Catholicæ manubias adoleſcens; cùm ei præter infulam Pataviensem etiam Argentinenſis (cujus Antiſtes adhucdum in vivis erat) ope fratris, & Rudolphi Cæſaris parabantur, Mater etiam pro filio ſatagebat, ſtudium conferente civitate Patavienſi, uti ei propria ornaretur aula collatis Epiſcopatuùm impenſis; atque uti domicilium Pataviæ obtineret: verùm obſtitit Rudolphus Cæſar, cauſatus pacta ante electionem conventa, jureque jurando inter Commiſſarios, Legatóſque, Auſtriacum & Bavarum conſtituta; neque id fore è rationibus Auguſtæ Domûs, præcipuè quòd Capitulis Imperii, nominatim Argentinenſi, materia detur accuſandi fidem Cæſaris, ſeu ſecùs, ac ſtatuta ſinant, in eos decernentis. Quare conſilium omne in adultiorem Leopoldi ætatem rejectum; fuitque in Ferdinando ea pro Germano cura, quæ nihil ad rem ejus familiarem, ſeu neceſſariam, ſeu commodam deſiderari pateretur.

1601.
Negatur extraneo Canonicatus Patav.

Cum Capitulo Patavienſi aliud eodem anno 1601. negotium fuit. Ferdinandus Archidux gratificaturus Mantuano Duci, qui in obſidione Caniſæ ſociam ſibi operam navârat, oravit Cæſarem, apud Patavienſes auctoritatem interponeret, quò Mantuani Ducis filium in Canonicorum numerum cooptarent. Reſpondit Cæſar, ſibi id nequaquam eſſe in promtu, quòd legibus Patavienſium cautum eſſet, ne cui ultramontano, aut alterius nationis, præterquam Teutonicæ, intra Coloniam ac Tridentinam diœceſim comprehenſæ Canonicatus daretur.

Leopoldus dat ſpecimina pietatis & zeli.

Feliciùs Ferdinando conceſſerat religionis inſtaurandæ ſtudium, in quo ſuas quoque partes exerebat Leopoldus in recuperandis per Styriam ſuperiorem templis, quæ ſibi factio diverſa uſurpaverat: id factum hoc ipſo anno 1601. Judenburgi, ubi illum Auſtriacæ pietatis morem popularibus præivit, ut ex eo quadraginta horarum dimenſo, quod fundendis ante ſanctiſſimum Sacramentum precibus deſcriptum erat, plures etiam horas ſibi de genibus ſupplici exigendas putaret. Pompam illam Euchariſticam Catholicis propriam, quæ ſeneſcente nuper avito cultu exoleverat, ſolenniùs inſtauratam anno ſequenti in Græcenſi Metropoli Leopoldus cum Fratribus comitatus eſt: triumphum ducere placuit non per urbis modò compita, ſed per pomœria quoque, ubi ventis, & imbribus pietatem laceſſentibus, populus tamen univerſus, qui ſolito frequentior affluxerat, ipſique Archiduces nudatis capitibus primò pulverem copioſum, deinde imbrem pro ſanctiſſimi Ferculi honore libenter exceperunt.

V.
Promovetur ſtrenuè Reformatio.

Zelum Epiſcopi diligenter æmulabatur Adminiſtrator Pataviensis, aliíq; ejus diœceſis parochi, quorum ſtrenui conatus in profligandis alienorum dogmatum ſeminatoribus eluxêre: cúmque & Rudolphum Cæſarem indè immotum in perurgendis pro religione decretis; hinc Mathiam Archiducem eadem nihilo ſegniùs exequentem; & Patavienſes in omnem partem excubantes cernerent heterodoxi, eo delapſi ſunt, ut interventu Provincialium ſuperioris Auſtriæ querelas facerent apud ipſum Epiſcopum, orarêntque, uti Adminiſtratoris ſtudia in perniciem ſuorum ſequacium comparata mandatô comprimeret. Literæ datæ Lincii die decima Auguſti anno 1601. quin illud clam, palámve agebant, ut exturbatis è nido præconibus locum denuo reficerent. Sed eos Rudolphus iterato edicto, & prædicantibus in cuſtodiam abripi juſſis, fruſtratus eſt; introductiſque in duas Lincenſis urbis Eccleſias Jeſuitis ad deſperationem potiendarum illic rerum adegit. Mathias item Archidux eas nobilitatis tricas pertæſus eorum primores ad ſe evocatos ſingillatim convenit, petiitque, uti præciſè mentem declararent ſuam, utrùm decretis Cæſareis gerere morem, abolitum Lincii religionis exercitium nunquam reducere, in oppidis ac civitatibus obedientiam Cæſari à ſubditis procurare parati 1602.

 ſint.

ſint. Ad ea diu multúmque tergiverſati demum animadverſà Archiducis moras omnes reſpuentis conſtantiâ dedêre ſinguli fidem, ſeſe poſthac in Officio fore: tum Archidux prehenſa comiter ſingulorum manu ab ſe dimiſſis veniam ad ſua redeundi dedit: inde in civitatibus,& oppidis Conſules, Judices, Notarii, aliique Officiales Cæſarei, qui Auguſtanum dogma ſectabantur, exauctorati, Catholicis in eorum locum inſtitutis: de civibus, qui alienis in locis animas curarent, ſumptæ pœnæ. Secuta mox plurium inferioris Auſtriæ civitatum inſignis fidei Catholicæ profeſſio. Poſteaquam enim mandatum Cæſaris anno 1602. poſtremum emanaverat, literas officii, fideíque Catholicæ teſtatrices edidère urbes ſequentes: Neoſtadium, Egenburgum, Corneoburgum, Leythepons, Tulna, Zwetla, Rezium, Weidhovium, Theja, Badena, Hamburgum, Weitra, cum oppido Gumboldskirchen, quarum ſententia erat, agnoſcere ſe, extra Eccleſiam Catholicam nec verum Sacerdotium, nec Sacramenta, nec ſalutem eſſe. Probabant dogmata, & ceremonias Eccleſiæ Romanæ, ſpeciatim Communionem ſub una ſpecie; ſacroſanctum item Miſſæ Sacrificium, ceu ab Chriſto inſtitutum; denique fidem omnem extra Eccleſiam Catholicam eſſe pſeudo-Evangelicam, ac deteſtandam.

VI. Hæc ejusmodi erant, quæ in privilegii ſui perniciem interpretati pro-
1604. vinciales acriter primùm cum Rudolpho queſti; deinde tranſmiſſis ad Aca-
Provinciales ſe obmovent. demias acatholicas gravaminibus, contulêre demum capita in hanc ſententiam, quam literis etiam publicis declaraverunt: *edictis Cæſareis acquieſcere nequaquam poſſe: malle omnia perpeti, quàm facere imperata.* Ad hunc rerum articulum poſt multas conſultorum, ac decretorum ambages, poſt tot inducias obſtinationi datas, temporáque fruſtra captata, certamen omne velut ad prin-

Agitur de extinguendo Nobilium privilegio. cipia revolutum eſt. Mathias Archidux fœditate rei percitus, inſtinctu haud dubiè Leopoldi & Cleſelii, non jam tenorem privilegii diſquirendum ratus (id enim Cæſar ei demandaverat) ſed ipſum privilegium tot malorum fontem opprimendum cenſuit. Literas conficit, quibus auctor erat Cæſari, ut conceſſionem à Maximiliano factam, quod minatus dudum fuiſſet, aliquando reſcinderet: eam in rem argumenta confert permulta: primùm uteretur ea poteſtate, quæ cuivis terræ Principum ſuis in Provinciis eſſet; ídque ob moleſtias, quas ex ea conceſſione à ſtatibus non rarò hactenus Cæſar acceperit: difficultatem, quæ timeretur, ac tumultus, qui exiſtere fors poſſent, anni ſpatio poſſe componi; ſed hanc annalem moleſtiam longè fore leviorem, quàm quæſtionem de conceſſionis ſententia inſtitutam. Adhæc eſſe cauſas alias innumeras, quæ impellere Cæſarem ad hujusmodi Conſilium debeant. Præterquam enim, quòd conceſſio adverſetur fidei Catholicæ; aliena ſit à poteſtate Principis ac Magiſtratûs civilis; conjuncta cum exitio Infinitarum animarum, quarum ſanguinem de manu Rectorum repetiturus aliquando ſit Deus; illud etiam in propatulo eſſe, rem etiam politicam nunquam rectè habituram in ea religionum inter ſeſe pugnantium diſcordia, quod multis hactenus periculis abunde patuerit; quæ ſi proviſa fuiſſent Maximiliano divæ memoriæ, aut ſi hodie ſuperſtes ea videret, nunquam ei probatum iri id, quod olim quietis, & hæreſum minuendarum cauſa concedendum putabat: ei conſilio non conſtare finem: neque enim hæreſes diminutas, quin novas indies exortas; avitam religionem oppreſſam; neque obſervatam privilegii conditionem, quæ erat, uti omnes Auguſtani è certa Agundorum norma, ſua facta temperarent: quémque ſibi pro libidine fabricâſſe & agenda, & credenda: non ſtetiſſe pactis, queis cautum fuerat, ut in civitatibus & oppidis exercitium ſuæ religionis ne inveherent; & Viennæ, & Lincii, & aliis paſſim urbibus contrarium factitâſſe: nullum tenuiſſe modum in arripiendis, quæ exceptæ fuerant, Eccleſiis, infringendis parochiarum juribus, abſtrahendis ad ſuas partes Catholicis; denique delictis, & exceſſibus intolerandis, quibus edicta ſuæ Majeſtatis violare inſolentiſſimè ſint auſi: quo non melior ſpes ſit in reliquum fore, ut novis ejusdem Majeſtatis in temperanda, & interpretanda conceſſione ſententiis reverentiam habituri ſint: proteſtando, refutando, aliíſque modis obniſuros, nihilque minus quàm obſequium facturos. Neque profici quid-

quam

quam agendo cum ſingulis, aut viritim; quod quidem hactenus nullo uſu tentatum ſit. Status acatholicos unum ſe corpus dicere: ſectis quamlibet diſcrepantibus, conjunctas tamen inter ſe rationes habere; quo magis metuendum ſit, ne res Auſtriæ evadant indies deteriores ob colluviem advenarum, errores varios eodem ſub nomine inferentium: Flaccianiſtas dudum irrepſiſſe; nobiles è Gymnaſiis Calvinianis reduces ejus furfuris Præceptores in patriam accerſere; parochis, præfecturiſque dominiorum præficere; quorum hominum tanta ſit inſolentia, ut in Majeſtatem ſuam è publicis exedris contumelioſa conferant exempla Jeroboami, Achabi, Neronis, Maxentii, aliiſque talibus incitato populo, orationes etiam præcant in hanc ſententiam: ut DEUS Optimus Maximus aut affligere Majeſtatem ſuam, aut è tenebris in lucem educere dignetur. His addi alia è ſacris paginis ad populum in contumacia obfirmandum; quæ ſi porrò gliſcant, ſi Calvinus invaleſcat, quid tantum abfore, quo minùs Auſtria in idem malorum ſe induat, quæ Gallia, quæ Britannia, Belgicáq; aliquando perpeſſa ſit? ſeditionem quippe certam eſſe, ut qui pravitatem conſiliorum, ceptorúmque ſuorum ſtimulis conſcientiæ tribuant; fundere ſanguinem adverſantium religioſum factum arbitrentur; quod eo promptiùs facturi ſint, quo novis Indies acceſſionibus eorum, qui è Provinciis Ferdinandi depulſi ſint, invaleſcat numerus, viréſque augeantur. Nullam jam ſuppetere frænum à Magiſtratu Eccleſiaſtico, ut adversùs quem obſequium omne dudum exuerint, intrepidè confeſſi, nullum ſe loci Ordinarium præter Chriſtum agnoſcere: revera hoc unum ſpectare, ut ſine lege, ſine fræno, denique pro libidine faciant omnia. Hinc illæ connubiorum labes nulla habita neceſſitudinis ratione, tam abnormes, ut ſuppliciis etiam tolli debeant, itáq; plectendos cenſuerit Divus Genitor; quæ ſi tolerentur, quid aliud reſtare, quàm ut toleraretur etiam atheiſmus, quem durante conceſſione ſubingredi neceſſe ſit? hæc omnia majorem in modum valere quoad Ordines ſupra Anaſum: his enim nullum peculiare privilegium conceſſionis datum; ſed id modò: quòd conceſſione ſtatuum infra Anaſum gaudere iis liceat. In eo tamen eos deficere, quòd literas, ùt vocant, reverſales ſeu cautionem, quam oportebat, nullam adhuc reddiderint, de uſu videlicet privilegii in ſuis tantùm perſonis, & familiaribus exercendo. Præterea mentem concedentis fuiſſe, ut ad normam cum Auſtriacis inferioribus eandem ceremonias & exercitium ſuum inſtituant: talem ipſos nondum conſeciſſe. Rurſus Cæſarem noluiſſe conceſſionem ratam absque decreto aſſecurationis; cujusmodi tamen ne ullum ſtatibus ſupra Anaſinis collatum ſit. Quæ cùm ita ſint, liquere ſanè, acta conceſſionis, eorum reſpectu, irrita & infecta eſſe. Verùm hæc gratis diſputari, ubi patet ceſſantibus cauſis, conditionibus, pactis conceſſionis univerſim, ipſam quoque conceſſionem ceſſare. Quæ cùm ſint juris, accedere in cumulum alia graviſſimi ponderis, quæ incitare mentem ſuæ Majeſtatis ad eam abrogandam meritò debeant, periculum corruptionis univerſalis, quòd Catholici paſſim Conciones prædicantium frequentent: ex adverſo ſpem fructus uberrimam, ſi conceſſio reſcindatur: id equidem facto compertum eſſe, poſt ejectionem quorundam Prædicantium variis in locis, Viennæ præcipuè, Catholicorum numerum multis auctum millibus, eo maximè, quòd, uti ipſimet confeſſi ſint, deſtituti alienis præconibus cogerentur audire Doctores Catholicos, quorum ſermonibus veritatis lumen ceperint intueri. Quæ non ſperanda rei Catholicæ meſſis, ubi depulſis univerſim inimicis ſuperſeminantibus zizania, ſementem Divini Verbi ſinceram omnes acceperint? agi de ſalute animarum Chriſti Sanguine redemptarum: agi de fama & nomine Auſtriacæ Domûs, quæ dudum gloriam ſibi immortalem pepererit ob extirpatas hæreſes, reſtitutam fidem, erecta monaſteria, aliáq; pietatis monimenta. Eſſe in præclaris majorum exemplis, quod imitari pulchrè poſſit Majeſtas ſua, haud ſanè feliciùs, quàm adimendo ſtatibus conceſſionis privilegium: quod & tempus ipſum modò opportuniſſimum ſuadeat, & auctoritas Cæſaris, qua apud ſtatus & Principes polleat, efficere præſtò poſſit. Hæc aliáque cùm explicaret Archidux, ea quoque, quæ deterrere Cæſa-

Rudolphus conceſſionem refigere decernit. impeditur. 1605.

Cæſarem à propoſito valerent, accuratè confutaſſet, res ab Rudolpho ad Conſilium relata, iſthuc progreſſa eſt, ut decerneret Imperator conceſſionem reſcindere: ſed concitata ſubinde per Bozkajum ſeditio, aliíque, qui offerebantur, metus ſalutari ſententiæ attulêre moram: quum è converſo Legati proteſtantium Ordinum apud Cæſarem Pragæ anno 1605. ſuum negotium ſtrenuè facerent; erátque non obſcurum, ſtatibus heterodoxis Auſtriæ rem eſſe cum Botzkajo.

VII. Leopoldus regimen aggreditur. Zelus ejus & prudentia.

Adoleverat interea Leopoldus Archidux capeſſendis nunc demum Eccleſiæ faſcibus maturus: poſteaquam in Academia Græcenſi anno 1605. Philoſophiæ placita in theatro propugnâſſet, quò divinis etiam artibus ad munus propoſitum ſe efformaret, ſacris commentationibus dies aliquot ſecretus dedit; indéque ad Eccleſiæ Patavienſis regimen acceſſit; in quo illico patuit impenſum tuendæ religionis ſtudium cum inſigni prudentia, quam laudem ei propriam Kevenhüllerus tribuit; in negotio regendi nihil ſtatuere ſolitum, niſi rebus accuratè proviſis; ubi decreverat, toto pondere in executionem operis incubuiſſe. Opportuno planè tempore Patavienſibus advenerat, quo

Proteſtantes Auſtrii ſe reficiunt. 1606. Simultatum inter Rudolphum & Mathiam initium. 1607. Auſtriaci acatholici gravamina deferunt.

Proteſtantes Auſtrii per occaſionem rebellionis Hungaricæ efferre rurſum capita ceperant. Quum iſthic fines Auſtriacæ urerentur; illic apud Rudolphum Cæſarem malis publicis perculſum Mathiæ Archiducis religioſa conſilia parùm procederent, illud etiam in malo fuit, quòd ſcintillæ quædam ſimultatis inter hunc, illúmve ſubortæ ſunt. Heterodoxi judicium Archiducis averſati, præterita prima, quam vocant, inſtantia cum Cæſare ſua omnia tranſigere inſtituerant, illud etiam adversùs Mathiam queſti; in officiis publicis priores Catholicis dari partes: de quo Archidux ab Cæſare admonitus literas reſcripſit ejusmodi, quæ ſemen fuerunt ſubſecuti diſſidii; quod cùm Proteſtantibus ſuboleret, tempus ſibi datum rati, repetitis querelis & explicatione gravaminum convenêre Cæſarem: incuſabant Catholicos fœderis recèns inter ſeſe percuſſi, quo in rebus ad religionem ſpectantibus nemini concedere ſtatuiſſent. Sed eos Cæſar per Decretum die 21. Junii anno 1607. acriùs perſtrictos remiſit ad Archiducem, in quo potiſſimùm ea tempeſtate ſpes atque opes rei Catholicæ per Auſtriam ſitæ erant. Apud eum Leopoldus Epiſcopus eodem tempore Catholicorum cauſam, qui ſua itidem gravamina

Idem Catholici faciunt.

per Cleſelium Viennenſem Epiſcopum detulerant, procurabat; edito pariter avito Auſtriaci moris exemplo, quo uterque Principum ſolennem ſacroſancti Ferculi pompam inſigni pietate proſecuti ſunt. Sed quod dixi de gravaminum recenſione per Catholicos oblata, venit in manus inſtrumentum longè præſtantiſſimum à Cleſelio, ùt adnotatur, confectum, atque occaſione eorundem gravaminum Archiduci, nomine Catholicorum oblatum, quo non tantùm patrocinium Principis implorat, ſed ortum etiam & incrementum Lutheraniſmi per Auſtriam à principio atque ùt dicitur ab ovo repetit, digniſſimum planè quod in lucem exeat. Sententiam ſcripti idiomate vulgari compoſitam ad verbum reddimus.

Sereniſsme Princeps Archidux Auſtriæ &c. Clementiſſime Domine.

VIII. Relatio fundatiſſima de ortu & progreſſu Lutheraniſmi in Auſtria.

ANni ſunt jam propè ſexaginta, ex quo in hanc celeberrimam juxtà & laudatiſſimam patriam noſtram id eſt Auſtriam irruperunt hæreſes, ac pedetentim tantam ediderunt ſtragem præcipuè inter nobilitatem, ut familiarum antiquiſſimæ eæque plurimæ lectitando codices ab Luthero vulgatos dubitare primùm & vacillare cœperint, deinde aut defecerint penitus, aut eò certè redactæ ſint, ut præſertim circa Communionem ſub utraq; ſpecie, Sacerdotium conjugia, circáque alia nonnulla cenſerent doctrinam acatholicam præ Catholica veriorem: & quoniam id temporis apud Acatholicos Wittenbergæ, Lipſiæ, atque alibi ſtudia literarum florerent, illud evenit, ut filios ſuos, alióſque cognatos ad ea mitterent loca, literis ac præcipuè Latinæ linguæ præceptis imbuendos, patriæque formandos. Sed hæc ipſa fuit occaſio

caſſo, corruptelæ: nam adoleſcentes unà cum literis hauſto veneno cùm repetiiſſent domos, ſectarios prædicantes gregatim invexerunt in patriam; Præceptores ſuos & famulos promoverunt ad præfecturas & munia publica; per iſtos rudem plebeculam & ſubditos in ſuas opiniones attrahere, Catholicos parochos & ſacerdotes premere ac ejicere, aut à ſenſu Catholico abducere conati ſunt. Eorum proventus verterunt in rem ſuam; ſubrogarunt prædicantes, tantilla modò penſione depulſis relicta: denique ubi ubi poterant Clericos æquè ac laicos vicinos ſuos Catholicorum ſubditos ab ſacris Orthodoxis avertere, nulli induſtriæ pepercerunt.

Quòd autem nobilium iſtorum, qui ex hujuſmodi Univerſitatibus redierant, parentes propter zelum Catholicum Ferdinandi Cæſaris pientiſſimæ memoriæ in cauſa religionis palàm erumpere non auderent, ſed in ritibus externis Eccleſiæ Catholicæ & ipſi ſeſe conformare cogerentur, edocuerunt liberos ſuos eandem ſimulationem, ut ſi quando in aula Cæſaris comparerent, concinnè ſe gererent, nec offendiculo cuiquam eſſent. Iidem autem parentes, quorum in manibus tum erant publicæ res, filios etiam ſuos ac neceſſarios (qui ſectam acatholicam altioribus etiam fundamentis præ ſuis parentibus interiùs defixam habebant) in ejusmodi conſiliis, ubicunque facultas eſſet, tanto promoverunt fervore, ut præter Senatum intimum non modò Collegia reliqua & implerent ipſi & poſſiderent, ſed etiam faſces, principatúmque Collegiorum omnium occuparent.

Quod ùt primum eſt factum, dicto citiùs id egerunt, ut à Libellis & quidquid eſt Tabularii reliquorúmque munerum ab eorum Collegiis dependentium omnia per ſectæ ſuæ ſequaces procurarent ac refercirent, adeò ut Catholicorum pene omnes ſub hujuſmodi gubernatione uſque ad hodiernum Cæſarem oppreſſi penitus ac diſſipati ſint; atque tam fuit Religio proſtituta, ut parochiæ ferè plurimæ bonáque eccleſiaſtica ab ſtatibus hiſce acatholicis & officiariis aut occuparentur facto, aut in controverſiam vocarentur. Catholici hunc in modum ſubacti ſi injuriam quererentur, oportebat hoc fieri apud regimen inferioris Auſtriæ, aut ſupra Anaſum apud tribunal Prætoris Provinciæ, & hìc quòd gubernaculum eſſet penes acatholicos, qui ad derogandum rebus Catholicis obſtringi ſe conſcientia ducebant, nulla unquam reddebatur ſententia decretoria; quum interea Catholici cùm Eccleſiaſtici tum ſeculares vita deficerent, partim etiam contabeſcerent, adverſariis perdurantibus in poſſeſſione.

Ad hæc eam quoque uſurpabant artem, ut ſi quando Prælatos aut Curiones Cæſareæ Clientelæ ſubjectos contingeret excedere de vivis, continuò, ſi modò eſſent vicini, ſpecioſo regiminis aut ærarii publici, cui præſidebant, obtentu; quódque tum nullus eſſet Clauſtralibus in Conſilio locus, ipſi ſe commiſſarios, obſignatores, inventarios, & executores proponerent, ac inferrent; ex quo illud imprimis commodum capiebant, ut ſi quam haberent cum vicinis eccleſiaſticis litem, ejusmodi fundationum tabulas & inſtrumenta conquirerent, iiſque ex commodo uterentur ſuo. Quo factum, ut in vetuſtis fundorum codicibus apud Prælaturas & parœcias adnotati quidem reperiantur proventus, fundationes, parochiæ, filiales Eccleſiæ ac beneficia; at ipſæ fundationum literæ, aliáque juris adminicula, quæ ad agendas in judicio cauſas neceſſaria ſunt, deperdita fuerint ac erepta. Nihilo meliùs cum miſeris Catholicis egerunt Procuratores cauſarum. Horum ordo, quòd è ſectariis conſtabat (nemo enim Catholicorum eo munere tunc in Provincia fungebatur) inſtrumenta litium, quæ apud eos reponi oportebat, eundem in modum peſſumdederunt; adeò ut perpauci Catholicorum, ſi cauſa eſſet per viam juris tractanda, optatum exitum conſequi poſſent.

Ut verò ſtatus Eccleſiaſticus, in quo Religio fundata eſt, magis etiam accideretur, & enervaretur, ſuadebant hujus farinæ Conſiliarii ſuæ Cæſareæ Majeſtati, ut Eadem quartam partem bonorum Eccleſiaſticorum vendi, cimelia templorum confringi, ac igne diſſolvi, pecuniam pro bello contra Turcam impendi juberet; quod ipſum ſua Cæſarea Majeſtas, ùt quæ Conſiliarios

ſuos pro Catholicis habebat, quamprimùm executioni mandavit. Ex primo capite prædicti Conſiliarii augebant res ſuas, & quisque eorum, quæ in ſuis dominiis ſita erant, tam vili pretio ſibi vendicabat; ut, quæ id temporis tribus millibus florenorum ex bonis Eccleſiaſticis emebant, ea nunc pro tricies mille licitari non ſuſtinerent. Ex altero capite, ornatus, Majeſtas, & pietas, qua populus Eccleſias proſequebatur, iisdem ſublata: oſtenſoria confracta, ſacræ reliquiæ ejectæ, indices literæ, quibus Sanctorum nomina referebantur, laceratæ, ac deperditæ ſunt. Atque adeò hi Conſiliarii ex utroque capite tam Eccleſiis quàm Eccleſiæ ſervientibus propter horum ſuſtentationem tantum ruinæ, ac damni attulerunt, ut videretur tota Religio Catholica hoc pacto ſponte ſua in his terris collapſura; quod etiam tantum non reipſa evenit.

Neque hic finis calamitatis erat; verùm per ejusmodi Conſiliarios perſuaſum eſt ſuæ Majeſtati, quòd Ea in ſuis regnis ac provinciis de omnibus bonis Eccleſiaſticis, vi authoritatis Principalis, ſine præſcitu, aut conſenſu ſuæ Sanctitatis aut Ordinariorum, pro arbitrio diſponere, eadem elocare, vendere, donare, ac impendere prout luberet, poſſet. Ex quo Conſilio ſua Majeſtas ſtatim aliquot monaſteria donavit civitatibus, quæ ex iis hoſpitalia, armamentaria, ſcholas, & ſimilia conſtruxerunt; alia verò Provinciæ, civibus & mercatoribus pro ſumma pecuniaria oppignoravit, qui interea tam monaſteriis, quàm eorum proventibus fruebantur, & in parochias ad hujusmodi monaſteria pertinentes ſectarios prædicantes invehebant, ac ſubditos, vel unà omnes, à Catholica Religione ad hæreſim abſtrahebant.

Quæ autem monaſteria etiamnum conſiſtebant, his ſua Majeſtas de Conſilio ejusmodi Conſiliariorum, Præfectos, Judices, & Antigraphos conſtituit, ſuæ tantùm Majeſtati, & præfectis ærarii, devotos & juratos. Iſtis imperatum invigilare in proventus, officio ærarii inferioris Auſtriæ rationes reddere, & quæ à monaſteriis non conſumebantur, dicto officio conſignare. Atque ad hæc munia Collegium Cameræ promovit Magiſtros Wittenbergicos mortalium vaferrimos, & in cauſa religionis fallaciſſimos, qui ſimplices Prælatos & cœnobitas adeò circumvenerunt, eósque induxerunt, ut non ſolùm omnes ſuos ad monaſteria pertinentes parochos per ſectarios prædicantes; ſcholas verò ad eundem modum per hujusmodi Wittenbergicos Magiſtros, & ſtudentes, ſuppleverint; ſed & ipſi à Catholica fide defecerint, ſubditos ad novam doctrinam adegerint, imò in ipſis etiam monaſteriis, ac templis prædicantes conſtituerint; Tirones ſuos Wittenbergam ad ſtudia perdiſcenda miſerint; qui quum nihilominùs in monaſteriis habitum cœnobiticum retinerent, ceterà tamen acatholicæ doctrinæ penitus adhærebant; quoadusque demum permulti prædicantium connubia palàm inirent, quibus inſuper pro dote nuptiali à monaſteriis parochiæ magis opimæ, aut magnæ penſiones ab Aula, ex mente illorum Conſiliariorum, attributæ ſunt.

Quanta verò detrimenta ab ejusmodi Prælatis, Monachis, Magiſtris, & Monaſteriorum ſcholis, in Bibliothecis, Miſſarum & hymnorum libris, qui deperditi, conſciſſi, & corrupti ſunt, ac præſertim Canon Miſſæ undequaque excerptus, allata fuerint, oculi teſtes ſunt.

Sed neque hic ſiſtebant illorum Conſiliorum artifices; verùm Majeſtati ſuæ, poſtquam Ea de fortunis hunc in modum diſpoſuit, hoc etiam perſuaſum fecerunt, fas eſſe Principi per nomen, quod gereret, etiam de ſacris diſponere: id quod placita ipſorum & ſententiæ, quas ab anno 1524. ad hanc usque Cæſaream Majeſtatem ediderunt, & adhuc in manibus ſunt, teſtantur. In iis de poteſtate Pontificis, & Ordinariâ controverſiam movent, articulos fidei in dubium vocant, clavem jurisdictionis Ordinariorum, cum omnibus Eccleſiaſticis tribunalibus ſublatam cupiunt ac rejiciunt. His igitur ſpecioſis reformandorum ſacrorum Conſiliis inducta ſua Majeſtas integrum reformationis Ordinem in Epiſcopis, in Monaſteriis, in Clero ſuſcepit, ac inſtituit; in quo Ordine præſcribit, quot ſacra ſolennia fieri, quemadmodum horæ cantari, Sacramenta adminiſtrari, Sacerdotia procurari oporteret. Inter cætera dicti Conſiliarii peculiariter meminerunt, placere ſuæ Majeſtati, ut vota caſtitatis, & alia

viris

viris æquè ac fœminis auferantur; ut Sanctimoniales non Latino, ſed Germanico idiomate in cantu uterentur; ne fortaſſe impleretur illud Scripturæ: Populus honorat me labiis, cor autem eorum longè eſt à me. Et erat hic ordo reformationis tantæ dignitatis habitus, ut ſua Majeſtas omne nomen Prælatorum, infra & ſupra Anaſum, ad aulam ſuam evocaret, iisque mandaret, hunc ordinem publicari, eóque Prælatos omnes contineri. Tum etiam mox ſtatutum eſt, ut ab Epiſcopatibus Viennenſi, & Neoſtadienſi per totam Provinciam Antiſtites omnes utriusque ſexus dum officium adeunt, adpromittere, obſtringere ſe, ac vovere debeant, huic reformationis ordini per omnia obſecuturos. Quemadmodum ſua Majeſtas eorundem Conſiliariorum inſtinctu, in Epiſcopatibus Viennenſi, & Neoſtadienſi ſpecialem Eccleſiæ reformationem inſtituit, Epiſcopo, Præpoſito, Decano, Capitulo, totique Clero, ut ab his reformatio obſervaretur, Anwaldtum, & Conſulem hic loci inſpectores eſſe juſſit, cum mandato, ut, ſi quam negligentiam notaverint, primùm admonerent; ac ſiquidem nihil proficerent, indicarent aulæ. Ut proinde ſtatus Eccleſiaſticus in ſacris æquè ac profanis per totam provinciam, prædictis Conſiliariis ſubjectus fuerit. Ex quo ſequebatur, ut, qui vellet favorem, aut promotionem conſequi, vel res ſuas cum quiete & ſecuritate poſſidere, is in cauſa religionis ad horum chordam ſaltare cogeretur. Atque hoc genuinum eſt fundamentum, ex quo per totam Auſtriam Eccleſiaſtici juxtà & ſeculares ab Catholico cœtu defecerunt. Neque aliud pro Catholica Religione & ſtatu Eccleſiaſtico probroſius quidquam aut abjectius ea tempeſtate habebatur.

Poſtquam autem Majeſtati ſuæ placuerat, uti ſtatus acatholici liberos ſuos non extra Provinciam mitterent, ſed intra eam in Univerſitate Viennenſi ad ſtudia admoverent, tum obſequentiſſimos etiam hac in parte ſeſe præbuerunt; ſic tamen ut privilegium à ſua Majeſtate impetrarent, quo nempe tam Acatholici, quàm Catholici ad Gradus Academicos promoverentur; qua via facta ex ipſa Facultate Theologica Univerſitas à Catholica fide deſcivit. Hinc conſecutum eſt, ut, cùm docti ad Conſilia aut Advocatias, aut ludos literarios, aut officia Syndicorum eſſent adhibendi, non niſi ſectarios promoveri oporteret. Prout etiam hujusmodi literati per provinciam in urbibus, & oppidis matrimonia contraxerunt, & integras communitates in cauſa fidei ſeduxerunt.

Et quamvìs ſua Majeſtas ſcholam provincialem, in qua Nobiles erudirentur, erexit; mandatum tamen fuit Rectori ſcholæ, ne quenquam ad Catholicam fidem alliceret, ſed tam Lutheri, quàm Catholicum Catechiſmum toleraret, & hæc omnia ex mente illorum, qui à Conſiliis erant.

Cùm igitur Nobilitas tantam authoritatem, & fidem apud ſuam Majeſtatem obtinuiſſet, petiit eadem à ſua Majeſtate hujus ſuæ acatholicæ opinionis conceſſionem, &, ùt appellarunt, aſſecurationem, quam ad poſteros omnes ſuos, & hæredes, præterea ad ſuas Eccleſias & ſubditos extendi liceret. Quæ tamen conceſſio non niſi poſt deliberationem longam repræſentatis demum aliquot centenis millibus florenorum (cujus numeri tres ipſas partes Catholici ignorantes, adversùs ſuam ipſorum religionem & conſcientiam pependerunt) ſub conditionibus conceſſa & in publicum emiſſa fuit.

Quod quamprimùm accidit, ſtatus acatholici diſſimulatione omni depoſita palàm egerunt, intérque ſeſe coitione facta inſtituerunt quaſi rempublicam; adduxerunt in Provinciam immodicis ſumtibus Superintendentes, prædicantes; conventus & ſodalitia celebrârunt; Agendorum & Confeſſionum codices typis impreſſos vulgaverunt, apertèque declaraverunt, non agnoſcere ſe in Provincia ullum Ordinarium, præter DEum & ſuam Majeſtatem. Indè matrimonia promiſcua etiam inter conſanguineos proximè conjunctos, nullâ jam diſpenſationis curâ. Eccleſiaſtica Conſiſtoria nihil penſi habebant: quo denique paganum omninò & belluinum commercium his in terris, inter oviculas noſtras & conſanguineos acatholicæ religionis invaluit.

Poſthæc ſtatus iidem acatholici auctoritate propria ſcholas publicas, quas provinciales vocabant, hinc illinc per Provinciam magnis impenſis extruxerunt;

runt; rectores, & didaſcolos è locis Lutheranis & Flaccianis evocârunt; iiſ-dem de pinguibus ſtipendiis providerunt; magnum alumnorum numerum (qui poſtea prædicantibus ſuccenturiati ſunt) in diverſis Univerſitatibus aluerunt; ſplendida quotannis donaria de pecunia, torquibus, vino, diverſorum locorum & principatuum Superintendentibus, Prædicantibus, ſcholarum Rectoribus, & Doctoribus, uti & præcipuis Principum Cancellariis, & Conſiliariis obtulerunt; crebris etiam legationibus ad aulas & Principes Auguſtanæ Confeſſionis emiſſis, toties nimirum, quoties opinabantur ſe ab ſua Majeſtate in cauſa religionis premi; apud eoſdem interceſſionem, conſilium & auxilium quæſierunt; Placitis & Decretis ſuæ Majeſtatis non antea reſponſum ab iis datum eſt, quàm ad diverſas Univerſitates conſultationis cauſa tranſmiſſa examinari curâſſent, ac tum primùm reſponſo dato, animum ad obſequium flexerunt. Ipſi inter ſeſe ac invicem pro religione ſua imaginaria collatis peculiaribus operis, facilè quindecim & viginti florenorum millia in unum conflârunt donarium. Inde ſuſtinebatur notabilis & magna ſumptuum pars, quæ tota ex communi ærario provinciæ ſine præſcitu, ſine voluntate Catholicorum capiebatur.

Quæ omnia ut eo promptiùs efficere ac ſtabilire poſſent acatholici, ad munus deputatorum inter ſubſellia Dominorum & Equitum neminem ullum de Catholicis admiſerunt; quo id etiam effectum eſt, ut in officio percipiendorum vectigalium Officiales à ſupremo in infimum omnes ipſorum opinionibus addicti, promoverentur; quæ via fuit ipſis peropportuna, ut hanc larvatam rempublicam, ſuáque conſilia cuncta, quatenus eis lubitum eſſet, tueri & proſequi poſſent.

Quoniam verò animadverterent, deputatos ad opus adeò grande non ſufficere; quódque ſæpe diverſarum eſſent religionum & opinionum, Lutherani nempe & Flaccianiſtæ, inter quos ſæpe in eandem ſententiam non conveniret; quódque etiam in aula privatis inter ſe diſcordiis diſſiderent, idcirco ſuis deputatis acatholicis decem viros ex utroque ſtatu Dominorum, ac Equitum, quos religionis Conſiliarios nominabant, adjunxerunt, taléque Conſiſtorium effinxerunt, ad quod omnes ipſorum Confeſſioni adhærentes, qui lites privatas & diſſenſiones circa parochias, Eccleſias filiales, beneficia & bona Eccleſiaſtica cum Catholicorum quopiam ſive Eccleſiaſtico, ſive ſeculari coram ſua Majeſtate, ſuâque Serenitate haberent, ſemper appellarent, & auxilium expoſcerent: quod illis etiam præſtò fuit, ſic ut Catholicorum ſingulis in ejuſmodi concertatione ſemper fuerit integrum corpus acatholicorum ſuſtinendum.

Præterea quoties ſua Majeſtas, aut ſua Serenitas, de acatholicis ſtatibus in genere vel in parte, quidquam in cauſa religionis decernit, hi decem viri ejuſmodi definitiones examinant, de iis conſultant; tum ſi videatur, ſeſe ab iis acceptandis excuſant, illúdque velut inter capita officii ſibi arrogant, ut ejuſmodi ſcriptis omnia, quæ profeſſioni ſuæ commodum adferunt, inſerere poſſint: cui inſertioni tantum roboris ineſſe volunt, atque ſi præſcripta eſſet ab univerſis.

Indè fit, quòd ſententiæ Majeſtatis ſuæ, ſuæque Serenitatis, in ſcriptis adeò contumelioſè notentur, tractentur, ventilentur, ac in dubium revocentur; id quod pariter agunt in privatorum ſuorum cauſis, quas tam adversùs Majeſtatem ſuam & ſuam Serenitatem, quàm contra nos pari modo arripiunt, ut ſic ampliore cum oſtentu & auctoritate ad ſuum intentum perveniant; cùm probè ſciant, quòd in ſingulis iniquum, ac perditum ſit, hoc in univerſum cum tempore neceſſariò caſurum; ſitque, ut in ejuſmodi umbraticos Religionis Conſiliarios haud dubiè non exigui ſumptus impendantur.

Atque ut hæc imaginaria reſpublica tantò firmior evaderet, hujuſmodi acatholici Ordines etiam ſuæ Majeſtatis urbicos, oppidanos, & pignoratitios cenſus ad ſe pertraxerunt, incolarúmque cauſas, tanquam eidem ſecum religioni adhærentium, veluti pro poteſtate ſuſceperunt; prædicantes invexerunt civitatibus, eóſque in nuptiarum ſolemniis inſtituerunt; quos deinde nullo

modo

modo ſinebant è juriſdictione ſua eximi. Si qui verò per ſingulare DEI auxilium ad obedientiam, religionémque Catholicam accedebant, hos oppreſſerunt, & perſecuti ſunt; atque ſi quid in ærarium provinciæ ſolvendum reſtabat, ſeveriſſimis executionibus in eos animadverterunt, nunquam non religionem pro convitio obtrudentes; illud ad extremum auſi, ut etiam ſuæ Majeſtatis ſubditos ſibi ſubjicere conarentur.

Sed acatholici Ordines, quò hanc ſuam rempublicam firmarent, conſervarent, & fundarent; alia inſuper deſignârunt. In Auſtria ſupra Anaſum dominium Odeshaimenſe, aliáque pro communi Provincia redimere, eique intexere volebant, cujusmodi & in Auſtria inferiore cogitabantur. Quæ ſi fuiſſent in opus redacta, ni Majeſtas ſua hujusmodi conſilia maturè prævertiſſet, poterant hæc deinceps univerſæ Provinciæ perniciem, ſuæ Majeſtati, ſuæque Serenitati, periculum, aut præjudicium afferre. Nihilominus acatholicis nullo modo voluntas deerat, hujusmodi Conſilia factis ipſis & opere exequendi.

Jam iis, quæ de modò memoratis, & ſuperiùs explicatis ſumptibus à nobis inſinuantur, hoc duntaxat addendum eſt: eos ſumptus ex communi ærario, atque adeò ex noſtra Catholicorum pecunia per nos contributa ſemper ita acceptos eſſe, ut à nobis tres partes; ab acatholicis verò quarta, hoc eſt unica tantùm pars penderetur.

Interea acatholici, cùm res in hunc modum procederent, cúmque aliud ex alio occuparent, & ſuæ poteſtati, ſuísque opinionibus ſubjicerent, ac omnes pro ſuis commodis agendi vias tenerent; tantam authoritatem, exiſtimationem, obſervantiam, opinionémque de ſe in aula pepererunt, ut creditum vulgò perſuaſúmque fuerit, non eſſe fas eos offendere, aut contra ipſos, etiam in cauſis æquiſſimis actionem ſuſcipere aut Catholicis palàm favere, aut acatholicis contra ſuas ipſorum opiniones & attentata quidquam moleſtiæ adferre; ſecùs pertimeſcendos eſſe tumultus publicos, aut improſperos conventus provinciales; aut ſic irritandos Ordines, ut nihil pro communi bono ſint acturi; atque per hunc reſpectum tantum denique effectum eſt, ut tempore dominatus acatholicorum comitia provincialia aut protracta aut penitus diſſipata, aut ab iis adeò limitata conditionibusque circumſepta fuerint, ut acturi nihil omnino viderentur usque dum omnia quæ in cauſa religionis vellent, impetrâſſent. Ex quo procedendi modo hoc conſecutum fuit, quòd in aula velut in morem abierit, ut quoties utriusque Ordinis, Dominorum, ac Equitum mentio aliqua fieret, ſemper exiſtimaretur, non niſi de acatholicis ſermonem eſſe; atque ita acatholicorum religio pro Statibus accipiebatur. Unde & is loquendi modus profluxit, ac perſeveravit: ſtatus nempe non eſſe offendendos. Qua re omnes per provinciam Catholici premebantur; durabátque hoc regimen annis propè continenter quinquaginta; ac ferè obtinebant acatholici, ut ne nos Catholici ad provinciales conventus admitteremur, aut rebus tractandis intereſſemus. Et hic eſt lamentabilis ille religionis ſtatus, in quo, proh dolor! olim Auſtria verſabatur.

Cùm verò Cæſarea Majeſtas, Clementiſſimus Dominus noſter, hodie Imperans regimen ſuſcepit, in hoc unum primas intendebat curas, qua ratione ſanctam Catholicam Religionem, præcipuè hac in patria ſua, & hæreditaria provincia denuò erigere, ac promovere poſſet. Quapropter ſtatim ipſis à fundamentis exorſus eſt: Ordinarios per literas convenit, eósque hortatus eſt, ut de idoneis Prælatis, Parochis, & Sacerdotibus providerent, per quos Prælaturas & parochias ritè adminiſtrarent: qua in re ſua Majeſtas omne illis auxilium, ubi opus foret, ultro addixit. Indè factum, quòd Ordinarii, qui ſuperioribus annis munere ſuo fungi non poterant, tam Prælaturis, quàm Parochiis, Miniſtros præfecerint utiles, ac brevi tempore ſupra ſeptingentos parochias & beneficia reformârint, prædicantibus ab iisdem depulſis. Qua occaſione etiam Prælatorum, ac Eccleſiaſticorum famuli unà cum ſubditis ad ſanctam Catholicam fidem ſunt adducti.

Neque hìc ſiſtebat ſua Majeſtas, ſed inſuper ex omnibus civitatibus & oppidis ſuis ſectarios prædicantes demigrare præcepit, facto in ipſa urbe Vien-

nenſi tam ſancti operis initio, eóque deinceps per alias civitates continuato, & depulſis prædicantibus ab omnibus ſuis regnis, hæreditariiſque provinciis interdicto prohibitis.

Quod ùt factum, mandavit ſua Majeſtas ſub graviſſimarum pœnarum comminatione omnibus ſuis civitatibus, oppidis, & legitimis ſubditis, uti Catholicos ſuos parochos audirent & jura parochialia ſua ad eosdem requirerent. Quod ſi qui cives, ac ſubditi, his prohibitionibus, & mandatis ſuæ Majeſtatis obſecuti non eſſent, primùm verbis corripiebantur; tum captivi detinebantur; demum è provincia penitus excedere jubebantur. Qui verò obedientes ſeſe præbuerunt, fidémque Catholicam amplexi ſunt, ii ad munia in civitatibus obeunda, & ad conſilia adhibebantur excluſis pro ſuo merito acatholicis. Hoc remedio tredecim civitates, & oppida inferioris Auſtriæ perſanata ſunt, & Catholicæ fidei acceſſerunt.

Ut autem eædem civitates & oppida in Catholica Religione conſervarentur, ex decreto ſuæ Majeſtatis, nullum uſpiam novum civem, incolam aut ſubditum fas erat recipere, niſi qui præſentaneus jusjurandum juràſſet, ſe Eccleſiaſticæ poteſtati obſecuturum.

Præterea ex mandato ſuæ Majeſtatis novæ pro ſcholis ordinationes paſſim publicatæ & conſtitutæ ſunt, ut ſic etiam juventus in ſancta Catholica fide educaretur. Quem in finem Ordinarii per omnes parochias in provincia inſtitutiones catecheticas haberi juſſerunt; ex quibus ingentes omnino fructus in teneram ætatem promanabant.

Similiter ſeriò mandavit ſua Majeſtas omnibus civitatibus & oppidis, ne quem Syndicum ſine ſuo, hoc eſt, ſine Regiæ Majeſtatis aut ejus locumtenentis conſenſu, reciperent. Id quod erat unum de mediis facilè optimis civitates tam in obedientia, quàm in Catholica Religione promovendi, ac conſervandi.

Et quoniam huic provinciæ importatio hæreticorum voluminum maximam perniciem attulerat, idcirco præcepit in omnibus teloniis, quæ ad aquam ſunt, ut hujusmodi literariæ merces recluderentur, ac præſentibus Eccleſiaſticis diſcuterentur; tum quidquid à Catholica Religione alienum eſſet, Bibliopolis eriperetur. Quem etiam ad modum actum cum picturis acatholicis.

Univerſitatem hìc loci ſua Majeſtas ea parte reformavit, qua privilegium, per quod diverſarum religionum homines promoveri poterant, penitus ſuſtulit, & abrogavit; ut proinde Univerſitas jam tota Catholica ſit. Nec aliter factum cum ſchola provinciali.

Quamvìs ergo hunc in modum ſua Majeſtas, ſuáque Serenitas, civitatibus, oppidis, & bonis ſacræ Domûs, quàm optimè conſultum iverit; ac imprimis relegatione prædicantium; itáque magnum commodum Religioni attulerit, nihilominus ſectarii Magiſtelli pro genio ſuo non deſtiterunt, tam in civitates & oppida, quàm in alia jurisdictionum Catholicarum loca ſerpere ac irrepere; quamobrem ſua Majeſtas ſeriò omnino mandavit, ut, ſi qui eorum alicubi deprehenſi eſſent, captivi tenerentur, ac tum è regnis & provinciis hæreditariis ſuæ Majeſtatis exulare juberentur: quod poſtea in magnum religionis emolumentum vertit.

At neque hìc ſiſtebatur; verùm ſua Majeſtas eundem in modum, ſuis etiam bonis pigneratitiis invigilatum voluit, neque connivere, ut ab conductoribus Lutherani prædicantes alerentur, ex quibus in ſubditos ſuæ Majeſtatis pernicies manaret. Quare hoc etiam decretum confici & ſpecialiter aulæ ſuæ, & inferioris Auſtriæ Collegiis intimari fecit, velle, jubere deinceps in venditione pignorum, nunquam parochias & beneficia Eccleſiaſtica includi, ſed ſibi ſemper reſervari: quo magnum rurſus acatholicis commodum ſubtractum fuit.

Præter hæc omnia, ſua Majeſtas ipſa pariter aulica munia reformandi occaſionem non neglexit; ſed in provincia infra Anaſum, primò ad Officia Locumtenentis, Marſchalcki, & provincialis Submarſchalcki, Præſidis tribunalis bellici, & Præfecti hujus civitatis, viros idoneos, ſibique addictos promovit;

movit; ac ubi fieri potuit, acatholici præpediti ſunt. Similiter diſpoſuit de Præfectura provinciæ, & Anbaldatu ſupra Anaſum, ibidémque proprium religionis Secretarium, & Cancellarium deſignavit: quo rantum effectum eſt, ut ex eo tempore mulra jam millia ad fidem Catholicam ſint reverſa.

Et quia acatholicis Ordinibus quatuor fuerant media, Catholicam religionem premendi, ſuæque Majeſtatis ſancta propoſita ſubvertendi, hæc ipſa iis pariter fuerunt ſucciſa.

Nam primò: quòd acatholici Ordines ſuis Prædicantibus non prohibèrent, neque interdicerent, ne ſe in alienas Catholicorum parochias inrruderent, aut ne eis, qui ex Catholicis parochiis ad ipſos venrirarent, putatitia ſua Sacramenta conferrent, ſed dicti Ordines in ejusmodi caſibus conſcientiæ ſuæ prærextum oggererent; eam ob cauſam ſua Majeſtas prædicantes illos, qui in jura Catholicorum involabant, ad Cancellarias evocari, iisque reverſales literas, quas de ſe exhibere jubebantur, proponi; tum non minùs illos, qui has literas exhibuerunt quidem, non tamen obſervârunt, quàm illos, qui exhibere literas noluerunt, è ſuis regnis, hæreditariisque provinciis amandari juſſit. Sed quia neque hic ſeriùs procedendi modus vim ſuam apud acatholicos habebat, idcirco ſua Majeſtas clementiſſimè decrevit, ut omnibus iis prædicanribus, qui alienos parochianos ad ſe pertraxiſſent, vel eosdem admiſiſſent, non ſolùm deinceps prædicare nefas ſit, ſed etiam, ut illorum Eccleſiæ poſthac clanſæ totúmque acatholicum exercitium ſublatum habeatur. Quemadmodum in Inzerſtorff, Trübeswinkl, Hagenbrun, aliisque in locis jam evenir, quæ hodiedum clauſa perſeverant.

2do: Arrogabant ſibi acatholici Ordines, contra apertiſſimam literam conceſſionis, etiam ibi ſectarium ſuum exercitium, ubi ipſimet arces, domos, pagos, aliáque bona, non tanrùm Eccleſiaſtica feuda, aut jurisdictionem obtinebant; ideóque juxta Carholicas parochias ac in earum Eccleſiaſtico diſtrictu ſectarios prædicantes conſtituebant: ſed hanc inſolentiam non ſolùm hodierna Cæſarea Majeſtas, verùm etiam ipſe Maximilianus p. m. Imperator, ſeriò ac efficaciter compeſcuit, & abrogavit.

3tio: Multum faciebat ad rem acatholicorum, quòd hi Catholicorum Eccleſias, filiales & decimas de facto interceperint, ac tum illis viam juris propoſuerint; interea verò in poſſeſſione malæ fidei nihilominus perſeverârint. Sed hoc etiam commodum ſua Majeſtas annô 1590. acatholicis ſuſtulit, mandavítque, uti quælibet pars in tali caſu, in quo Catholicus ab acatholico aur à diverſo, ratione feudorum Eccleſiaſticorum, decimarum, proventuum, aliorúmque hujusmodi bonorum gravaretur, intra ſpatium quatuor hebdomadarum documenta ſua ad aulam deferat: ubi ſuper controverſia, quod æquum, juſtúmque fuerit judicetur. Hæc lex cùm primùm in uſum deducta fuit, mox acatholicis Ordinibus intra ſpatium duorum annorum ſeptuaginta quinque parochiæ & filiales, quas facto jam arripuerant, quin tamen ulla ſcripra documenta exhibere poſſent, per ſententiam ereptæ, & Catholicis attributæ ſunt.

4tò: Tenaciſſimè apprehendebant acatholici Ordines officium deputatorum, ſic ut ab eo divelli nequaquam vellent. Eſt penes hoc deputatorum munus poteſtas in commune ærarium, atque ita fundamentum exhibet, in quo religionis multa commoda, aur incommoda niti poſſint. Verùm & hæc occaſio ſectæ ſuæ favendi acatholicis magnam partem eſt ſublara. Siquidem ſua Majeſtas declaravit, ſaltem in Dominorum, & Equitum ſtatibus ſemper unum Catholicum deligendum eſſe. Quantum verò brevi hoc tempore iſthæc ſuæ Majeſtatis ſententia emolumenti attulerit, Laus DEO, ſatis in aperto eſt.

Sed non dormiebant inter hæc acatholici Ordines; imò ſuæ Majeſtatis, ſuæque Serenitatis tam conſtanter zelantium causâ, graviſſimas querelas ad omnes ſuæ religionis Profeſſores, ad Principes Imperii, ad Comites, ad Dominos, ad ſacrum Rom. Imperium deportârunt, ſtatímque ſuæ Majeſtati, ſuæque Serenitati nova gravamina obtruſerunt; decreta non agnoverunt, niſi

priùs

priùs ab ſe in quæſtionem vocata; neque aliter receperunt, niſi in eum ſenſum, quem ipſis pervertendo aut interpretando libebat affingere; negotia provincialia aut impediverunt, aut ſuſpenderunt; omnia denique ſubſidia umbraticas opiniones ſuas promovendi adhibuerunt. At quia Majeſtatem ſuam, ſuámque Serenitatem tam conſtantis eſſe animi, atque à deſtinationibus ſuis non deceſſuras perſpexerunt, idcirco cathegoricè, ſcriptô, generosè & ultimùm mentem explicârunt ſuam: nimirum quod illæſa ſanctiſsima Trinitate, illæſa ſua conſcientia, illæſo ſuo honore, decreta ſuæ Majeſtatis obſervare neutiquam poſſint; neque intra conceſſionis limites conſiſtere, prout eam ſua Majeſtas interpretaretur: malle proinde omnia, quæ haberent, amittere. Cui ſuæ denunciationi ad huc usque diem inhærent, neque aliam obedientiam promiſerunt, neque conſilium aliud ſuſceperunt.

Poſtquam itaque nos Catholici hæc omnia & ſuæ Majeſtatis, ſuæque Serenitatis tantum zelum oculis noſtris inſpeximus, & quodammodo manibus ipſis contrectavimus, nihil nos aliud magis addecebat, quàm ut novos animos reſumeremus, eósque ſimiliter conjungeremus, ad Catholicam noſtram religionem (quantum opus ſit) unitis ſtudiis defendendam, & promovendam; nihilque prætermittendum, quod ad ejus commodum facere poſſit. Quare nos Prælati, Domini, & Equites mutuam amicitiam inivimus, animos conjunximus, fœdúsque pepigimus, ad quod quartum etiam ſtatum pertraximus; vigore cujus fœderis nos omnes, in communi cauſa religionis, rerúmque ad eam pertinentium, non ſecùs atque vir unus, & unum corpus eſſe conſtituimus; quandoquidem acatholici, jam longo tempore adversùm nos, non ſine palmaribus detrimentis ſanctæ noſtræ religioni, in hunc modum ſeſe geſſerunt. Item conſtituimus vigore ejusdem fœderis alter alterum defendere, ac ſi quid iniquum noſtrûm cuipiam immineret, id in cauſa religionis, decentibus, ac licitis modis communi conatu depellere, preſsóque opem ferre. In hunc finem una voce, unâque voluntate Catholicos aliquot è primis tribus ſtatibus deſignavimus, eisdémque ſufficientem poteſtatem fecimus, qua communi omnium nomine, ſi quis caſus id exigeret, valeant ſeſe apud ſuam Majeſtatem, ſuámque Serenitatem cum omni demiſſione inſinuare, negotiúmq; urgere, atque ad felicem, noſtræque religioni faventem exitum deducere.

Hanc noſtram unionem, & conjunctionem poſteaquam acatholici adverterunt, & hactenus jam in tertiis comitiis provincialibus uſu ipſo didicerunt, nos ob ſuæ Majeſtatis, noſtræque religionis commoda omnino conjunctos eſſe; jam vehementiùs, atque aliàs unquam, nobis adverſantur: minùs ſinceræ erga ſe fidei nos arguunt; diſſenſiones, & diſcordias excitant, ac ſi quos ſtudioſiores rei Catholicæ ſclant, iisdem varias quæſtiones in cœtibus provincialibus movent, eos contemptu afficiunt, eorum vota, & ſeſſiones in controverſiam vocant, proteſtationes varias exhibent; ajunt hanc Catholicorum conjunctionem & conſenſionem (quam illi ſeparationem appellant) neceſſariò in provinciæ perniciem vergere. Atque hæc omnia ex eo capite ſtrepunt, quòd manibus quodammodo palpent, ſtantibus hiſce ſuæ Majeſtatis, ſuæque Serenitatis ſtatutis, noſtrâque, id eſt, Catholicorum conjunctione, ac obfirmatione perdurante, rem acatholicam brevi poſt tempore ruituram & prolapſuram eſſe; Quòd ſi verò hic apud acatholicos procedendi modus (quem ipſi hactenus zelum nuncupabant) vigore cujus ipſi ſeſe ad opprimendam religionem Catholicam conjunxerant; neque hodie quidquam mediorum ad hunc ſuum finem negligunt, æquus haberi poteſt, neque hactenus ejus cauſa ulli tumultus concitati ſunt; neque illi propterea injuriam à Catholicis paſſi fuerunt; non utique minùs æquum haberi debet, ſi & nos Catholici noſtram veram & unicè ſalvificam religionem, quantum in nobis eſt, tueamur, & conſervemus, nósque conjungamus & ſanctæ fidei noſtræ fidelitatem, zelum, defenſionémque præſtemus; ad quæ ipſa præſtanda nos, tanquam obſequentes filii, obligatos agnoſcimus; atque ſi ea præſtare omitteremus, meritò eſſemus ab Ultore DEO gravibus caſtigandi pœnis; neque foret, quo conſcientiæ noſtræ poſſemus ſatisfacere. Speramus etiam, ex hac noſtra Catholico-

rum

rum conjunctione, tam in ſuam Majeſtatem quàm in provinciam brevi tempore non exigua commoda redundatura. Siquidem non intendimus per hanc noſtram conjunctionem in rebus politicis, ullam, etiam minimam averſionem; ſed potiùs omnem fidelitatem, & amicitiam exhibere; idque ſolùm nobis propoſitum eſt, ut noſtram, ſolam veram & ſalvificam religionem ſartam tectámque ſervemus; probè gnari fixúmque habentes non eſſe noſtræ voluntatis, aut poteſtatis, ut nos cuiquam contra ſanctam Eccleſiam in rebus fidei ulla ex parte accommodemus; cùm etiam ipſi acatholici à novis ſuis opinionibus id ipſum toties proteſtentur.

Hæc omnia, Clementiſſime Domine, Nos Catholici ſtatus, veſtræ Serenitati, tanquam in ſpeculo, ea ex cauſa paulò apertiùs, breviſſimè tamen, quàm fieri potuit, cum omni demiſſione proponere voluimus, ut ſua Serenitas benigniſſimè pervidere poſſit, qua ratione ante hoc tempus ab acatholicis nobiscum actum ſit, & quàm diuturno tempore nos Catholici cum ingenti patientia, etſi non ſine maximis detrimentis ſanctæ noſtræ religionis, neque ſine aggravatione conſcientiarum noſtrarum, hujusmodi agendi morem perpeſſi fuerimus; tum etiam ut conſtaret ſuæ Serenitati, quos intra terminos (DEO ſit honor, & gloria) noſtræ Catholicorum res conſiſtant. Ac demum ut ſua Serenitas perſpiceret) in eo tantùm negotium omne repoſitum eſſe, ut magnis animis bene cœpta proſequamur; ita futurum, ut ſanctum hoc opus ad felicem exitum deducatur.

Poſtremò, quia nos Catholici ſtatus intelleximus, quòd acatholici, adversùs nos, Catholicam religionem profitentes, varia gravamina, quibus decreta in emolumentum religionis jam facta, eorúmque executionem impedire conantur, ad ſuam Majeſtatem, ſuámque Serenitatem detulerint, ac petierint ſibi conſcientiæ ſuæ, ùt vocant, libertatem permitti, eáque media, per quæ ſancta noſtra Catholica religio nonnihil erecta eſt, denuò abrogari, præferentes hac ratione priſcam ſinceritatem, mutuámque confidentiam ùt maximè aucturam; provincias emolumenta capturas; vota, & ſupplicationes promptiùs exaudiendas; patriam ipſam ab ſua Majeſtate ſuâque Serenitate ſalvam, & incolumem conſervandam, Ipſique neminem non devinctum fore. Et his de cauſis utraque provincia Legatos ſuos Pragam dimiſit; neque hodiedum ab ſuis poſtulatis acatholici deſiſtunt; ac præcipuè hoc tempore ſuam Majeſtatem, ſuámque Serenitatem, tantò ampliùs, & vehementiùs urgent, quo easdem maximis neceſſitatibus implicitas advertunt, planè confidentes fore, ut eodem hoc tempore, quo ſua Majeſtas ipſorum operâ ad conſervandam communem patriam quàm maximè egeret, deſignationes ſuas contra nos Catholicos, ſi unquam aliàs, redigere in opus poſſint.

Idcirco nos Catholici ſtatus, ab ipſa conſcientia noſtra, religione, obligatione, & juramento, quod in ſacro baptiſmate Catholicæ Eccleſiæ juravimus, permoti & adducti ſumus, ut pari modo ad ſuam Serenitatem demiſſiſſimè confugeremus, eídémque cum omni ſubjectione faceremus notum, quòd quidam Comprovincialium à quibusdam Catholicis ſtatibus parochias opere & facto ad ſe pertraxerint; è filialibus parochiales Eccleſias conſtituerint; ubi verò nullas Eccleſias in ſuo ſpirituali diſtrictu habuerunt, ibi in aulis, horreis, & cameris acatholicorum ſtatuum prædicantes collocaverint; Catholicorum ſubditos, & parochianos adduxerint; eosdem per conſtitutos prædicantes corruperint; ſuos acatholicorum proprios, ad Catholicas tamen parochias pertinentes ſubditos ab his prohibuerint; ſimiliáque hodiedum continuent; earum decimas, feuda, & proventus ex propoſito arripiant, aut ſaltem in lites pertrahant, aliíſque modis non æquis Catholicos fatigent.

Et quanquam aliqui de nobis Catholicis ſevera & publica mandata ac prohibitiones ab ſua Serenitate impetraverint; nihilominus acatholici eadem aut penitus non receperunt, aut certè iisdem reſpondere, & obſequi noluerunt; quin eodem modo non absque ſingulari præjudicio noſtræ ſpiritualis jurisdictionis, conſcientiæ, & jurium feudalium in ſuis attentatis, & ſuæ Serenitati refractaria inobedientia perſeverant: Quemadmodum jam in hoc

ſcripto noſtro ſuper his omnibus punctis, in ſpecie & in particulari ſuam Serenitatem informavimus; eadémque puncta iterum conſcribere, & ſufficientibus argumentis palàm demonſtrare paramus.

Quandoquidem autem Sacra Cæſarea Majeſtas, Clementiſſimus Dominus noſter, uti & ſua Serenitas, totáque Inclyta Domus Auſtriaca, non niſi in Catholica Religione nata, baptizata ac educata fuit, atque ex quo hæc Inclyta Domus ex gentilitate ad Catholicam fidem ſe tranſtulit, hanc deinceps nunquam immutavit, ſed in ea cum omni conſtantia adhucdum perſeveravit, & propter hunc ipſum Catholicæ religionis notorium Zelum in Eccleſia Chriſtiana ad ſummas dignitates evaſit, multíque ex ea vitam ſuam in hac cauſa poſuerunt, & inclytum ſanguinem pro tuenda Eccleſia profuderunt; hac de cauſa ſupplicamus & nos devotiſſimè & demiſiſſimè, uti ſua Serenitas hoc præſens negotium tantò ampliùs ſibi commendatum habere, atque apud ſuam Cæſaream Majeſtatem promovere velit, præſertim quòd & ipſa ſua Serenitas hujus ſanctæ Eccleſiæ membrum, & ovicula ſit: ſua verò Majeſtas cum ſuis civitatibus, oppidis, hypothecis, & tributariis, vel maximè ùt ſupremus Eccleſiæ Romanæ Advocatus ac Defenſor magnam hujus cauſæ partem habeat, ne quid acatholicis denuo indulgeatur aut concedatur, quod contra Majeſtatis tam eximias, Cæſareáſque jam factas ſanctiones, tum ad hæreticorum errorum promotionem, novúmque augmentum, tum ad noſtræ Catholicæ religionis imminutionem, ac oppreſſionem facere poſſet. Quin potiùs Serenitas ſua per Catholicum ſuum ſuffragium rei præſenti apud ſuam Majeſtatem clementiſſimè opem ferat, ut ſic cum pace uni tantùm ſalvificæ religioni adhærere, vocationi noſtræ & juriſdictionibus & Eccleſiaſticis juribus, liberè ac ſine cujusquam interpellatione, ſecundùm religionis noſtræ debitum ſatisfacere, ac tandem ab hac diuturna & inexplicabili tribulatione, velut ruptis aliquando compedibus, expediri valeamus. Quod ſi fiat, ſuam Majeſtatem ſuámque Serenitatem ſecuram reddimus, fore, ut DEus felicitatem & ſalutem impertiat; pax, concordia, & communis per provinciam conjunctio creſcat; mutua pariter augeatur confidentia; & (quod in poſtremis non eſt) ut ſua Cæſarea Majeſtas, ſuáque Serenitas de ſuis ſubditis certi ac ſecuri ſint, quòd hi neque intra neque extra provinciam acatholicis ſe conjungent; intra provinciam verò neque rebelliones neque comminationes neque alias patrabunt inſolentias; neque Cæſareæ Majeſtati vel Serenitati ſuæ moleſtias adferent ullas; ſacrum verò Romanum Imperium ſiniſtris informationibus non exaſperabunt: verùm ita fiet, ut tanquam fideles, & obſequentes ſubditi bene addicti, curas noſtras & ſolicitudinem poſt DEum unicè ad ſuam Majeſtatem, & propter hanc ad ſuam Serenitatem convertamus.

In quem finem Nos Catholici Ordines (ut qui DEI gratiâ, non poſtrema, ſed potior provinciæ pars ſumus) devotiſſimè & demiſiſſimè declaramus, Catholicæ religionis noſtræ promovendæ & conſervandæ cauſâ, ſuæ Majeſtati, ſuæque Serenitati, corpora noſtra, vitam, res omnes atque ipſum ſanguinem, ultrò ac ſpontè conſecrata, & cum hoc præſenti ſcripto prædicta omnia devotiſſimè oblata velle: quemadmodum etiam Majeſtas ſua, ſuáque Serenitas nihil ſecùs (uti ſperamus) adhuc de nobis experti ſunt. Nam ſi quando in provincialibus conventibus aliíſque occaſionibus animadverſum à nobis fuit, ſtatus acatholicos opinionum ſuarum promovendarum cauſâ exhibere ſe pertinaces, nos Ordines Catholici urſimus eosdem, impulimus, ac ubicunque per vires licuit, pro communi patriæ bono ſuæ Majeſtati, ſuæque Serenitati geſſimus morem, ac cæteroqui ſemper, fideliter, ſine fraude & dolo adhæſimus; & quanquam, cùm nobiſcum in ſancta noſtra Religione usque adeò malè ageretur, non omnia à ſua Majeſtate impetraverimus ac idcirco potuiſſemus ad ſuam Sanctitatem alióſque Catholicos Reges, Principes, & Dominos confugere, eorum interceſſiones implorare (uti acatholici apud ſuos fecerunt) aut in ſcriptis noſtris cum tumultu & minis aſſenſum noſtrum differre, conditionibus poſtulata involvere, aliáque hujusmodi media arripere: nihilominus, prout Catholicos decet, ſemper ad pedes ſuæ Majeſtatis nos

nos abjecimus; Ibi cum patientia commorati ſpem omnem noſtram in eadem Majeſtate repoſuimus, omniáque ſumus executi, quæ nobis imperabantur. Atque ita nos gerere etiamnum paratos & obligatos profitemur; cùm de cauſa noſtra tantò nos amplior habeat confidentia, quantò certiùs novimus, quòd ea juſta, atque ipſa veritas ſit, cui inſuper ſua Majeſtas, ſuáque Serenitas quàm optimè conſultum velit.

Quod ſi deinceps Majeſtas Cæſarea, ſuáque Serenitas præter hæc omnia Majorum quoque noſtrorum merita (de quibus acatholici ſtatus in ſuis gravaminibus, uti intelleximus, mirum in modum ſe jactant, etſi ipſimet Majorum ſuorum religionem imitari non velint) ob oculos ponat: tùm certè multò magìs nos Catholicos horum meritorum intuitu clementiſſimus manebit favor, ut qui non tantùm per omnes nobilium virorum virtutes, ſed quod caput eſt, etiam per amplexum veræ Catholicæ Religionis, Majorum noſtrorum veſtigiis inſiſtimus, & Laus DEO, neque ad dexteram deflectimus neque ad ſiniſtram: quin imò in medio viæ, quam ipſi tenuerunt, nos quoque ambulamus. Ut proinde nulla ex parte de ſuæ Majeſtatis, ſuæque Serenitatis clementiſſimis & benigniſſimis decretis moveamus dubium, ſed potiùs cum omni tamen ſubjectione ſperemus, ſuam Majeſtatem, ſi eccleſiaſtica gravamina, quæ acatholici ſtatus obtendunt, imminuerit, noſtra etiam, id eſt, Catholicorum ſtatuum gravamina ac demiſſiſſimas ſupplicationes clementiſſimè reſpecturam. Id quod Altiſſimus, cujus res agitur, ſuæ Majeſtati uberrimè compenſabit, cui nos devotiſſimè commendamus. Hucuſque Catholicorum literæ ad Archiducem.

Obierat eodem anno 1607. die 24. Novembris Carolus Lotharingus Cardinalis Epiſcopus Argentinæ; quo ſtatim Franciſcus Grichingius populum in verba Leopoldi, cui deſponſa jam nuper Eccleſia fuerat, adegit. Paulo pòſt Archidux ipſe Argentinam cum equis trecentis tenuit; indéque duos Epiſcopatus alternis inſedit, multa utrobique in rem religionis molitus, cujusmodi erat illud, quod anno ſequente effecit in Auſtria: Nova illic reipublicæ permutatio inciderat: Mathias, quod aliàs diximus, alienus à fratre eo recens irritatus, quòd acta ſua in pacificatione cum Turcis rata Rudolphus nollet; Hungarorum, Auſtriorúmque ſtudiis in ſe converſis collecto millte tetendit Pragam, perfecitque, ut ſibi Hungariæ regnum, Auſtria, & Moravia cum nomine deſignati Regis Bohemiæ cederetur.

Leopoldus adit poſſeſſionem ſedis Argentinenſis.

IX. 1608.

Conatus Leopoldi pro religione.

Injuriæ religionis, quas adverſarii diſſidio Principum in rem ſuam uſi eatenus attulerant (nam & Lincium, & alios Auſtriæ locos, inſuper habitis Rudolphi decretis, Prædicantes reduxerant) ſtimulavêre Leopoldum; qui convento Viennæ Mathia, pérque ſeipſum, pérque nuncium Apoſtolicum Joannem Garziam Cardinalem Melinum, partes etiam ſuas adjungente Cardinale Forgazio, & Melchiore Cleſelio Viennenſium Epiſcopo, huc demum precibus impulit Regem, uti is per edictum juberet *Eccleſias proteſtantium teneri clauſas; néve poſthac ab ullo Paſtorum verba ad populum fieri permitterent.* Quibus hunc in modum decretis ad extrema prolapſi Ordines acatholici ſeceſſionem fecerunt: negare primùm dicturos Regi Sacramentum; deinde parare vim, ad quam trigeſimum quemque virorum, deinde decimum, quintúmve in horas accinctum ſtare jubent. Horna urbs eſt Auſtriæ Borealis; ibi manum colligunt, ac per literas denunciant Regi, niſi confirmato religionis indulto, ſe Deos hominéſque vocare teſtes, in culpa non fore, ſi obſequium profiteri abnuant, aliáque deſignent, quibus conſcientiam, ſalutémque animarum ſuarum in tuto collocent: interea per nuncios Poſonium ablegatos Ordines Hungariæ ad coronandum Regem congregatos omnibus modis implorant, uti ex fœdere ſecum icto ſibi ne deſint, patrocinium apud Regem ſuſcipiant; quod ab iſtis non ſegniter factum, ſic ut eſſent, qui non antea imponendum diadema Regi, quàm Auſtriis ſatisfactum eſſet, cenſerent. Verùm contrà Rex de Ordinum inſolentia, & rebellione vehementer queſtus, ùt qui non contenti Maximiliani Cæſaris privilegiis, quæ ultro eis obtuliſſet, etiam arma ſumere, Lincenſem urbem occupare vi, Magiſtratus exauctorare, claves

Seceſſio Auſtriacorum Proteſtantium.

Judici eripere, Maximilianum Archiducem aditu prohibere, ac modò etiam circumferre arma ſuſtineant: adverſùm hos patriæ, paciſque publicæ turbatores opem Hungarorum poſcebat: quæ cùm ultrò citróque multis tractatibus agitarentur, peteretúrque de Rege, uti Auſtriacorum poſtulatis de exercitio publico religionis etiam in civitatibus admittendo, déque æquali munerum diſtributione annueret, ille ſummatim reſpondit, omnia confirmaturum, quæcunque in tabulis exhiberi poſſent: Cæterùm negotium univerſum ad Maximilianum fratrem, quìcum Viennæ Ordines tranſigerent, rejecit.

Peracta indè coronatio die 19. Novembris ejusdem anni 1608. diſſoluta Hungarorum Comitia, è quibus quòd non eum, quem cupiebant, fructum Ordines tuliſſent, neque Maximilianum Archiducem flectere pro arbitrio poſſent, cepêre conſilium referendi ſe rurſum ad Cæſarem, à quo nuper defecerant: quod cùm coquerent, non omisêre miſſis ad Principes Imperii, atque Hungariæ ſuperiores Ordines Legatis ſolicitare fœdera; deinde per Magnates Hungaros Viennæ verſantes, denique oſtentatis ſubinde armis urgere Regem; quem periculo publico mœſtum, auxiliáque extera deſperantem, non ceſſabat pariter admonere Palatinus Hungariæ Illeſchaſius; metu etiam injecto ab Cæſare, præteritis factis offenſo, ultionem injuriæ, & provincias nuper extortas non omiſſuro: ab eventu belli, quo ſi vinceret, vaſtitatem patriæ (quæ ſpes autem, aut vincendi, aut gerendi belli per ſacrificulos?) ſin vinceretur, defectionem omnium lucrifaceret: ſpem in Hungaris nullam eſſe; eos aut neutrarum partium, aut certè in partibus Ordinum futuros: quæ fortiter Cleſelius ſuaderet, uti provincia potiùs ſcipione inſtructus excederet, quàm Auſtriacis poteſtatem religionis faceret, id in fraudem Regi, non provinciis fore: provincias nunquam Domino, at ipſum provinciis cariturum. His & alia ſubjecit de conſcientiis uni DEO ſubjectis, de ratione fidei unicuique pro ſe reddenda, quæque alia ſunt generis ejusdem è veteri Libertinorum promtuario.

Constringitur Mathias Rex.

Obſeſſum adeò Regem ex adverſo Papa per Nuncium ſuum erigebat: monebat, uti ſpe in DEO fixa conſcientiam ante metus haberet: in hanc ſententiam Leopoldus Epiſcopus hortatu, precibus, argumentis egit, roboravítque Regem in tantum, ut is literis ad eum anno 1608. die 4. Decembris datis ſecurum juberet, ſe ne latum unguem ultra ea, quæ hactenus acta ſint, quæq; ab Rudolpho Cæſare ſibi tradita eſſent, proceſſurum; neque in religionis negotio decreturum quidquam, quod in fraudem, ſeu Leopoldo, & reliquis Ordinariis, ſeu ſtatibus Catholicis quoad religionem pariter, & jurisdictionem vergere ullo modo poſſit.

Leopoldus eum confirmat.

1609. Sed ſtrenui cumprimis viri partes exequebatur Cleſelius Viennenſium Præſul, cujus ea erat oratio: præſtare multò, ut acatholici Divi Stephani, quin omnes Catholicorum Eccleſias occuparent vi, quàm vel unam è Regis aſſenſu: violenta enim facta caſtigari in loco poſſe, quæque invito extorta ſint, iis repetendis copiam haud abfore; at conceſſioni manu, jurejurando, ſigno denique regio munitæ medicinam vix eſſe. Hæc per hyemem anni 1609. in aula Mathiæ Regis agitabantur, religioſiſſimo Principe inter ſacrum & ſaxum, ùt dici ſolet, incluſo, quem nova ſubinde cura ad accelerandam cum ſtatibus pacem impulit.

Idem Cleſelius facit.

Nova cura Mathiam impellit.

X. Egerat nuper apud Rudolphum Cæſarem Leopoldus Pragæ, ubi exhibendis animi dotibus veluti theatrum nactus, ita ſibi Palatinorum, aliorúmq; Bohemiæ Præfectorum ſtudia devinxit, uti Conſilium caperent, idque ſæpiùs apud Rudolphum inferrent, de Leopoldo Bohemiæ primùm, dein Romanorum etiam Rege nominando: idque pronum factu videbatur: nam præter animum Cæſaris à fratribus, Mathia præcipuè Rege diffidentem, eáque propter haud ægrè in hanc ſententiam deſcenſurum, aderant alia, quæ Electoribus Imperii facilè probarentur: Mathias improlis: Maximilianus Archidux regni nequaquam avidus: Albertus morbis, & Belgio ſuo ſatur: Ferdinandus Archidux ob reformatam in provinciis fidem Proteſtantibus parùm gratus: viam inter hæc mediam, nullâque parte impeditam fore, ſi Leopoldus legeretur.

retur. Quæ, cùm ad aures Mathiæ Regis manâſſent, enimvero formido ſuborta eſt, ne ſtatus Auſtriaci oblatis nuper à Rudolpho privilegiis, & conceſſione Sacrorum invitati ad ejus partes tranſirent; quo pronum fieret, ut ſeſe unà cum Ferdinando Archiduce velut cuſtodiâ ſepto Rudolphus malevolorum ſermonibus incitatus ea deſtinaret, quæ de Leopoldo ſererentur. Ergo maturandum cum ſtatibus negotium ratus, Caroli Zerotini Moraviæ Præſidis, & Moravicorum Ordinum interventu pacificationem cum Legatis Hornenſium eodem anno 1609. die 21. Februarii ceptam intra menſis ſpatium confecit; cujus univerſi negotii autographum ipſum diligenter evolvimus: in eo legere eſt indigniſſimam temporum vim, qua Rex velut in circulo concluſus à Legatis moram nullam ferentibus, armaque palàm & vaſtationem patriæ, & exauctorationem Principis denunciantibus deliberare coactus eſt. Illud potiſſimùm urgebant, ut civitatibus, & oppidis libertas religionis fieret: ut ſtatus acatholici eodem haberentur loco, quo manipulus, ut ajebant, qui adhuc reliquus eſſet Catholicorum: cùm adhæc vires ſuas, & fœdera cum Principibus heterodoxis pacta explicarent, illúdque cunctanti Regi palàm edicerent, ſi nihil admonendo proficerent, aliam ſibi rationem ineundam eſſe; poſt multas tergiverſationes, & ſalebras, denique neceſſitati gerendus erat mos: quare concepti ſunt articuli in hanc ſententiam: primùm: ut conceſſio nobilitati facta valeat in omnibus eorum caſtris, ædibus, molendinis, poſſeſſionibus, domiciliis etiam intra civitates poſitis; etiamſi ea non habitent. Subditis nullo parochiæ reſpectu liberum ſit, inſtituta Dominorum ſequi ſuorum, ſalvo tamen parochorum proventu, quæ *Stola* vocatur. De Eccleſiis & ſacellis judices peculiares conſtituentur, qui poſſeſſionem adjudicabunt iis, qui documenta authentica, aut jus patronatûs, aut annorum quadraginta præſcriptionem oſtenderint. Quibus parochi ſepulturæ locum in Eccleſia ſua pro dependſo ordinario non admiſerint, iis liberum erit alium quemcunque ſepulturæ locum deligere, quo nomine propria ſibi condere cœmiteria poterunt: ſepulturæ tamen hæreditariæ jus ſuum vetus obtineant. Proteſtantes non tenebuntur quenquam ab exercitio ſuæ religionis excludere: eritque ſubditorum cuilibet jus, ſi religionis cauſa gravetur, ad ordinarium ſuum Magiſtratum, aut Regem recurrere. Controverſiæ de Eccleſiis præſertim in Inzerſtorff & Hernals per judicium illud delegatum intra dies decem dirimentur: judices autem ex utriusque religionis ordine ſumentur duo de ſingulis. Pœnæ in cauſa Eccleſiarum ſtatutæ relaxentur. Civitates & oppida remittantur ad terminos declarationis regiæ, quam Ordinibus Moravicis fecit. De Curia Lincenſi & exercitio civitatum ſupra Anaſum judicium fiet è documentis, quæ exhibuerint: interim iis nihil negotii à quopiam inferetur: ſique inpoſterum compellati fuerint ab Rege, ea de re judicium permittitur Moravorum Legatis. Conſules, Judices, Senatores, Syndici, cives conſtituentur è norma privilegiorum, conſuetudinum, & jurium, quæ cuilibet civitati competunt. Conſilium aulicum erigetur, in quod uti & alia munia publica ex utriusque religionis conſortibus idonei aſſumentur. Poteſtas nominandi Deputatos Provinciæ erit penes Ordines, qui eos in proximis comitiis nominabunt. Subjiciuntur alia de inſtrumentis tranſactionis factæ cum Cæſare, de copiarum abdicatione, oblivione præteritorum: Actum & ſignatum Viennæ die 19. Martii. Anno 1609.

Transactio ejus cum Ordinibus.

XI.

Hos articulos priusquam ratos in publicum haberet Mathias, cognoſcendos dedit Leopoldo velut utriusque Auſtriæ Ordinario, qui vehementer perculſus eodem menſe Martio anni 1609. literas confecit dolore ac zelo plenas, quibus gratiis primùm actis pro delata ad ſe conditionum notitia, deinde ſenſum de pleriſque acerbiſſimum conteſtatus, quòd conſtaret, per ea non jam confirmari vetera, ſed multis partibus laxari in perniciem Ordinum Catholicorum, reíque Catholicæ univerſæ: in damnum graviſſimum jurium Epiſcopalium, infinitarum præterea animarum, denique nominis ac famæ Auſtriacæ, cui apud bonos omnes, & orthodoxos probrum æternum conflandum ſit.

Cui ſe Leopoldus ardenter opponit.

extat oratio apud Kevenhilerum.

Quid enim, inquit, anne interpretatio conceſſionis, judiciúmque gravaminum ſuſcipi potuit Catholicis ſtatibus non auditis? quæ autem interpretatio, ubi nec in ſententia conceſſionis per manum traditæ, nec in uſu ac intellectu ejusdem hactenus uſurpato conſiſtitur? exercitium religionis non in arcibus tantùm nobilium, Eccleſiisque ſubjectis permittitur, ſed in domo qualibet ad Nobilem pertinente: quid hoc rei futurum eſt, ubi in locis etiam Catholicorum ſtatuum coëmpta domo continuò fas erit prædicantem inducere, verba facere, populum de parochia legitima ad perniciem avocare? cui jam parocho aut erit locus, aut animus in ea rerum permixtione provinciam ſacram ſuſtinendi? quid demum aliud eveniat, quàm ut patria omnis intra ſpatium anni de integro corrumpatur? Exercitium liberum in privatis Nobilium ædibus conceditur: & in illis, in quibus ipſi nequidem habitant: & in illis, quas Vicarius modò aliquis ipſorum, aut ſervus, aut etiam Prædicans duntaxat incolet; aut eo certè quot diebus ventitabit, ſectam illic omnem docebit, exercebit omnia liberè: quando uspiam de quoquam Catholicorum eſt hujusmodi auditum? Hoc igitur erit Ordinibus Catholicis, qui fidem adeo ſuam, opémque omnibus tempeſtatibus fidelem præſtiterunt, tolerandum, ut jurisdictionibus per DEum ac legem obtentis non auditi etiam excidant, ut in fundis, ac patrimoniis ſuis, aut diſtrictibus jure ſacro poſſeſſis, ubiubi domus ejusmodi fuerit, dolo etiam malo comparata, cogantur ferre eos, per quos neque res ipſis quietæ, neque tutæ futuræ ſunt: vexari aſſiduò, perturbaríque ſe ſinent, ſuísque ſpectabunt oculis ſuditorum interitum. Non hanc eſſe concordiæ legem, qua adeò cautum ſit, ut ne alteri ſint alteris per jurgium, vim, aut inſolentiam offendiculo; nihil invicem juribus derogent. In quo nos, inquit, nos maximè quiritandi cauſam habemus, orbíque terrarum conteſtandi, quàm longè ab jure, & æquo nobiscum agatur. Urbanus olim deceſſor cum Salisburgenſi anno 1571. apud Cæſarem de conceſſione ab eo facta minimè diſſimulaverunt; fuitque & tunc eis ab Cæſare, & poſtea ab regia Dignitate veſtra nobis diſertè cautum, non fore unquam, ut aut ejus conceſſionis termini excedantur, aut religionis, juriúmque noſtrorum, Catholicorúmque Ordinum vel apex libetur. Et nos tamen hæc modo feramus? nos verbi regii ſanctitate, nos jurisdictionibus cœlitus impertitis facto ipſo fraudemur? quid enim? an non tranſilitur conceſſionis antiquæ limes, dum ſubditis eadem libertas, quæ Dominis, conceditur? hoc in conceſſione veteri ne ſomniatum quidem; quemadmodum nec illud, ut libertatem à parochis pecuniâ redimere liceat: num animæ nobis paſtoribus venales erunt? pro lucello modico eas ad exitium dedere? Monſtrum Epiſcopi, non Epiſcopum, qui aquieſceret, dum ſtipendia parochorum in ſalvo ſint, animas ire ſusdeque. Hócne pati Rex, & nos per commune Officium, ac jusjurandum, quo Eccleſiæ Catholicæ devincti ſumus; ac non magis, ut Eccleſiæ propugnemus jura; Rex etiam, cui gladius commiſſus eſt, ut oves refractarias ad Officium ſeveritate compellat? quod ſi enim acatholicos Ordines fucus ille conſcientiæ in tantum ſubigit, ut ſubditos ſuos in parochiis Catholicis conſtitutos dictitent nec poſſe, nec velle dimittere, quin iis fas ſit interitum vel pretio mercari: quæ non religiones, & nomina tenebunt Regem, ut jura ſacra ſervare, oves contumaces ad veritatem adigere omni ope nitatur? id Cæſares, & Superiores, & qui modò imperet, omni tempore factitâſſe; ſtrenua quæque imploratu Ordinariorum, & Curionum per occaſionem executos, ut obſtinatis contumaciam excuterent. De ejusmodi colorato remedio, quod & pſeudo-politicum eſt, & decorum minùs, ne cogitâſſe quidem, nedum ut etiam decernerent, animum induxiſſe: ex quo intellige Rex, quantum conſcientiæ pondus cum diminutione dignitatis, & nominis haud mediocri; præterea detrimentis non levibus Catholicorum, & paſtorum, & ovium conjunctum contra tuummet ipſius Officium, & vocationem imponi tibi excuſatione nulla relicta permiſeris. Quid autem illud de civitatibus & oppidis, quæ quum in veteri conceſſione diſertis verbis excepta ſint, modò ad idem judicium cum ſtatibus revocantur, ſic, ut ubi documenta idonea de ſacellis ſuis, xenodochiis,

chiis, Eccleſiis, aliíſque ejus generis feudalibus oſtenderint, ipſis pariter liceat adſciſcere prædicantes? ad quod, quæſo, extremum ii, qui hæc auctores ſunt, dignitatem veſtram deduxerunt? quàm hoc ab norma antiquæ conceſſionis exorbitans? nonne hoc novum planè conceſſionis genus, longéque ſuperioribus abſurdius? excipe jam Rex, utcunque lubet, civitates & oppida; quid hoc profuerit, ubi arte ſingulari iſthuc demum tramite obliquo pertraheris, ut civitatum, oppidorúmque deditionem ultro facias? quæ tandem civitas eſt Auſtriæ, quæ non aliquid iſtorum, aut ædem ſacram, aut xenodochium, aut beneficium aliquod novo ritu infectum aliquando habuerit? aut etſi non habeat, quàm pronum eſt, ut ejusmodi à provincialibus pretio comparet? ubi continuò fectis omnibus oſtium liberum adjumentô legis patebit. Civitatibus porrò, oppidisque deperditis per DEum immortalem, quem tunc ad iocum res noſtræ caſuræ ſunt? eum ſanè, quo neceſſe ſit, nos non jam Epiſcopi rem, ſed perſonam tantummodo gerere: aut certè invocato Principum omnium Chriſtianorum auxilio pro ſalute Ovilis Auſtriaci nos, qui Archidux unà ſumus, & Paſtor, vitam paciſci, mortémque; quemadmodum certum eſt nobis, non committere, ut, quod à DEO accepimus, eripiatur. Age jam illud de exhumationibus & ſepulturis, cujus hæc demum fori ſunt? enimvero cùm neutiquam ſit è mente noſtra, ut cujusquam cadaver transferatur, tamen id æquum fuerit, ut exceſſus ejusmodi, ſi qui à Clericis perpetrentur, ad judicium noſtrum, qui Ordinarius & Magiſtratus Eccleſiaſticus ſumus, deferatur, non defuturi juſtitiæ, ſi quid hoc in puncto peccetur: at illud de ſepulturis, quarum poteſtatem parochianis liberam facis, ejusmodi eſt, cujus veſtigium in nulla Juris Canonici, aut civilis parte reperias: quis quæſo laicorum Magiſtratuum apud Catholicos hoc ſibi ſumpſit decernere? nec ut de te facinoris iſtius fama vulgetur, equidem ſperamus pro ea, quam tueri te decet, Catholici nominis integritate, ullatenus commiſſurum; rem ſcilicet, quam tuteipſe nobis, ut ſummum Pontificem graviſſimè, ut Catholicos omnes offenderit, indicaſti; præterquam enim, quòd iſthoc à conceſſionis antiquæ finibus longè deviet, novâque prorſus conceſſio ſit; tum ea res, qnantum poteſtati ſacræ detrahat, indè conjecta: gladius ſpiritualis, & Jurisdictio Eccleſiaſtica parochis eripitur, præcipuúmque ſubſidium, quo ad ſuſcipienda Sacramenta moribundos compellunt: quanti enim ſunt, qui ad extrema deducti, animas procurari ſuas, hoc diligentiùs ſatagunt; multi etiam ad agnitionem veritatis evigilant honoris illius intuitu, ut quibuscum vixerint, eorum conſortio poſt fata ne careant. Res eſt Miniſtellis ipſis in more poſita, quos ad commendanda morientibus Sacramenta ſua putatitia hoc ferè telum uſurpare videas, ut renuentibus honorem communis ſepulchri denegaturos minentur, & denegent. Hoc igitur erit deinceps, ut ſub regno veſtro meliore loco jus ac libertas prædicantium prô dolor! futura ſit, quàm paſtorum Catholicorum? Illis etiam cœmiteria conſtruendi nova jus datur; ſcilicet ut hac etiam arte civitates, & oppida corrumpantur: quid enim? nonne id fiet, ut ubicunque vel pauxillum agri loco Catholico vicini Provincialis acatholicus poſſederit, ibi continuò vel ipſe, vel oppidanus aliquis, qui id emto quæſierit, cœmiterium cùm ædicula condat, Prædicanti liberam differendi, aliáque ſuæ Sectæ munia exercendi copiam præbeat? nempe non ſatis eſt, in domiciliis quibuscunque provincialium hæc concedere, niſi & cœmiteria iis in locis, ubi domicilium non fuerit, in ſupplementum corruptelæ veniant; egregias profectò opes ad extirpandam præſentiùs religionem Catholicam. Sed mihi hoc, quidquid eſt privilegii, cum veteri diplomate, cum uſu & conſuetudine præteritorum annorum componenti rurſus manifeſtum eſt, non hanc veterem eſſe, ſed novam planè conceſſionem, approbationémque eorum, quæ ab Lutheranis hactenus cum Dei, religionis Catholicæ, æquitatis, & juris violatione ſunt, non tamen ſine metu & cura ſingulari, patrata. Sed hoc amplius conceditur, ut etiam in ſepulturis hæreditariis mos vetus obtineat: igitur acatholicorum corpora in Eccleſiis Catholicis humabuntur? rem à Conciliis, & Canonibus ſub pœna excommunicationis vetitam paſtores Catholici quemadmodum admittere poterunt?

aut

aut tu quomodo citra vinculum cenſurarum præcipere? parentationes hujuſmodi non ſine concionibus, aut cantibus more ſectario peragentur; quo fiet, ut & Eccleſiæ profanentur, & variis inſolentiis exagitentur Catholici, ac poſtremò ipſas etiam civitates exercitio ſuo Lutherani ſubigant; qua demum Pontificis, aut Catholicorum Principum exiſtimatione de Te, quem videant in præjudicium Eccleſiæ Catholicæ novas etiam leges ex compoſito ferre? veterem ex adverſo legem remittere illam, quâ & Maximilianus Cæſar & indè Rudolphus judicia rerum religioſarum ſibi unis reſervaverant, poteſtate ſuper hæc omni majoribus etiam Magiſtratibus, nedum perſonis abjectioribus adempta? quod enim permittis, ut acatholicis impune ſit, quibuslibetcunque ad exercitium ſuæ religionis præbere aditum, ſuo loco (cum proteſtatione tamen) relinquimus: at quòd judicium gravaminúm quodamodo abs te abdicas, & alteri cuidam judici concedis, id enimvero cùm auctoritati tuæ, tum paci religionis (cujus arbitrium quidem, ac diſpoſitio penes Eccleſiam, penes te tamen protectio eſt) tum & juſtitiæ, & commodis omnibus tanto labore hactenus partis adverſatur. Quæ perturbatio, qui æſtus animorum futuri ſunt, ubi Catholicos identidem per ambages diverſorum tribunalium circumduci continget? ecquid autem tum fieret, ubi ipſi judiciorum Collegæ, aut eorum Præſides ad Lutherum deficerent? quo tum loco res eſſent Catholicorum futuræ? Accedit vetitum eſſe Eccleſiaſticis, judicia laicorum ſubire: præterea & libertatem provinciæ publicam affligi, dum nemini ulli dominorum fas erit, ſubditos injuſſu Judicis ad pendendum adigere; ſempérque Dominis in judicio comparendum, litigandúmque cum ſubditis erit, res profectò his in provinciis quàm hactenus inaudita, tam ad movendas, fovendáſque ſeditiones unicè facta: quo in negotio ad Ordines quatuor Catholicos, eorúmque libertates pertinente, conſiderare ſanè te decet, num iiſdem inconſultis tractari quidpiam, aut ſtatui citra novam contentionem poſſit. Néve neſcias; fuère jam multorum cum ſacri, tum profani Ordinis hominum auditæ apud nos hac de re querelæ, quas improbare veluti ratione nixas equidem haud potuimus, partiúmque eſſe noſtrarum duximus admonere te, utì iis pro ea fide, qua vitæ, & bonorum diſcrimen adeò pro te adire non dubitaverunt, hunc certè impertias fructum, ut alteram ipſis aurem præbeas, ne meritò quiritari, aut opem etiam cogantur aliunde accerſere.

Quod verò attinet judicium delegatum de templis Acatholicorum occluſis, indè vehementer angimur, rem tanti momenti, cujus diſcuſſio integros Officiorum cœtus plures ſæpe annos fatigavit, quorum latæ etiam ſententiæ per reviſiones retextæ fuerunt, eam nunc rem committi duobus Legulejis, acutiùs ſcilicet viſuris, quàm doctiſſimi quique è Collegio Regiminis videre potuerint. Jam delectus judicum, qualis futurus eſt? Si qui etiam è Catholicis ſtatibus ſint, qui rectè ſapiant ea, quæ juris petitorii ac poſſeſſorii, quæ juris patronatus & advocatiæ ſunt; cujusmodi notantur eſſe ii, quos à Conſiliis tuis habes: tamen ſunt etiam in acatholicis Ordinibus haud pauci aſtu ac peritia legum funditus inſtructi, in quorum arbitrium, ſi cauſam adeò gravem, in qua & tuæ & Urbis Viennenſis opes & incrementa ſunt ſita, contuleris, quàm pronum eſt, ut acatholicis locus Enzerſtorff, & Hernals, aliæque Eccleſiarum complures adjudicentur? id quod tantundem erit, atque ſi in ipſis Viennæ ſuburbiis exercitium publicum admittatur: quod ſi judicium iſthoc deferetur ad homines, qui de ſtatibus non ſint, quo demum animo id feret Ordo primarius, videlicet Prælatorum, qui cùm in publicis provinciæ cauſis, quòd omnium plurimum in ærarium inferunt, præteriri non debeant, tum in hac maximè, in qua res ipſorum potiſſimùm agitur, ſi prætereantur, graviſſimam ſunt injuriam accepturi; neque ſanè reprehendendi à nobis, ſi id graviter tulerint, & in judicium hujusmodi detrectaverint venire. Sed involutum illud, quòd in cauſa civitatum ad Moravorum interceſſionem remittitur, id quum ſit Moravis majorem partem Picardis & Calviniſtis explicatum, explicari etiam nobis, ùt qui ex Officio Ordinarii conjunctas non minùs rationes habemus, convenerit. Quanquam enim ea nos habeat ſpes,

nihil

nihil omnino, quod aut conſcientiæ tuæ Catholicæ, aut religioni, aut jurisdictioni noſtræ deroget, eo velo tegi; tamen pro ea cura, quam de honore & fama tua gerimus, magnopere cupimus illud, quidquid eſt, promiſſi Moravis declarati, particulatim cognoſcere, quò nimirum, ſi quid aliud efferatur in vulgus, te convenire, & rationes indè noſtras metiri poſſimus. Verùm illud, quod ſubditur de Curia Lincenſi & civitatibus ſupra Anaſum, quibus exercitium Auguſtanum, Eccleſiæ, aliáque jura ex ſententia documentorum, quæ exhibuerint, conceduntur, ſic, ut ne judicandi quidem poteſtatem tibi reliquam facias, eámque omnem transferas in Moravicos Ordines, qui de tuis etiam petitis, juribúsque judices agant; hæc res ejusmodi eſt, quæ nobis animi fibras intimas ſauciavit. Hoc ergo agitur, ut conceſsio Maximiliani Cæſaris, in qua civitates, & oppida excepta ſunt, ejusdémque & hodierni Cæſaris pronunciata, reſcripta, decreta, publicata, executionésque poſt multas litigationes mandata, de integro revocentur in dubium, ſententiisque tot magnificis abrogatio intentetur? hoc erit, ut nos, qui jurisdictione ſacra, juréque parochiali in urbibus, oppidísque per Decretum Cæſaris nobis reſervato per nuperam introductionem prædicantium ſpoliati ſumus, non modò non reſtituamur in integrum, ſed ne audiamur quidem? perpende licèt, quàm ſit injuſtum tolerari à nobis in Ovili lupum; in cauſa & noſtra, & Eccleſiæ noſtræ, locum non dare juſtitiæ; atque demum, ſi præter ſpem noſtram his in terminis permanſura res ſit, quid deſignare nos per Officii, & boni nominis curam oporteat. Defendenda tibi certè auctoritas, & honor Cæſaris, ut ne decreta ab eo in commodum religionis lata revocentur ad limam, néve de eorum æquitate judicium alienis hominibus potiſſimam partem Picardis, & Calviniſtis permittatur: quo enim animo exiſtimas accepturum Cæſarem, ſi Majeſtatem ejus talibus judicibus judicandam ſubjicias? intelligis nimirum tale aliquid abs te fieri, quod conducere ad unionem, & concordiam minimè poſſit; certúsque planè ſum, neminem è domo noſtra fore, qui cœptum hoc probet, ac non potiùs è conſcientiæ, ac rationis dictamine, Cæſareæ Majeſtatis jus defendendum putet. Tute ipſe modò pro tua ſapientia arbitrere, plúsne tibi in hujusmodi ſubditis, quàm Cæſaris, totiúsque Domus noſtræ conjunctione ſitum ſit. Ut nihil jam dicam de re indigniſſima, qua temetipſum adeò deprimi, tuóque de gradu dejici ſinis. Lutherani, quos facinus introducti ipſo facto exercitii retexere, deprecari, próque eo ſatisfacere oportebat, poſſeſſionem vindicant ſibi, te in locum actoris retrudunt, ut ſi eos compellandos cenſueris, rem quærere per judices cogâre. Quid hoc probroſius in te ſtatui, quævé major fingi dejectio poterat? ergo jam Moravi rebus ſacris præſidebunt, tibi terræ Principi nullus in judicio locus, nullus ferendæ ſententiæ relinquetur. Religionem tuam, id eſt, Chriſtum & Eccleſiam poteſtati inimiciſſimorum hominum ultro tradis: non fert, non patitur conſcientia noſtra piaculum adeò grave, & inexcuſabile. Res Auſtriacas Moravi judicabunt, quanto detrimento privilegii Domus noſtræ, quod quum tale ſit, ut eo ſimus ab Imperii foro immunes, hoc præjudicio per indirectum impeti poterit. Quò verò ad extremum iſthæc Auſtriacorum, & Moravorum conjunctio evadet, niſi ad ſeditiones, & rebelliones, quæ quum te ad tantum anguſtiarum impulerint; quid, quæſo, futurum eſt, ubi modò eos de integro coaleſcere, conjungíque permiſeris? ſuppriment illi te profectò, arctabunt, adeóque poſtremò conſtringent, ut in omnibus eorum libidini mancipatus, aſſiduis conflictère turbis, & imperium geras in perpetua ſervitute. Sed jam ea quoque poteſtatis pars tibi decerpitur, ut nihil in Officiis civitatum, nihil in civitatibus aggregandis deinceps liceat; quæ res, uti longè extra limites antiquæ conceſſionis egreditur, ita præſentiſſima pernicies eſt Eccleſiæ Auſtriacæ, animarúmque innumerabilium. Referatur animus ad ſuperiora tempora: in propatulo eſt, quemadmodum Magiſtratus Acatholici, Syndicíque bacchati ſint, fundationibus inter alios diviſis, oppigneratis, venditis; tabulis fundationum abolitis, diſcerptis Inventariis, cimmeliis colliquefactis, abjectis reliquiis, conſciſſis Miſſarum, & Cantionum libris, omni-

bus antiqui cultus veſtigiis deletis: hi ſunt, qui neminem paſſi ſunt Catholicum adſcribi civem: eos, qui ope nuptiarum erant ingreſſi, opprimebant, loco pellebant, aut Lutheranis aggregabant. Ipſi ludos literarios è Lutheri placitis aperiebant, parochos Catholicos coarctabant, aut expellebant, alumnos hoſpitales prædicantibus ſeſe dedere cogebant, poſtremò per omne genus improbitatis adeò graſſati ſunt, ut argumentum ingentis libri conſcribendi ſuppeditet. Hanc tu Babyloniam ſi denuo reſtitui, ſi hanc poteſtatis partem eripi tibi de manu ſinas, vide ſis quæſo, quantum id futurum ſit conſcientiæ tuæ vulnus, quàm inexcuſabile onus animæ tuæ, dum hoc uno impulſu civitates rurſum, & oppida ad defectionem præcipitas, ídque agis, ut poſteriora fiant deteriora prioribus, universáque provincia, quæ tanto Cæſaris ſtudio, ac labore hunc in ſtatum perducta eſt, uno ictu perdatur. Quid hoc aliud, quàm poſteaquam religionem Catholicam in Hungaria, & Moravia è manu dimiſiſti, eam nunc in patrimonio, patriâque tua in prædam concedere? an non quæſo exoptabilius fuerit id, quod verbis etiam ſæpe numero declaráſti, ut vel millies vitam profundere, totiúsque mundi jacturam facere conſtituas, quàm tale quid admittas, onúsque rationis vel de unius animæ, nedum tantarum, interitu reddendæ in te recipias? at recipies profectò multa centena animarum millia, quæ hac via nunc, & impoſterum damnationem incurrent æternam.

Quæ omnia, ne quid ſequius arbitrêre, tibi revocare in animum, ac tanto apertiùs ob oculos ponere voluimus câ gratiâ, quòd tibi & ſanguine conjunctiſſimi, majoríque neceſſitudine, quàm omnes ii, quos à conſiliis & obſequiis habes, devincti ſumus; præterea quòd hoc de nobis peculiare nomen Officii, quod gerimus (Ordinarius enim ſumus, cui ovile Chriſti creditum eſt) jure ſuo flagitat. Admonemus itaque, & obſecramus dignitatem, & dilectionem tuam regiam per miſericordiam DEI, ſi quæ tibi ſalutis, proſperitatis, & benedictionis cura, cave, né articulos iſtos, qui nec Catholici, nec Chriſtiani, nec æqui, nec excuſabiles ſunt, ulla tibi ratione probari ſinas. Neque enim id modò cogitare debes, quid interſit privatæ rei, quémque ad modum Auſtriacorum quorundam, aut Moravorum expleas vota, cæterísque ſatisfacias; verùm illud potiùs, quæ ſit futura Pontificis, Cæſaris, Hiſpani Regis, aliorúmque Catholicæ rei ſtudioſorum Principum animorum abs te averſio; quàm aliena de te opinio, & jactura illius omnis benevolentiæ, quam præcipuè literis illis in omnem partem emiſſis collegiſti, quibus aliam longè ſententiam complexus es, illúdque diſertè ſcripſiſti, de vita potiùs, quàm religionis ullo vel apice deceſſurum. Quod ſi enim Hungarorum quorundam, Moravorum, aut Lutheriſtarum adeò rationem habendam putas, quanto æquius fuerit, ut DEum in cœlis, Eccleſiam ejus in terris, probos omnes, cordatos Catholicos Principes, in quorum omnium animis alius longè ſenſus hactenus de te viguit, offendere, animam tuam & conſcientiam lædere, cum ingenti probro te Hiſtoriæ committere, nomen poſteris detritum tradere reformides. Neque eſt, opinor, Catholicorum quiſquam, & eorum, qui res æternas, conſcientiam ſuam tuámque, honorem tuum, famam, decus, auctoritatem, & univerſæ Domûs noſtræ commodum cæteris mundi bonis anteponunt, qui alterius tibi ſententiæ auctor eſſe queat. Res eſt ejusmodi, quæ cum flagitio tantò graviore, & inexcuſatiore conjungitur non eo tantùm ex capite, quòd Eccleſiaſticas importet cenſuras, ſed indè vel maximè, quòd per id genus conceſſionis in omne tempus majorem in dies animarum numerum corrumpi continget, malúmque proferetur ultra mortem concedentis, & continuabitur cum noxa tua, qui mali cauſam dediſti. Equidem haud ſum dubius, eſſe quæ te moveant; cujusmodi nobis heſterna die magnam partem ſunt cognita: quia verò teſtimonium noſtrum hoc in puncto publicum, & Apoſtolicum ſit propter munus Pontificale, quod gerimus; atque res iſta propter communem Domum noſtrâ plus, quàm aliorum omnium interſit; unicéque habeamus in votis ſalutem, & incrementa rerum tuarum; indè confidimus, nequaquam fore, ut aliorum conſilia potiore ſint apud te loco, quàm noſtra.

noſtra. Quod ſi erimus adepti, certi ſumus, tibi conſtantiæque tuæ Catholicæ collocare vitam, & mortem noſtram; eáque cuncta conferre, quæcunque erunt in viribus noſtris, & poteſtate ſita. Quæ animi ſententia adeò firma nobis eſt, ut deliberatum communiter habeamus facere, quodcunque modus humanus, ac facultas attulerit, planéque tolerare mortem, quàm in hæc horrenda, perniciosa, acatholica, DEO & orbi terrarum inexcuſata pacta deſcendere. Sin contra ſpem noſtram, repulſam tulerimus, tibique fixum ſit, aliis potiùs, quàm nobis morem gerere, indè quidem dolorem capimus acerbiſſimum, ídque habemus pro pœna DEI manifeſta; proteſtamur etiam coram DEO, Angelis, & omni cœlituum exercitu, nos in ærumna, calamitate, & exitio tot millium animarum, atque impendentibus tibi pœnis ac peſtibus, quas neceſſe eſt ab hoc pernicioſo cœpto exoriri, partem nullam habituros, operam etiam daturos, (id quod nequaquam adversùs regiam Dignitatem, ac Dilectionem tuam, quem veluti Seniorem Domus noſtræ poſt Majeſtatem Cæſaream reſpicimus, à nobis fieri interpretabere, ſed honoris noſtri, & conſcientiæ causâ) uti nimirum re omni cum Pontifice, cum Cæſare, Hiſpaniarum Rege, omnibúſque domui noſtræ conjunctis, aliíſque omnibus Catholicis Principibus communicata nosmetipſos iisdem purgemus, atque ad excuſandum te, denique digitum intendamus in eos, qui penſi non habent ad hoſce abominandos, & acatholicos articulos nomen profiteri ſuum; quos ipſos minimè dubitamus auſuros etiam, ut ad obtinendum ſcopum Conſiliorum ſuorum te ab his monitis noſtris benevola mente conceptis retrahant, omniáque ad rationes diverſas transferant, ac interpretentur: contra quos cum honoris noſtri devotione ſic, uti ſumus rationem reddituri DEO, teſtificamur hæc omnia referre nos ad ſinceram fidem, & quod in nobis eſt, in opus ipſum redigere, ac ſi neceſſe ſit, pro ovili noſtro etiam ſanguinem fundere deliberatum habere.

Hucusque flagrantiſſima Leopoldi Epiſcopi peroratio, in qua zelum certè, quantum animo gereret, & ingentes illos ſpiritus, qui ſemper in eo notati fuerunt, animadvertere licuit; erántque non obſcuræ denuntiationes eorum moliminum, qui deinde patuerunt. Verùm quidquid moneret, oraret, minaretur Antiſtes, tamen Apoſtolicis ejus conſiliis obſtabat neceſſitas, & ſcilicet majoris mali metus, quem interea redimi conſultius videbatur, dum mutatis temporibus & telo è manibus ſeditioſorum excuſſo liberiora caperentur conſilia. Cæterùm in hoc omni negotio cùm nihil intentatum Mathias relinqueret, facerétque omnia, quæcunque ad explicationem præſentis periculi cum minimo religionis damno fieri poterant, illud certè providè cautéque fecit, quòd pleraque ad telam judiciariam remiſit; alia verbis tantùm generalibus complexus, cujusmodi erat illud de libero exercitio civitatum, cujus ut veniam diſertè faceret, adigi nullo modo potuit; iis tantùm verbis ore prolatis ſententiam ſuam explicans, ſe civitates Auſtriæ in omnibus ita benignè tractaturum, ut in re nulla cauſari, nullam juſtitiam aut gravationem conqueri, aut timere habeant. Hæc erat illa ad Legatos Moravos facta declaratio, quam ut iſti ad religionis etiam cauſam interpretarentur, eâque de re ſtatibus caverent, permiſit equidem, nulla tamen ſolenni pronunciatione ſancivit. Certè licet articuli transactionis iſtius monſtro ſimiles principiò viderentur, tamen eventu patuit id, quod poſtea Carolus Caraſa Nuncius Apoſtolicus in Germania ſacra reſtaurata ſcripſit: „Proteſtantes, inquit, per Auſtriam, quum à Ma-
„ thia Hungariæ Rege liberum religionis exercitium olim à Maximiliano Se-
„ cundo certis conditionibus ſolis Proceribus conceſſum, pro quarto ſeu ple-
„ bejo ſtatu expetiiſſent, eóque negato, Ungarorum, Moravorum, aliarúm-
„ que provinciarum, quibus hoc aliquando liberaliùs fuerat indultum, ope-
„ ram & auxilia imploràſſent, aliud nihil impetrarunt, quàm velle Regem o-
„ mnes omnino civitates & vicos, quatuor iſtis ſtatibus adnumerari, & pro
„ quarto ſtatu haberi: interim autem mandare, ut neque Catholici ab Augu-
„ ſtanæ Confeſſionis addictis, neque hi ab illis ullo modo turbarentur, ſed
„ pax & concordia ſervaretur; *quo decreto Religio Catholica magis ſtabilita fuit,*

XII. Nihil proficit, obſtabat neceſſitas. cautè Rex agit.

„ *& tantùm Lutherana ſecta tolerata, quæ hactenus in ædibus Nobilium invaluerat.* Ita ille. Sed commodum præſens, quod acatholici ceperunt, erat, quòd tres Eccleſiæ Inzerſtorffenſis, in Trübeswinkl, & Hernals nuper occluſæ iisdem conceſſæ ſunt.

XIII. Deſertur Leopoldo procuratio Ducatûs Juliac.

Rebus Auſtriacis hunc in modum eluctatis è turbido, nova religionis cauſa Leopoldum evocavit in Germaniam ad Rhenum usque, ubi Joanne Guilielmo Juliacenſi Duce die 25. Martii eodem anno 1609. ſine liberis defuncto contentio hæreditatis inter Principes Brandenburgenſem, & Neoburgicum, aliósque tam Catholicos, quàm Proteſtantes exorta eſt. Arbitriô cauſæ per ſententiam Senatûs Aulico-Imperialis ad Rudolphum Cæſarem delatô nominatus eſt Leopoldus Archidux, qui, dum interea de lite cognoſceretur, Legati Cæſarei ſeu Commiſſarii nomine principatus illos Juliæ, Cliviæ, & Montium procuraret. Diu multúmque obnitentem perpulit demum religionis cauſa, ut provinciam capeſſeret. Itaque cum mandato Cæſaris die 14. Julii ſignato profectus Juliacum clam, perſonatus habitu ſervi, propter inſidias eorum, quos adversùm venire credebatur: jam enim fœdus inter ſeſe conflaverant armorum, ſi quis eos ab occupando principatu prohibitum iret. Archiduci hunc in modum larvato pene malum creatum eſt in quodam diverſorio; ubi cùm accinctus ad iter imponeret equo frænum, idque contra ſtabularii leges faceret, adjutus à verna diverſorii, qui manus hoſpites teneriores contemplatus, elata cum riſu voce, ne tu parùm, ait, ſtrigilem tractaſti, cui manus adeò ſint delicatulæ. Sed nempe Leopoldus DEO, cujus cauſam agebat, obumbrante ſalvus appulit Juliaci 23. Julii; ubi propoſito Cæſaris decreto, quid veniſſet, edixit. Continuò coortum bellum Gallo etiam, & Anglo cum Batavis in cauſam ingreſſis: vario tum ſucceſſu dimicatum fuit; videbátque ſibi Archidux acriùs etiam in poſterum dimicandum, in quo ei non animus, ſed ſubſidia vacillabant: neque enim à Cæſare, neque à Belgis, contrà quàm promiſſum fuerat, opum aut ſpei, quantum ſatis erat, offerebatur. Fiducia fuit in Ferdinandum fratrem, ad quem allegato primùm Adolpho Comite ab Althaimb, deinde ſcriptis etiam literis, quarum exemplar in manibus eſt, centies mille florennûm petiit: „ Celare, inquit, te nolim, tribus maximè cauſis ab hoc negotio deſiſtere me nequaquam poſſe, primùm Catholicæ religionis gratiâ, deinde propter exiſtimationem Domûs noſtræ, deniq; propter memetipſum, qui jam adeò ſim immerſus, ut absque grandi dedecore non pateat exitus. Spes eſt in ope divina propter reſolutum Cæſaris animum fore, ut provincias iſtas ex faucibus hæreticorum eliberem, quo certus ſum, eum eſſe te, qui me neutiquam deſeras, quin potiùs illo, quod es pollicitus, centum millium florenorum ære certo certiùs ſubventurum; quandoquidem in his provinciis ob cauſas ſupra memoratas adeò multum ſitum ſit. Nihil hìc mihi rei, aut commodi ſeritur, ſed illi, quos dixi, fines uni propoſiti ſunt; neque aliud eſt operis inſtitutum mei. Tu verò ſic habe: ſi eſt animus (ùt eſt certè) domum noſtram ab imminenti interitu vindicare, faciendum aliquid præter ſolitum: quia hic Rhodus, hic ſaltus. Et illud memineris, me rebus tuis hactenus ita conſuluiſſe, ut ex multis jam annis penſionis illius annuæ, quæ mihi ex deputato debebatur, parte fuerim dimidia contentus, eóque ſim animo etiam in poſterum futurus: at modò propter magnum fructum, quem hìc ſpero indubitatè, ſum aliquamtenus importunus. Satis autem feceris, ſi pecuniam iſtam ſine Februarii indeptus ero: qua de re quid expectandum de te habeam, ut me reddas quàm proximè certiorem, quò indè rationes meas temperare valeam, amanter admodum te rogo: Cogites velim me ex parte mea extremum feciſſe, oppidóque expoliaſſe memetipſum, quippe expenſis hactenus in hunc uſum centum pene & ſexaginta imperialium nummûm millibus: id quod non jactantiæ causâ (DEUS mihi teſtis ſit) ſed ex pura libertate fraterna ſcribo, ſpe-róque te eodem animo accepturum; atque in poſterum, ùt hactenus, permanſurum fidelem fratrem, & patronum meum. Datum Juliaci die quinta Decembris anno 1609.

Literæ Leopoldi ad Ferdinandum fratrem.

. Neceſ-

Neceſſitati fratris non defuiſſe Ferdinandum, intelligitur ex apparatu XIV.
belli, quem ſubinde Leopoldus in ditione Paſſavicnſi ſuprà, quàm opes Epi- 1610.
ſcopales caperent, adornavit. Miles erat copioſus admodum, cujus fama Conducit copioſum exercitum.
Germaniam univerſam variis ſuſpicionibus involvit; Proteſtantibus inprimis
injecta cura, qui conventu ſuarum partium Hallæ Sueviæ celebrato anno
1610. contraxêre famigeratam illam unionem, è qua dicti ſunt *uniti* ſeu *corre-*
ſpondentes, quorum conſiliis ut obviam irent Catholici, fœdus ipſi pariter in-
ter ſeſe fecerunt Herbipoli, adſcribente nomen ſuum etiam Leopoldo, quod
inde *ligam Catholicam* appellabant. Verùm Proteſtantes Auſtrii in ſe præci-
puè fabam illam Paſſavienſem cudi interpretabantur: & res erat, quòd non
ignorabant dolorem ſummum Antiſtitis ob articulos anno ſuperiore extortos,
quorum ſententiam veluti non ſatis explicatam declarari diſertiùs cupiebant,
bello ſcilicet obtentu, ne terminos factæ libertatis egrederentur. Eorum no-
mine Oratorem egit Hungariæ Palatinus Turſo die 21. Februarii anno eodem
1610. Mathia Rege paucis eos verbis ad leges nuperas remittente, omnémque
aliam interpretationem reſpuente, illúdque unum mandante, ut neutra pars
alteram tubaret.

Sed Leopoldi exercitus ipſi præcipuè Mathiæ Regi ſuſpiciones veteres Suſpectus Mathiæ Regi.
refricuit, nondum ſcilicet reſtitutâ Cæſaris gratiâ, metuenti, ne repetendis
provinciis è Rudolpho nuper extortis, & ſcilicet Leopoldo ad Bohemiæ, Ger-
maniæque ſolium evehendo comparatus eſſet. Neque id omnino erat abs re,
ùt rebus inde geſtis patuit. Res Juliacenſis anno 1610. ad occaſum vergebat,
quòd Uniti viribus indies auctiores, Leopoldus etiam plus animo, quàm for-
tunæ deberet. Jam potiore ditionum parte occupata ab hoſtibus caput Pro-
vinciæ Juliacum petebatur; cùm Leopoldus accelerandis ſuppetiis in Belgium
excurrit: dein res deſperata (an eo, quod modò dicam, conſiliô?) ad Cæſarem
rediit, apud quem multi erant, qui vetera retinebant pro Leopoldo coronan-
do conſilia: in hunc ipſe etiam Rudolphus propenſior, licèt recèns cum Ma-
thia rediiſſet in gratiam: nec abhorrebat Leopoldus ipſe, non tam ambitu
regni, quàm religionis gratiâ, pro qua devovere ſe dudum decreverat. Ve-
rùm ſtatus Bohemici eam ipſam ob cauſam in fide Mathiæ, quem ſibi duce-
bant æquiorem, perſtabant. Capto interea per hoſtes Juliaco copiæ Leopol-
dinæ reſtitêre domi, ubi cùm eis nec ſtipendia procederent, nec miſſio dare-
tur, penuria rerum ad licentiam verſi miſeris modis ipſam primùm ditionem
Patavienſem, deinde ſuperiorem Auſtriam afflixerunt: indè Decembri menſe
moverunt in Bohemiam Romeo Duce, triſtibus ubique rapinarum veſtigiis
poſt ſe relictis. Facundi ſunt eorum temporum Commentarii de ſævitia per
eum militem exercita. Appulère Pragam ipſis Saturnalibus anni 1611. & urbis 1611.
ejus parte, quam parvam vocant, occupata, cùm ſtipendia differrentur, ad Copiæ Leopoldi movent in Bohemiam.
prædandum converſi, multis illatis, acceptiſque viciſſim cladibus omnia per-
miſcuerunt. Tales quum eſſent, tamen in præſidium Cæſaris ſe veniſſe dicti-
tabant. Occultiora, quæ Pragæ tunc acta ſunt, apertè narrat Kevenhillerus:
veniſſe ad aulam Cæſaris Leopoldum; evocatos eò Conſiliarios, qui ipſum Molitiones pro Leopoldo coronando.
præ Mathia Rudolphi Succeſſorem malebant: itum fuiſſe in Conſilium, quæ-
ſitóſque varios modos, quibus ei viam ad ſolium emunirent: illud viſum
ante alia commodius certiúſque, ſi ſtatus Bohemiæ ſuis adjungeret partibus;
hoc autem effici poſſe, ſi Henricus Comes à Thurn ſignum cæteris præferret:
magna ejus viri auctoritas, quippe ſupremus erat Bohemiæ Prætor; tum au-
tem decumbebat è morbo apud Lokoviziam Cancellarii Popelii viduam: ad
quam Archidux inviſere aliàs conſueverat: itaque conſilium erat, ut per oc-
caſionem inviſendæ matronæ conveniret Henricum, eúmque in verba Cæſa-
ris adigeret. Suſcepit negotium Archidux è Conſilii ſententia, verùm exitu
minùs optato: reſpondit Comes ſe normam tenere Sanctimonialium, quæ
quot diebus orarent: Da pacem Domine in diebus noſtris: rogabat indè Leo-
poldum, ut cogitationes, ſpéſque ſuas ad pacis ſtudia conferret, néve ejus-
modi conſiliis novam belli materiam miniſtraret. Ille ùt invitum animad-
vertit Comitem, cùm ſe ocyùs ipſa nocte trans Moldavam fluvium abſtuliſ-

 ſet,

Oppugnat Pragam veterem.

ſet, ad oppugnandam urbem veterem Pragenſem ſe vertit; ubi cùm ſublimis equo inter globos miſſiles ex urbe libratos impavidè munia Ducis obiret, aſpectantibus miraculo fuit. Verùm repugnantibus conſtanter civibus, & famâ ſubinde perlatâ adventantis cum octodecim millium exercitu Mathiæ

refert ſe è Bohemia.

Regis, tempeſtas illa ad fines Paſſavienſes ſe retulit. Mathias ingreſſus Pragam cùm indagari mandâſſet de Leopoldi conſilio, in quæſtionem vocatus Franciſcus de Nagl, qui ad Electores Imperii literas miſſiraverat, hunc in modum confeſſus eſt: Paſſavienſem exercitum fuiſſe quidem voluntate Cæſaris collectum: non tamen imperâſſe Cæſarem, ut Patavià moveret, minùs ut in Bohemiam concederet: id liquere è mandatis Cæſareis, quibus Romeus & Sulzius morem haud geſſerit. Archiducis mentem fuiſſe, ut Pragam caperet, ac Cæſarem tueretur: deinde uteretur exercitu ad Mathiam aditu in Bohemiam prohibendum; quod illius propoſitum ſi è voto ceſſiſſet, Cæſareis

Omne ejus ſtudium pro religione.

edictis liberum religionis exercitium abrogaturus erat, ſtatúſque Bohemicos reformaturus. Hæc ille.

XV. Omne Leopoldi conſilium ad defendendam rem Catholicam ferebatur; quo facilis explicatu eſt omnis illa fabrica molitionum, quæ ſtudio, quàm exitu, commodiore ſunt ab eo cœptæ. Præter vulnus, quod religio per tranſactionem nuper factam acceperat in Auſtria, graviùs etiam laborabat in Bohemia, ubi Rudolphus Cæſar anno 1609. per violentiam Utriquiſtarum eò fuerat adactus, ut libertatem religionis per literas Majeſtatis concederet; itáque erat conſtrictus, ut nullus eſſet religioni tuendæ locus. Huc igitur poſt rem Juliacenſem depoſitam Leopoldus intendit: in quo cùm ardori ſuo minùs, ac vellet, commodum exiſtimaret Mathiam Regem; favore etiam Rudolphi fultus; moliri ipſe per ſeſe reformationem Bohemiæ conſtituit, rem ſanè magnificam, ſanctéque cogitatam, quam tamen effici, reſervaverat DEus Ferdinando fratri. Cæterùm in his ipſis expeditionibus data paſſim exempla pietatis:

Pietas paſſim edita.

nam anno 1610. Juliaco ab hoſtibus obſeſſo cùm Bruxellas propemodum ignotus accurriſſet, nihil priùs habuit, quàm ad Hallenſem Deiparæ Virginis ædem inſtituere piam peregrinationem, ubi ſacra Synaxi refectus piiſſimis de Virgine ſermonibus diem exegit. Rurſum autem Bruxellæ publicè aſpectante populo inter plebejos ad ſacram menſam accubuit. Indè anno 1611. Pragæ cùm eſſet, Rectoris Mariani munus ſuſcipere non detrectavit; quæ pietas adeò ſolennis ei fuit, ut vix eſſet in provinciis Auſtriacis reperire ſodalitatem Deiparæ ejus ætate vel anteriùs erectam, cujus Albo ſua ipſe manu non adſcripſerit nomen. Poſt receſſum Pragenſem, Crumloviæ cùm ageret, verni jejunii tempus unà cum aula pientiſſimè exegit; de quo annuæ Crumlovienſis Collegii ad eum annum: primas, inquiunt, in modeſtia tenuit aula Sereniſſimi Leopoldi, quæ apud nos quadrageſimæ decurſu ſumma Catholicorum admiratione, & exemplis vixit. Aula tota exomologeſi expiata licèt aliàs ſæpè, tamen maximè hebdomade, quâ Catholici Domini noſtri cruciatus piè recolimus, tum ipſis Paſchæ diebus, divinas Agni cœleſtis epulas acceſſit. Ipſe quoque Sereniſſimus Leopoldus ad ædem prodigioſam Virginis Cajovenſis, quæ ad Crumlovium eſt, pedeſtri itinere non ſemel profectus, inſigni aulicorum comitatu; ubi moleſtias itineris non alia levavit ratione, quàm recitando pſalmos; mirantibus ac nonnunquam incommodè ferentibus miniſtris, qui exemplum Principis cogebantur imitari vel inviti. Dominicis deinde, ac feſtis diebus, quoties eum Crumlovii morari contigit, in æde noſtra manè quidem ſacro Miſſæ Officio, & Concioni, à meridie precibus veſpertinis, & Catechiſmi explicationi præſentem piè ſimul, ac jucundè ſpectavimus. Die Pentecoſtes publicè cœleſti convivio accubuit, quam diem, quia peculiari religione ponere peroptabat, nobiſcum cœnare, nec aliud præter ordinarium obſonii noſtri dimenſum admittere voluit. Pridiè demum, quàm diſceſſurus erat, ſub veſperum magno comitatu ad Collegium pedes ex arce deſcendit,

Molitur Collegium Societatis Paſſavii.

porrectâque ſingulis dextrâ omnium ſe votis, ac precibus commendavit. Eodem anno 1611. Paſſavii Collegium Societatis molitus eſt. Ex quo primùm in Epiſcopum Paſſavienſem electus ea in urbe ſedem occupaverat, ſemper indè

duos

duos ejus Ordinis Patres in Contubernio habuit, quorum alter ei erat à Con-
cionibus & Confeſſionibus: alter in ſtudiis eum Theologicis inſtituebat.
Quòd verò eam Patrum operam ad cives etiam ſuos promanare cuperet, de
erigendo iſthic Collegio cogitationem dudum antè ſuſceptam exequi tandem
conſtituit. Debebat ei Ferdinandus Archidux certam æris ſummam: hanc
ille in caput annuarum mercedum deſtinavit, literis ad hoc confectis, quas
Patri Provinciæ Jeſuiticæ Præſidi ab urbe Praga evocato die 20. Martii ejusdem
anni 1611. in manus tradidit, multis verbis explicato gaudio, quòd voti tan-
dem ſui compos eſſet effectus. Nec fuit in Capitulo, & Senatu Pataviensi
mora, quorum utriſque ad ſe accitis apertum conſilium mirificè probabatur.
Ipſe interim dum propria Sociis locaretur ædes, domum ſuam juxta forum
peregregiam, ac pro eo numero ſat amplam commodavit; libris, aliíſque ad
miniſteria Patrum neceſſariis munificè inſtruxit: in eam die 27. Martii demi-
grarunt è palatio epiſcopali, in quo eatenus à principio Quadrageſimæ habi-
taverant: mox & apertum Lycæum augente indies Scholarium frequentia:
anno indè ſequente in fundo coëmtarum ædium cœptum erigi Collegii ædi- 1612.
ficium ſtructurâ peregregiâ; in cujus fundamenta primum lapidem Sereniſſi-
mus Fundator die 29. Octobris immiſit; annuiſque indè beneficentiæ acceſ-
ſionibus opus ab ſe cœptum abſolvit, planè geminus hac etiam parte Ferdi-
nando fratri, quòd hunc Ordinem, ejúſque diſciplinas pro eo, quo fla-
grabat fidem Catholicam propugnandi, ac dilatandi ſtudio propenſiſſimè
complectebatur, prædicante idipſum Magero ejus quondam Cancellario,
qui facta mentione Patrum Societatis JESU, quòd totos ſe proximis
DEO lucrifaciendis impendant, ſubjicit de eorum fautoribus: „Inter alios ſanè
„ Principes, inquit, Reverendiſſimus ac Sereniſſimus Archidux Auſtriæ Leo-
„ poldus Epiſcopus Argentinenſis, ac Paſſavienſis, maximarum virtutum glo-
„ ria præſtantiſſimus Princeps, quàm propenſo in hanc Societatem ſit animo,
„ multis in Epiſcopatibus ſuis Pataviensi & Argentinenſi pro eadem erectis
„ Collegiis, iiſque maximis, quibus Studioſi aluntur, aſſignatis proventibus,
„ regia planè liberalitate quotidie declarat, quæ omnia ex ardenti Religio-
„ nis, ac pietatis promovendæ deſiderio profecta immortale eidem ſapientiſſi-
„ mo, ac religioſiſſimo Principi nomen, æternam laudem jam dudum conciliâ-
„ runt. Hæc ille, quæ omnia longè uberiùs faſti domeſtici proſequuntur, re-
tinebítque Societas altis repoſta mentibus ad memoriam ſempiternam.

Talia domi, foriſque pro cauſa Catholica molientem Leopoldum gravi- XVI.
ter affecit obitus Rudolphi Cæſaris amiciſſimi, ac de religione univerſim, tum 1612.
de diœceſi præcipuè Pataviensi quàm optimè meriti. Obiit die 20. Januarii Obitus Rudolphi Cæſaris.
anno 1612. in cujus nomen & regna ſucceſſit Mathias, idémque eodem anno
die decimo tertio Junii ab Electoribus Francofurtum Majorum more evocatis
opinione citiùs conſpirantibus Auguſtali throno impoſitus eſt: quem Leopol- Leopoldus Mathiæ Cæſari conjunctus.
dus deprecatione Colonienſis Archiepiſcopi placatum in arce Norimbergenſi
convenit, ubi extinctis penitus ſuperioris diffidentiæ reliquiis cum eodem fami-
liariter pranſus eſt. Cujus concordiæ illud acceſſerat momentum, primùm egre-
gium religionis tutandæ ſtudium, quod in novo Cæſare cognoverat: deinde
cauſa Ferdinandi fratris, in quem Cæſar in prolis maſculæ defectu jura ſua
transferre conſtituerat. Cæterùm rebus in Germania ob ſeceſſionem par-
tium tumentibus nihil omiſit Antiſtes, quo & Cæſarem, & Principes Catho-
lici fœderis conſortes adversùs molitiones hoſtium firmaret, contulitque anno 1613.
ſequenti in Comitiis Ratisbonenſibus grave momentum ad refellenda, quæ In Comitiis Ratisbon. cauſam Catholicam tuetur.
Proteſtantes regerebant, gravamina, queſtus pariter ipſe de detrimentis per
eos in Epiſcopatu Argentinenſi factis; cujus ardorem alii quoque Catholica-
rum partium Principes æmulati ſunt, ſed maximè Cæſar, qui licèt ab adver-
ſariis ſubſidium omne in Turcam & rebelles Hungaros denegantibus, maxi-
méque à Bohemis, & Auſtriacis novas identidem res in fraudem Catholico-
rum cœptantibus urgeretur, tamen perſtitit in gradu, Leopoldi præcipuè, & Mathiam ad religionem tuendam animat.
Cleſelii hortatu, quorum ſolenne carmen à politicorum quidem placitis ab-
horrens, ſed planè è cœleſti, & Apoſtolica diſciplina petitum erat: in cauſa

DEI

DEI nullum incommodum, nè regnorum quidem, aut vitæ extimeſcendam
eſſe jacturam. Quod quidem præceptum ab iis, qui mundano tantùm pede,
ſensúque res humanas metiuntur, omni tempore improbatum, attamen quan-
tum prudentiæ contineat, intelligi poteſt ex damnis, quæ ex contrario in rem-
publicam omnibus tempeſtatibus exortæ ſunt. Unde enim hæreſes, hære-
ſúmque augmentum, quæque inde promanârunt confuſiones regnorum, quàm
ex illa politicorum quorundam cauta nimiùm prudentia, qua principiis, aut
progreſſibus novorum dogmatum obſtitum non fuit ſpecioſo quietis publicæ
prætextu? dum timentur turbæ, dum finguntur imagines periculorum, &
incerti conſiliorum fortium exitus, quantum indè animorum ad propugnan-
dam DEI cauſam detrahitur, tantùm accedit hoſtibus ad eandem labefactan-
dam: ignorant videlicet animales iſti, firmamentum regnorum non eſſe ar-
ma, aut aliud humanum quiddam, ſed opem divinam, quæ fidentibus deeſſe
non ſolet: hæc fortitudo Evangelica eſt, quam etſi aliquando eventus deſti-
tuat (judicia namque DEI abyſſus multa) tamen ſæpiùs adjuvat; atque ſi eti-
am deſtituat, tamen de prudentia conſilii judicare ex eventu, poſtremæ de-
mentiæ eſt. Quòd ſi tanta eſſet pro ſervanda religione fidentia, quanta ſæpe
numero in ſerendis pro augendo dominatu bellis, conſtantiùs procul dubio
res humanæ haberent. Sed hæc obiter propter Scriptorum quorundam illius
temporis dicteria, quibus ardorem illum Apoſtolicum Leopoldi, & Cleſelii
1614. appetere ſunt auſi. Inſtitit his Conſiliis Mathias, dum anno 1614. Prædican-
tem è Suburbano Viennenſi ad S. Udalricum, ubi declamare cœperat, decreto
1615. abegit; de quo quum Ordines acatholici per Libellum ſupplicem anno ſe-
quenti quererentur, nihil præter ea, quæ jam aliàs reſoluta fuerant, retule-
runt. Idem apud Leopoldum Epiſcopum interceſſit, utì templum Crembſii
magnæ DEI Matris in edito ſitum Societatis JESU Patribus cederetur. Fun-
daverat ea in urbe Collegium Comes Adolphus ab Althan cum conjuge Eli-
ſabetha de Stozingen: annuit perlibenter Leopoldus, qui fundationem eo
loci DEO gratiſſimam, & Religioni Catholicæ longè utiliſſimam fore judica-
bat; miſítque ocyùs Joannem Jacobum Epiſcopum Gurcenſem cum Decano
Paſſavienſi, ut de objectis obſtaculis inquirerent, quibus diſcuſſis traditæ Je-
ſuitis claves templi anno 1615. per Georgium Falbium Monaſterii Gotwicen-
ſis Abbatem, quem Antiſtes Legatum ei functioni præfecerat.

XVII. His quidem mediis religioni per Auſtriam conſulebatur; cùm interea
1616. per Germaniam Conſilia de extirpandis Catholicis inirentur hòc opportuniùs
1617. quòd inclinata jam ætate Mathiæ Cæſaris nulla ſobole in ſpem ſucceſſionis
Ferdinandus regnorum Auſtriacorum deſignatus hæres. extante occaſio apparebat piſcandi in turbido; ſed his malis præventum per
concordiam Auſtriacorum Principum, qui omnes onus familiæ unà cum re-
gnis, & provinciis, ac ſpe Imperii in Ferdinandum transferre conſenſerant;
1618. quem Cæſar anno 1617. Comitiis Pragæ coactis Bohemiæ, dein anno ſe-
Origo belli Bohemici. quenti etiam Hungariæ Regem proclamari curavit; quo item anno erupit
atrox facinus, quo Regii Miniſtri Pragæ de feneſtra arcis in præceps dati ſunt;
indè origo belli, quod Bohemiam primùm, & Auſtriam, deinde univerſam
Germaniam involvit. Initium datum à Bohemis Duce Henrico Comite Tur-
riano; mox in Auſtria cœpti motus Ordinibus cùm ad comitium cogerentur,
in medium conſulere præcisè detrectantibus, niſi gravamina tollerentur, &
denique religio undequaque libera permitteretur. Anaſini etiam parare vim,
extructo ad frœnandum Danubium munimento; factáque ſylvæ Bohemicæ
Leopoldus admonet Cæſarem de tumultu Auſtriacorum. concæde, ſpecie quidem Bohemos hoſtes, verô autem conſiliô Cæſarianos
prohibendi: quod cùm Patavienſem Epiſcopum advertiſſet, is continuò Cæ-
ſarem de periculo admonuit: ſed nè dubium eſſet, quorſum conſilia Anaſi-
norum reſpicerent, cùm juberentur à Cæſare demoliri aggerem, tranſitum
in Bohemiam aperire, nihil horum executi ſunt. Ipſe Leopoldus Epiſcopus
hoc anno 1618. Viennam excurrit, utì meminerunt Annuæ Collegii Vien-
nenſis, ubi cum Carolo fratre Epiſcopo Uratislavienſi deliberationi de nego-
tiis publicis, quæ Domum Auſtriacam juxtà ac Religionem Catholicam pre-
mebant, interfuit. Indè in Alſatiam aſcendit, promoturus copias ſubſidia-
rias

1619. Obtinet gubernationem Tirolis.

tias è Belgio venturas; ſed anno ſequenti 1619. delata ei gubernatio provinciæ Tyrolenſis per obitum Maximiliani Archiducis nuper viduatæ; quam menſe Martio auſpicatus eſt: mox autem revocatus in Auſtriam ob mortem Mathiæ Cæſaris, quæ die vigeſima Martii contigit; ubi res ad exitium ſpectabat: Turrianus enim audito Cæſaris obitu milite è Moravia rapto, Danubióque ſub initium Junii menſis trajecto Viennam unà cum Ferdinando, qui bono Numine morienti Cæſari præſens habenas rerum ocyùs capeſſiverat, obſidere auſus eſt: Urgebant foris hoſtes, intus timores ab denunciantibus extrema omnia Proceribus, ni morem placitis ipſorum Ferdinandus gereret; cùm ferunt auditam è ſimulacro Crucifixi, quod hodiéque in Theſauro Cæſareo oſtenditur, vocem: Ferdinande non te deſeram: quod factum conſtanti traditione vulgatum, quamobrem Scriptores idonei referre prætermiſerint, equidem, niſi minùs compertum putaverint, ſuo loco relinquimus. Turrianus ſpe ſua fruſtratus brevi ſe in Bohemiam ſubduxit; Ferdinandus indè ad Comitia Francofurtum abſceſſit, conſtituto in ſui locum, qui Auſtriam gubernaret, Leopoldo, qui mox per edictum civibus Viennenſibus imperavit, ut arma viritim tradita in unum locum ſeponi permitterent, quo ſic à militum præſidiariorum contubernio, de quo erant queſti, eliberarentur; eidem cum Bohemis indè in Auſtriam irrumpentibus, alia parte cum Hungaris tumultuantibus, quos Bethlemus Gaborius ad ſigna vocatos trans Leytam fluvium immiſerat, negotium fuit: utrobique Epiſcopus per Buquojum, & Dampierium Duces rem ſtrenuè geſſit, ſuſtentata utcunque mole belli, usque dum Ferdinandus rediret: Hic die viceſimo octavo menſis Auguſti conſentientibus, quod admirandum videbatur, Electorum ſuffragiis optatus Cæſar, die nona Septembris coronatus, ſub initium Novembris in Auſtriam reverſus per medias hoſtium copias Viennam penetravit, obvio ſibi Leopoldo Archiduce, qui eadem nocte diem ſecundam Novembris excipiente cum ſuis in Tirolim inter varia diſcrimina ſe abſtulit. Nihil enim ab hoſte tutum, hinc factioſis Auſtriacis, indè Bohemis Paſſavienſem ditionem urgentibus. Per hyemem autem Cæſare comparandis copiis diſtricto Leopoldus cum Duce Bavariæ Maximiliano militem in Alſatia colligebat, coërcendis correſpondentium Imperialium motibus, quo expeditiùs bellum in Bohemos explicari, & regnum de Friderico Palatino, cui factioſi coronam impoſuerant, vindicari poſſet. Idem pariter indicto ad diem triceſimam Martii Ordinum Tyrolenſium comitio apud Oenipontem de ſubſidiis in bellum Bohemicum conferendis retulit. Interea pace cum Imperialibus ſtabilita, Maximilianus Bavarus, quem Cæſar expeditionis Bohemicæ Legatum juſſerat, Paſſavium cum exercitu advenit, ubi ditioni primùm epiſcopali contra Bohemos populantes conſuluit Crojenſi Duce cum manu militari ibidem relicto: indè miſſo ad Auſtriæ ſuperioris Ordines diplomate Cæſareo eis obſequium adversùs Cæſarem, ni vim experiri malint, imperavit; ac promoto Linzium exercitu provinciam redegit in ordinem; deinde in Bohemiam duxit, ſtipante eum Buquojo Cæſariani militis ductore; denique die octava Novembris ejusdem anni 1620. prope urbem Pragam conſerto prælio nobilem illam reportavit victoriam, quæ Bohemiam ſubegit, Auſtriam coërcuit, Moraviam reduxit, Sileſiam repreſſit, Ungariam recuperavit, univerſam Germaniam ſtabilivit, religionem Catholicam, quæ captiva fuerat, in libertatem aſſeruit, quæ ſunt ipſa verba Caroli Carafa, tum apud aulam Cæſaream Nuncii Apoſtolici. Quo tempore Leopoldus verſabatur Oeniponte, ipſe pariter bello Rhætico pro Religione Catholica implicatus: cùm enim Catholici vallis Tellinæ Calviniſtarum excuſſiſſent jugum, ipſe cum Hiſpano Mediolani Prætore in eorum defenſionem accurrit; Comitatu Cavenſi, Brettingovia, Majenfelda, utroque Engedino, valle Monaſterienſi, Curiâ urbe cum tribus confœderatis in poteſtatem redactis; avita ſacra poſtliminio reduxit; ſimul eos, qui ob religionem exilium tolerabant, reſtituit: quæ anno 1621. cùm ageret, tamen idem ad profligandas belli Bohemici reliquias curam intendit, die vigeſima octava Junii celebrato Tyrolenſium conventu ſubſidia indixit. Neque ſegniùs in diœceſi Patavienſi res Catholica pro-

Ferdinandus à Turriano obſeſſus.

Leopoldus Auſtriam pro Ferdinando gubernat.

Militem in Alſatia colligit.

1620. Item ſubſidia in bellum Bohemicum.

Victoria Pragenſis.

Bellum cum Rhætis acatholicis gerit.

1621.

ſolicitus de re Catholica in Bohemia & Auſtria promovenda.

delicet ut iconem ſibi adeò caram venerationi publicæ iſthic exponeret, inſtinctu interiore conjecit: ita factum, ut obtentâ ex Epiſcopo veniâ, nemore primùm repurgato, deinde colle commodiore per aſpera explicato, templum Deiparæ pervenuſtum extrueret, in quod imaginem illam ſuam tantorum poſtea miraculorum operatricem intulit, cum titulo *Virginis Auxiliatricis*, qualem indè frequentiſſimus devotorum concurſus omni tempore declaravit. Locus hodie ob miraculorum frequentiam in eam opulentiam excrevit, ut magnam argenti, auri, gemmarum vim à peregre adventantibus hic depoſitam cum admiratione ſit intueri; manubias etiam Turcicas tholo ſuffixas, quas militum Chriſtianorum pietas voluit eſſe monimentum victoriarum nuper, ac ſuperiore Seculo per hujus Auxiliatricis opem reportatarum: ſed illud inter manubias longè præcipuum, quod anno eodem, & ſequentibus Eccleſiæ Patavienſi partum fuit: reformatio Auſtriæ, quam Ferdinandus Cæſar urgente Leopoldo, & Nuncio Apoſtolico Carolo Carafa inſtituit.

XIX.
1623
Urgente Leopoldo inſtaurata reformatio.

Poſtquam è Conventu Ratisbonenſi die ſeptimo anni 1623. inſtituto rediiſſet, de inſtauranda religione in hæreditariis provinciis ſeriò deliberavit; miſsóque anno ſequenti ad oppidanos inferioris Auſtriæ mandato exercitium omne alienorum dogmatum interdixit; hortatus etiam eos, ad quos cura Eccleſiarum ſpectabat, uti doctos juxtà, probóſque animarum curiones parochiis præficerent; qua in re Eccleſiæ Patavienſis commodior jam longè, quàm olim erat conditio ſic, ut vicinæ etiam Bohemiæ, in qua reformatio jam antea cœpta fuerat, paſtores Catholicos ſubmitteret.

Patavienſes ſubmittunt Paſtores Catholicos in Bohemiam.

Anno eodem decretum, ut Prædicantes, ludorúmque ſcholarium moderatores pellantur ex Auſtria etiam ſuperiore, admonito diœceſis Ordinario, ejúſque Vicariis, ut amotis pſeudo-Evangelii ſeminatoribus alios magis idoneos ſufficerent: deinde Lincenſi Gubernatori Heberſtorffio mandavit, ut in hoc operam ſtrenuè conferret, popularibus ediceret, aut ſectam relinquendam, aut patriam. Concurrêre tum quidem ad preces utriusque provinciæ ſtatus; ſed adeò acerbæ ſuperiorum temporum inſolentiæ aditum omnem indulgentiæ præcluſerunt: delecti reformatores, quibus anno 1625. die ſeptimo Januarii mandatum, uti conſultent, quemadmodum reformatio expulſis prædicantibus inſtituenda, & continuanda ſit.

1625.
Continuatur reformatio.

Fervebat opus, quum vulgatus per quosdam rumor, tanquam Cæſar precibus emollitus in animo haberet liberi exercitii veniam ſtatibus Anaſinis reficere: mox ea res Leopoldum advertit, omnem etiam auram hoc in genere extimeſcentem: ſed ei cura continuò exemta per literas Ferdinandi eodem anno 1625. die 25. Martii datas, quibus auctores rumoris adeò præpoſteri ſibi denunciari cupit, aut uti pœnam ipſe de talibus ſumat:

ſatagente Leopoldo.

denique eodem anno die decima Octobris publicatum Linzii generale edictum, quo recenſitis turbarum, proditionum, rebellionum hactenus exercitarum flagitiis, quarum incentores & ſigniferi fuiſſent ſectarii buccinatores, mandat eos intra ſpatium octidui è provincia dimitti, nunquam reverſuros ſub carceris, aliisq; ſuppliciis: idem fieri jubet de Ludimagiſtris acatholicis. „Hujus decreti publicatio, ùt ſcribit Carolus Carafa, multùm diverſorum animos torſit, qui in-„dies conſilia inierunt, ut Cæſaris animum omnino conſtantem everterent: „quare advenientibus reformatoribus omnem lapidem moverunt, ut rem im-„pedirent; ac tandem adulta byeme illos audiverunt, ubi jam de bello Saxo-„nico, & de adventu Bethlemi deſperaſſent: ſed parùm ex auditu profecerunt: „nam aures ùt aſpides ſurdæ obturaverunt, ſuóſque Concionatores in annum „ſequentem remiſerunt. Ita ille.

XX.
Leopoldo matrimonium obvenit.

Inter momenta tutandæ rei Catholicæ erat ſtabilitas, & propagatio generis Auſtriaci, quo deliberatum fuit, uti Leopoldus, & Carolus Uratislavienſis Epiſcopus matrimonium capeſſerent, aſſignatâ cuilibet portione terrarum ex illis, quæ præter Tyrolim in Suevia, & Alſatia ſitæ ſunt, & Auſtria exterior vocatur. Sed Carolus ſacro voto obſtrictus, cogitatione connubii dudum relegata, onus illud in Leopoldum tranſmiſit, cui Ferdinandus Cæſar die 24. Septembris anno 1625. Comitatum Teriolenſem cum adnexis provinciis pleno jure transſcripſit. Proviſa jam erat ſponſa Claudia Florentini Ducis Ferdinandi

filia, Ducis Urbinatis vidua, quam antequam domum duceret, rei cum Pontifice tranſigendæ gratiâ profectus eſt in Italiam, ubi viſitata per iter ædicula Lauretana Florentiam primùm, indè Romam Decembri menſe anni 1625. qui Jubilæus erat, pervenit. Acceptus ab Urbano Octavo in palatio Vaticano, habitúſque magnificè, deindè die 13. Decembris in Sacello Pontificio ipſe cum Comitibus, & famulis à Pontifice ſacro epulo refectus: die 23. Decembris ſolenni convivio honoratus eſt. Depoſuit in manus Pontificis Præpoſituram Conſtantienſem in favorem filii Alberti Bavariæ Ducis; pro infulis autem Patavienſi, & Argentinenſi commendavit Leopoldum Guilielmum, pro quo vota Capitularium utriuſque Eccleſiæ jam antea corrogata attulerat: demum obtenta ſacri vinculi laxatione, multis à Pontifice muneribus honeſtatus die trigeſima Decembris ab urbe diſceſſit in Germaniam; quem ſecuta indè Sponſa, die 18. Aprilis anni 1626. Oenipontem appulit, ubi poſtridie votum nuptiale aſſiſtente Paride Salisburgenſi Archiepiſcopo peractum. Vixit indè Archidux in annum ſeptimum, ac ſolenne ſuum in religione defendenda, cultúque DEI, ac Cœlitum amplificando conſtanter tenuit. Anno 1628. cum Mansfeldio in Alſatia dimicavit; præſentiſſimum captivitatis periculum adiit in oppido Tabernarum, concluſus ab hoſte; ſed is voto ad Virginem Lauretanam concepto meritus eſt, quod prodigio ſimile videbatur, ut evaderet, teſtatus poſtea beneficium argenteo ſimulacro, civitatis formam referente, quod anathematis vice theſauro Lauretano intulit. In tempeſtate Suecica Tyrolim pietate ſervavit: cùm enim anno 1632. Weinmarius Clauſtrum Erenbergium occupâſſet, accurrentique Archiduci etiam nunciare auſus, ſe die poſtero, qui Julii poſtremus erat, ipſum coràm ſalutaturum, repentè diſcuſſum periculum, Weinmario citatiſſimis curſoribus ab Guſtavo Rege Norimbergam evocato. Archidux ſalutem provinciæ divo Ignatio acceptam tulit, cui votum de procurandis ejus honori Feriis per Tyrolim publicis nuncupaverat. Finis non ſit, ſi pietatis ejus elogium par exequi velim. Duos illos Auſtriacæ religionis characteres, cultum ſanctiſſimi Sacramenti, ac Deiparæ Virginis, mirificè ſibi peculiares, velutique ab natura ingenitos habuit: quaqua iter capeſſeret, non contentus pluribus intereſſe ſacris, omnes etiam Theophoriæ pompas præſentiâ ornavit ſuâ. Divino epulo diebus ſacratioribus accumbere pro lege habuit: quam legem præcipuè pro diebus Sanctiſſimæ Virgini conſecratis ſibi perpetuam dixerat. Nulla celebrior beneficiis Marianis ædes, ad quam, ubi occaſio ferret, non inviſeret; Oetinganam ſæpenumero, Cajovenſem, Boleslavienſem in Bohemia, quas piis etiam muneribus exornavit: ardori ejus Mariano gratificatus eſt DEUS memorabili in paucis beneficio, ut geminæ imaginis Thaumaturgæ fieret auctor, Oenipontanæ, inquam, & Paſſavienſis. Imago Virginis è theſauro Saxonico, ùt ſuperiùs narravimus, acquiſita Archetypa colitur Oeniponte, multis clara prodigiis, quorum illud percelebre, quo Claudia Leopoldi conjux labore partûs jam depoſita, vix importatâ in cubiculum icone, prolem ſalvam Sigismundum incolumis ipſa præter ſpem omnium fudit. Crevit indè veneratio ſic, ut expoſita cultui publico Tabula devotos peregrinos ex ultimis etiam Europæ finibus exciret. Quidquid igitur piorum operum, quidquid honoris Mariani per occaſionem Iconis, ſeu Archetypæ Oenipontanæ, ſeu Paſſavienſis ectypæ ultra ſeculum jam effectum eſt, ſeu in poſterum efficietur; quidquid gratiarum cœleſtium in devotos Mariophilos; id omne fructus eſt & meritum Leopoldinæ pietatis. Ægerrimè fero ad manum non eſſe epiſtolam, cujus mentionem facit Maraccius in Bibliotheca Mariana. „Sic ille: Leopoldus, inquit, Archidux Auſtriæ, Ferdinandi „Secundi Imperatoris frater, *gemma ſeu margarita piorum Principum* meritò „nuncupatus, inter alia pietatis ſuæ, reverentiæ, & cultus in Deiparam illu„ſtria ſpecimina ſcripſit ad Urbanum Octavum Pontificem maximum de „Conceptione immaculata Auguſtiſſimæ Virginis Deiparæ epiſtolam unam „æterno marmore dignam. Hæc Maraccius. Rectè in hunc Principem conveniat dicere, eum & calamo, & ære, & gladio, & inſatiabili ſtudio, maximéque exemplo de pietate, & religione quàm optimè meritum, eóque unicè incom-

adit Romam.

Commendat pro Epiſcopatibus Leopoldum Guilielmum.

1626. Connubio jungitur. Eodem pietatis & religionis tuendæ ſtudio.

commodum, boniſque omnibus lugendum, quòd ipſo virilis ætatis flore exceſſit ad ſuperos: quippe anno 1632. die 3. Septembris in oppido Schwazenſi repentina tentatus valetudine decimo indè die ſuccubuit annos natus quinque ſupra quadraginta, menſes undecim, dies octo. Suſcepit è Claudia liberos quinque, Ferdinandum Carolum, qui in principatu ſucceſſit. Mariam Eleonoram in infantia elatam: Iſabellam Claram Mantuano Duci nuptam: Sigismundum Franciſcum, qui fratre defuncto Tyrolenſem dominatum adeptus eſt. Mariam Leopoldinam Ferdinandi Tertii Cæſaris conjugem. Sed alia eſt longè numeroſior ſoboles virtutis ejus, templa & aræ Deo, Cœlitibúſque per eum erectæ, aut regiis donariis doratæ; in quibus memoranda nobis Eccleſia Oenipontana Patrum Societatis JESU, ſanctiſſimæ Triadi dedicata, quam è fundamentis magnificè excitavit: Academia Molshaimenſis, quam anno 1618. in præſidium religionis condidit; Collegium item Paſſavienſe, aliáque domicilia Religioſis, aut literarum alumnis cenſu divite conſtituta: de quibus Nierembergius noſter in Dedicatione Theopolitici: „Teſtis, inquit, Leopoldinæ religionis noſtra Societas pariter & magnanimitatis, cùm fidei propugnandæ, „ propagandæque ardore tot Chriſtiana caſtra erexerit, quot militibus Chriſti „ domicilia: nec contentus pientiſſimus Princeps ſalute Germanorum, ultra „ Indos & Gangem, ultra terrarum orbem ad Sinas & ultrà vexilla Chriſti „ percupiit figi, & navavit. Denique ejus ſoboles ſunt infinita animarum millia, quas curâ, & ſtudio Apoſtolico, pérque Ferdinandum fratrem Eccleſiæ orthodoxæ genuit, aut ſervavit. Juverit attexere grati animi conteſtationem, quam Socii Paſſavienſes fundatori ſuo dependerunt. Eorum literæ ad annum 1632. ſic habent:

„ Ereptus eſt nobis Sereniſſimus Archidux Leopoldus, Ferdinandi II. „ Cæſaris frater, Archiducis Caroli Styriæ, Carinthiæ, & Carnioliæ Princi-„ pis filius, nunquam in oblivione futurus, Collegii noſtri ad eximiam ma-„ gnificentiam eximius Fundator. Fuit, dum viveret, pace, ac bello clarus, „ militum amor, quem virtutibus ſuis, bellicâque laude conciliaverat. Eſt „ in prædicatione multorum illius memoria, quòd & ſupellectilem ſuam ar-„ genteam, cùm ſtipendium bello deeſſet, in fruſta comminutam militibus „ diſtribuerit: quòd electus à Bohemis in Regem Ferdinando fratri, ùt natu „ majori, regni jus ceſſerit: quòd Viennam ab hoſtibus domi, foriſque tenta-„ tam conſervaverit: quòd hoſtium maximas copias, Bohemorum, Hunga-„ rorum, & Tranſylvanorum, ad pontes Viennenſes præſentiâ ſuâ fugaverit: „ quòd Paſſavienſis, atque Argentoratenſis Epiſcopus renunciatus, noſtrum „ hoc Collegium ex hæreditate ſua fundaverit: Reſidentiâ Traunkirchenſi „ ex auctoritate ſummi Pontificis, Cæſariſque Romani Mathiæ ditaverit: „ pro nobis maximas difficultates, quas alius nullus potuiſſet, ingenio, autho-„ ritate, & gratia ſuperaverit: quòd in Alſatia plura Societati Collegia exci-„ taverit. Hic, inquam, tantus Princeps, Hæreticorum terror, Catholicorum „ amor, Societatis noſtræ Pater, & Tutor, gravi catarrho ex venatu affectus, „ *intra dies decem*, nobis ereptus eſt, vita immortali digniſſimus. Extinctum „ luxit Collegium exequiis, quanta potuit maxima celebritate, inſtitutis; „ templi atratos parietes Emblematum ac lugubrium verſuum copia explevit; „ Cœnotaphium opere magnifico abſenti corpori erexit; ad Juſta inter Sacri-„ ficia laudatus eſt à noſtro præſentibus Reverendiſſimo, & Illuſtriſſimo DD. „ Adminiſtratore, Illuſtriſſimorum DD. Canonicorum Collegio, loci nobili-„ tate, civiúmque concurſu maximo. Ab omnibus ut vivus eſſet, ad tem-„ pora tot bellis turbata deſiderabatur. Eodem ritu inſtructo templo, dies „ ſeptimus, & triceſimus actus, funeralibus hoc anno finem impoſuit honori-„ bus, quos debebunt Sereniſſimo Leopoldo Collegii hujus futura Secula.

EPISCOPUS PATAVIENSIS LXIV.

Leopoldus II. Archidux.

I. Omni laude digniſſimus. EXtet in opere præſenti velut inſigne, & ornamentum non rerum modò Paſſavienſium, ſed omnis hominum memoriæ, vita Leopoldi Guilielmi, Archiducis Auſtriæ: de quo cùm ſcripſerint multi, nemo ſine veneratione, ac virtutis admiratione ſcripſit; quin, dum viveret, nemo etiam hoſtium non coluit: adeò omnium oculos tenebat ſanctimoniæ lux, quæ ex factis ejus, & Conſiliis omnibus elucebat. In tot negotiis, quæ geſſit domi belli que, non habuit fama, quod carperet; rara laude per omne vitæ tempus ad usque tumulum deportatâ: Principis omni nævo carentis. Quod cùm in privatis ſingulare ſit, in Principibus cenſuræ omnium expoſitis, propè miraculum. Qui autem ſunt eo familiariùs uſi, & abditos illos vitæ ſecretæ theſauros ſcrutati, non pium modò, & probum, ſed ſanctum habebant. Admirabilis erat virtutum diverſiſſimarum conſenſio, ut idem nihil præter cœleſtia videretur agere, & tamen reipublicæ curas nemo ſolertiùs tractaret; idem Imperator belli admirandus in paucis; idem Epiſcopus numeris omnibus abſolutus. Nemo hæreſes magis oderat: ab ipſis tamen heterodoxis amabatur: nemo pacis amantior, idem ferè perpetuò in armis. Timebant virtutem hoſtes: victori tamen etiam victi iraſci non poterant. Ab Eccleſiis ſuis per negotia identidem aberat, eædem Eccleſiæ nunquam exactiùs gubernatæ. Adeò ſua ſtat veritas antiquæ ſententiæ: pietas utilis ad omnia. Exequemur, ùt licet, compendio res ejus præclarè geſtas: quid autem in eo non præclarum? habet hoc peculiare & rarum, quod totus omnino, atque à talo, ùt dicitur, ad verticem offerri ſpectandus poſſit, in nulla vitæ parte ſibi diſſimilis; contrà quàm eveniat in plurimis etiam grandibus viris, quorum ut multa cum honore narrentur, tamen haud pauca ſilentio premenda ſunt, quadam virtutum permixtione cum vitiis. Leopoldus ſic erat, ut ſeu qui domi in ejus contubernio verſabantur, ſeu qui affectarentur foris; ſeu qui in templis, ſeu qui in caſtris: ſeu privata ſeu publica agentem: puerum, adoleſcentem, virum: ſeu viventem denique, ſeu morientem ſpectarent, eundem in omnibus Leopoldum recti, ſanctique exemplar viderent. Multi judicium de ejus virtutibus generatim complexi ſunt; ideam appellando Principum, Pontificum, aliáque in hunc modum: multi partem vitæ aliquam executi: fortitudinem nonnulli bellicam: modeſtiam alii & comitatem, qua omnium animos tenuit: Catholici ferè ſtudium ejus Apoſtolicum, & propugnandæ fidei ardorem: illam autem virtutem mortalium conditione majorem, integritatem dico Angelicam, admirati ſunt omnes. Univerſam ejus vitam complexus eſt is, qui & Leopoldum de facie novit, & ſenſum omnium de ejus moribus perſpectum, & myriadas teſtimoniorum autographorum, ùt ipſe ſcribit, ad manum habuit, Scriptor vitæ Nic. Avancinus. Nicolaus Avancinus è Societate noſtra; qui mox ab obitu Leopoldi luculentum de ejus virtutibus librum magno poſterorum bono conſcripſit, editum Antuerpiæ anno 1665. Eum in partes diſtinguit tres: prima exhibet Archiducem: altera militem: tertia Epiſcopum, in quarum omnibus ita Leopoldum à teneris unguiculis ad ſupremum usque vitæ diem expingit, tantos effert pientiſſimæ illius animæ theſauros, ut non profani modò, ſed viri etiam Sanctitatis inſtituta profeſſi habeant, quod admirentur, & obſtupeſcant: certè ſi quis ſit ſententiæ meæ locus, ſic planè habeo, vix ac ne vix quidem inveniri ſanctorum hominum vitam tam edito perfectionis culmine conſtitutam; nullum adeò ſublimem exempli gradum, ad quem non evaſerit illius virtus; quod quum auctor ipſe legentibus, niſi me omnia fallant, planè manifeſtum faciat, lucubrationis noſtræ ex eodem potiſſimùm hauſtæ, ùt adſtrictior modus eſt, ita propoſitum indicare potiùs, quàm narrare.

II. Natales. Ferdinandus Archidux poſtea Cæſar hujus nominis ſecundus è prima Conjuge Maria Anna Guilielmi Bavariæ Ducis filia liberos ſuſcepit ſex: Joannem Carolum, Ferdinandum Erneſtum poſtea Cæſarem, indè poſt fœminei

fexûs

ſexûs duas Leopoldum Guilielmum quinto loco genitum. Natus eſt Neoſtadii Auſtriæ anno ſalutis 1614. die Epiphaniæ Domini, id eſt ſexta Jannarii (quanquam alii contendant pridie natum) verùm ſexta Januarii eo nomine notabilis eſt, quòd hac olim die Leopoldus Auſtriæ Marchio Sanctorum Albo acceſſit; non abſque omine, cujus gereret nomen, etiam fore imitatorem virtutum. Aquam luſtricam affudit Alphonſus Requeſenius Epiſcopus Roſonenſis: patrini locum pro Cæſare, ejúſque conjuge ſuſtinuit Paulus Sixtus Trautſonius Comes è Falkenſtain. Eo tempore Ferdinandus Pater Auſtriam pro Mathia Cæſare ad Comitia Ratisbonam digreſſo regebat, primus ipſe in regnorum Auſtriacorum, Imperiique ſpem ſepoſitus, numero ſobolis in eam partem ſuffecturo; quam uti bono publico ſuſceperat, ita ſanctè inſtituebat; Educatio. quod operoſum haud erat tali ſanguine genitis, qui ex utroque parente nativam planè ſanctimoniam ferebat. De Ferdinando ſupervacaneum ſcribere: Conjux ei ſimillima; quæ tamen à partu Leopoldi, biennium non multo ampliùs ſuperfuit, quippe anno 1616. die octava Martii mercedem adepta egregiæ pietatis in cœlo.

Sed in ipſo infante Leopoldo iidem illi pietatis igniculi jam è cunis elucebant. Matronas educatrices ejusmodi natus eſt, quæ proximè virtutem matris aſſequerentur, quarum ille monita ſic obſervabat, ut ſemel doctus monitore de cætero non egeret. Principio in DEum, in Divam Virginem, in Angelum Tutelarem inſtillata devotio ſic inhæſit, ut hoc unum in deliciis eſſet, audire narrantes de puero JESU, de Virgine Deipara, aliáque argumenta pia, quæ tenellum animum adeò capiebant, ut in ipſa oris, oculorum, totiúsque corpuſculi compoſitione reluceret imago viva ſpeciei Angelicæ, qua nihil venuſtius accidere poterat intuentibus, tum præcipuè, cùm preces, aut ſacra Myſteria obiret. Certè cùm de ejus effigie coloribus effingenda deliberaretur, hæc erat omnium ſententia, eo pingendum habitu, quo ſacrum epulum, aut ſumere ſoleret, aut adorare. Experire ſæpenumero Sereniſſimo Parenti placuit puerilis ingenii motus: xeniola hinc pretioſa & ſplendida; illinc ſacra optioni dabat: citra ambiguitatem in ea involare vidit, quæ DEI aliquid ſapiebant, eáque tenerè exoſculari: jam tum pietatem filii adeò æſtimabat Pater, ut bellorum, quibus premebatur, anguſtias innocenti ſuo Leopoldo ſæpius commendaret; quod ab eo tam liquido animi ſenſu, tam ſervidè fiebat, ut ardorem ejus familiares omnes notarent. Exacta hunc in modum pueritia novennem gynæceo exemptum integerrimis viris inſtituendum tradidit, Magiſtro morum Baroni de Thun Equiti Melitenſi; artium verò Eliæ Schillero Doctori, quorum uterque induſtriam ſuam in majori natu fratre informando probaverant: ab his ita ductus eſt adoleſcens, ut præter ſapientiam, ac virtutem nihil aut oculis uſurparet, aut auribus; quamvis is ſuapte ingenio à crepundiis omnibus, & levitatibus adeò abhorrebat, ut negotii nullius eſſet, ei præcepta morum, ac diſciplinarum omnia inſerere; quibus & memoriam feliciſſimam, & judicium ætate longè majus aſſerebat. Cæterùm obſervantia in Majores incredibilis, quâ ex omni pendebat nutu ſic, ùt Auguſtiſſimus ipſe Genitor ſæpius deinde prædicaret, in Leopoldum ne nnquam aut impulſu fuiſſe opus ad impetrandum obſequium, aut juſſu repetito, nedum reprehenſione, aut verbo aſperiore. Novercam Eleonoram adeò colebat, ut matrem impenſiùs haud poſſet, quo ab illa viciſſim ita ferebatur in oculis, ut Benjaminum appellaret ſuum; quæ veneratio, quòd virtute nitectur, annis etiam adultioribus nihilo remiſit. Conſuetudo cum viris DEO dicatis jam puero in deliciis erat: adventantibus occurrebat, deoſculabatur veſtes, obviantibus retecto capite honorem habebat. Quidquid oleret noxam, præcipuè ſi quid honeſtati, ſi quid adverſum pudori, non celabat horrorem vel ipſe vultus, atque admirabilis illa verecundia, quæ Angelicam ejus innocentiam in moribus, habitu, ſermone prodebat, adeóque ornabat, ut oculos omnium teneret. Quæ ſpecies adeò tranſierat in naturam, ut non vigilanti modò hæreret, ſed etiam dormienti: fuêre certè, quibus occaſio ſæpius quæſita ſpectandi vel ſopitum; quòd eo compoſitum habitu reperirent,

qui

qui ſpeciem vivam referret Angeli; id quod in omnem deinde ætatem retinuit adeò, ut Marchio Ledeus Leopoldi in Belgio cubicularius affirmaret, non aliud ſibi jucundius offerri ſpectaculum, quàm ubi Principem ſuum è ſomno excitandi felicitas contingeret; quippe quòd eum ſemper deprehenderet ad modum Angeli quieſcentem. Sed iſta morum Angelica planè ſpecies ad omnem turpitudinis umbram exhorreſcens Angeli nomen ei proprium fecit: ſic eum Parens Auguſtus, ſic arbiter conſcientiæ Martinus Becanus Societatis JESU Presbyter, ſic eum tota appellitabat aula: id nomen à puero meritus per omnem obtinuit ætatem, intulítque tumulo. Sed in animo ſcilicet erat decor ille, qui lucebat in moribus; tenerrima conſcientiæ religio, verbo, *Timor Domini*, quem ſibi pro formula degendæ vitæ ſtatuerat, ac ſuo deinde emblemati, quod erat crux radiata, circumſcripſit. Unum æternúmque ejus generis documentum retuliſſe juverit:

Contigit aliquando, ut æſtu venandi, ferámque perſequendi equo veheretur in agricolæ cujusdam ſegetem: hic ei moderator inclamare: *Sereniſſime Princeps, id non licet: reponendum erit ruſtico damnum, quod ſegeti infertur.* Et hoc ſatis: momento repreſſit curſum, obedientiâ pariter, & culpæ metu. Narrare ſolebat de privigno ſuo Eleonora Imperatrix integerrimæ mentis præclarum argumentum. Erat ab obſequiis Auguſtæ Virgo nobilis ob gratiam morum ſupra cæteras accepta: ſenſit caſtiſſimus adoleſcens pulſari ſibi animum affectu quodam, non pravo illo, aut maculoſo, ſed naturali: hic eum obſidere metus, & anguſtiæ; torquere imago culpæ; precibus ſolicitare DEum, Divam Virginem, exercitationibus pietatis inſtare, omnibus modis niti, uti igniculum illum interni ſensûs obtereret: cùm viſus ſibi per ſomnium videre celebrem virtutis opinione virum, Aulæque olim cognitum Dominicum à JESU Maria Carmelitam, audiréque monentem, uti animi moleſtiam Ferdinando Parenti detegeret: detexit, ac momento fibras omnes ùt affectus, ſic mœroris eliſit. Egregium certè ſpecimen intaminatæ illius animæ à teneris unguiculis ad ſupremum usque diem eodem innocentiæ tenore provectæ: erit poſtea locus de virtutibus ejus memorandi mira quæque, ubi priùs ſeriem vitæ, functionúmque ejus ordine chronico recenſuerimus.

III. *Deſtinatus Ordini ſacro* Obierat mortem Carolus fratrum primogenitus: Ferdinandus Imperio poſt Mathiam ſuſcepto, duos quos ſuperſtites habebat filios Ferdinandum Erneſtum, & Leopoldum Guilielmum veluti totidem deſtinavetat gladios ſecularis illum, alterum eccleſiaſticæ poteſtatis, ut conjunctis amborum operis, & conſpiratione res Catholica, quam ſanctus ille Cæſar Conſiliorum ſuorum *Abdicat jus patrimonii.* ſcopum defixerat, defenderetur. Et videbatur è re familiæ, uti patrimonium Auſtriacum ne ſecaretur in partes, jure qnodam Majoratûs, ùt vocant, inſtituto; in quo minimè omnium fuit in Leopoldo mora, ut qui ad nutum Majorum factus, & oſtentato Divinæ Gloriæ lucro rationes ſuas facilè neglegebat. Eam igitur providentiæ partem ſibi relictam intelligebat Cæſar, uti poſtquam filium dignitatibus ſacris idonea inſtitutione paraſſet, de iſtis invicem filio proſpiceret. Erat Carolus Cæſaris frater Epiſcopus Uratiſlavienſis idem Magnus Ordinis Teutonici Magiſter. Hic animo deſtinaverat Leopoldum nepotem utroque in munere Coadjutorem, ùt vocant, & Succeſſorem; ſed nondum erat iſtius ætas conſilio deſtinato par; & Carolum iſta molientem deſtituit vita annô 1624. in Hiſpania defunctum. Attamen Canonicorum Uratiſlavienſium pars potior Leopoldum hac etiam ætate Præſulem ambiebant, præſidium ſibi adverſus heterodoxos quæſituri: ibant tamen alii Cathedralium in ſtudia diverſa; ob quæ Cæſar mediam iturus viam id egit, ut faſces ejus Eccleſiæ ad Carolum Ferdinandum Regis Poloni filium deferrentur.

Deliberat de ſtatu vitæ. Sub idem tempus Eccleſia Paſſavienſis, & Argentinenſis per abdicationem Leopoldi patrui propediem viduandæ Succeſſorem ſpectabant. Erat hic gradus Leopoldo nepoti expeditus: Verùm is non temere in re tanta ſtatuendum putavit: etſi enim annum ætatis undecimum vix dum attigerat, tamen quo erat judicio longè annis majore, non humano ductu, ſed vocatione divina deli-

deligendum eſſe vitæ genus probè intelligebat: itaque non perfunctoriè, ſed diu multúmque deliberare cum animo, in DEI Conſilium multis orationibus inquirere: quod ne conjectando potiùs, quàm narrando ſcribi à nobis quisquam exiſtimet, argumento ſit conſtans ejus per omnem vitam ſententia, vocésque pluribus epiſtolis conteſtatæ, quibus identidem hanc ſuam eſſe vocationem, hoc inſtitutum à DEO deſcriptum contendebat: neque alia potior ei ratio, quòd adeò ægrè ab Eccleſiis ſuis, ùt poſtea narrabimus, abeſſe ſuſtinuit; quòd adeò efflictim ab Cæſare, ab Rege Hiſpaniæ militiâ ſolvi petiit, quàm (ùt in quadam epiſtola ſcribit) vocationis ſuæ inſtitutum perſequendi gratiâ. Græcii Styrorum cùm eſſet, Ordinibus, quos minores appellant, initiatus eſt, immatura tum quidem ætate, cæterùm eo animi ſenſu, qui è vultu, oculis, ſermone voluptatem interiorem cum tenero totius aulæ motu & admiratione proderet. Exinde locum domeſtici Oratorii, in quo id beneficii in ſe collatum recordabatur, in ea ſemper veneratione habuit, ut & de concepto inibi ſuavitatis guſtu memoriam crebrò ageret, & Græcium ſub ultimos vitæ annos reviſens, eo in loco verſari ſæpius, & Epulo Divino refici geſtiret.

Initiatur Ordinibus minoribus.

IV.
1625.
Fit Canonicus Paſſav.

Anno 1625. pridie idus Martii Canonicatus Paſſavienſis poſſeſſionem adiit per Rodericum Baronem de Santhilier Canonicum Paſſavienſem, & Olomucenſem, ac Præpoſitum Mathicenſem. Actum ſubinde cum Capitulo de ſuffragiis in eum corrogandis, quibus ne officeret adoleſcentis ætas (annos enim undecim, & menſes aliquot compleverat) Leopoldus patruus Anteceſſor pro Nepote veniam ætatis, ùt vocant, impetravit: atque jam fama præclaram Principis adoleſcentis indolem, animíque, & ingenii inſignes dotes Urbano dudum commendaverat; quo facilè aſſenſus eſt, ut à Collegiis Capitularibus Paſſavienſi, & Argentinenſi laxato ætatis, aliorúmque defectuum impedimento in Epiſcopum, ſeu Adminiſtratorem, vel Coadjutorem cum jure ſucceſſionis eligi, aut poſtulari poſſet: exhibet auctor fragmentum Bullæ ad Leopoldum Guilielmum datæ, qua dotes ejus hunc in modum collaudat:

Papa veniam ætatis indulget pro Epiſcopatu.

„ *Volentes*, inquit, *te, qui chariſsimi in Chriſto filii noſtri Ferdinandi Romanorum Regis in Imperatorem electi natus, ac undecimo, vel circà, tuæ ætatis anno exiſtis, ob præclaræ indolis tuæ ad Catholicæ religionis defenſionem & propagationem, cùm tua ſponte, tum ſedulâ Majorum tuorum imitatione admodum propenſæ argumenta, aliáque inſignia animi, & ingenii ornamenta, quæ quidem magnam nobis ſpem adſerunt, Te procedente ætate non modò in magnum Præſulem evaſurum, ſed in omnibus & Religioſi & vigilantis Antiſtitis muneribus, ſumma cum laude obeundis, nemini ceſſurum; horum intuitu favore proſequi gratiæ ſpecialis, motu proprio, non ad tuam, vel alterius pro Te nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſententia &c.*

Interim Ferdinandus Cæſar ablegato ad Capitulares Paſſavienſes Guilielmo Slabata negotium Poſtulationis transegit certis conditionibus, quæ ante poſtulationem conſtitutæ, poſt octo deindè annos, priusquam Leopoldus poteſtatem Epiſcopatus adiret, ab eodem ſubſignatæ fuerunt. Eæ ſic habent:

Concordata, quæ in Coadjutorem eligendum vel poſtulandum, non modò in ſtatu Coadjutoriæ, ſed etiam pro eventu futuræ ſucceſſionis in Epiſcopatum concernunt. V.

I.

IN primis ſingula, quæ Sereniſs^mo^ Archiduce Leopoldo Anno à Nativitate Domini milleſimo, quingenteſimo nonageſimo quinto, die decimo quarto menſis Novembris, compactata fuerunt, firma permanere debent, iis ſolummodo detractis, additis ſeu mutatis, quæ temporum ratio, variata ſtatus conditione requirebat. Quibus autem diſſuetudo aliqua vel tepor irrepſit, illa denuo vegetæ, ac viridi obſervatione omnino reſtituantur. Et quia uſu compertum eſt, etiam optimè conſtituta, iisdem non ſemper, vitio ævi, co-

hærere principiis, niſi pro viciſſitudine & multiplici ſucceſſu rerum novis ſubinde rationibus fulciantur; tum verò maximè id neceſſarium ſit, ubi manifeſta caſuum & circumſtantiarum variatio contingit. Ideo præſens Capitulum Peremptoriale, implorata priùs ope divina, ſequentes articulos concordi voto collectos obfirmandos proponit,

II. Futurus Coadjutor vel Succeſſor, non niſi poſt annum vigeſimum ſecundum abſolutum Epiſcopatui, vel ejus Adminiſtrationi quoquo modo per ſe vel alios, tacitè, vel expreſſè aut quovis quæſito colore ſeſe ingerat; & ut Adminiſtratio tanto minùs interturbetur, non poſſit in Urbe Paſſavienſi ſub quocunque prætextu per notabile tempus conſiſtere aut commorari. Porro interim affectum ſuum Eccleſiæ ſuæ veluti ſponſæ ſuæ comprobabit, ſi à Capitulo rogatus Epiſcopatum apud Cæſa. Majtem ſuam ſedula protectione tueatur.

III. In ſupplementum futuræ Succeſſoris abſentiæ maximè neceſſarium Adminiſtratorem, Capitulum, tum vigore Canonum, tum laudabili Majorum conſuetudine, immemoriali tempore practicata, ſine ullius hominis contradictione liberrimè conſtituat, qui fideliter & vigilantiſſima induſtria ad bonum Eccleſiæ duntaxat intentus, ſpiritualia æquè ac temporalia gubernet, à Capitulo dependeat tamen, atque directionem habeat, & graviora non niſi, quàm de ejusdem conſenſu & conſilio tractet: qui ſi decedat, vel reſignet, alius à Capitulo ſubſtituatur.

IV. Statum Eccleſiæ Paſſav. hæ temporum, & bellorum procellæ graviter afflixerunt. Proinde in multis non tantùm reparatione indiget, ne in deteriora labatur; ſed etiam plurima de novo conſtituenda, quæ ad ſalutem Epiſcopatus faciunt. Ea executioni ſine ſumptibus mandari non poſſunt. Quam ob rem futurus Succeſſor, pro beneficio Eccleſiæ præfatæ integros reditus abſens permittet, juxta concordata cum Sereniſſimo Prædeceſſore ſuo inita, qui tamen in longè faciliora tempora inciderat.

V. Etenim cùm Coadjutor Eccleſiæ ſerviens ſummo Jure alimenta indè repetere queat, ſi propriis ſtipendiis militare nolit; proinde Coadjutus ex illa proventuum ſumma, quam ſibi applicare conſuevit, Coadjutori ſumptus miniſtrabit, ne expenſæ aliis uſibus neceſſariæ, non abſque grandi Epiſcopatus incommodo aliò transferantur, duplicato onere gravandus.

VI. Si Coadjutoriæ quacunque de cauſa & quocunque tempore renunciare aut quovis modo de ea decedere velit, renunciatio illa, reſignatio aut ceſſio, aliter ſub quocunque colore, aut prætextu non fiat, quàm ad liberas manus Capituli, quod deinde identidem liberam omnino electionem ſine ipſius aut alterius cujuscunque contradictione habeat.

VII. Si impoſterum Coadjutor ad ampliores & ſublimiores dignitates evehatur, aut easdem tempore electionis vel poſtulationis acquiſiverit, teneatur unà cum Confirmatione electionis vel poſtulationis à S. D. N. renunciationem impetrare, ne Epiſcopatus aut electio in futurum Sedi Apoſtolicæ cedat & reſervetur, ſed ut Capitulo libera electio per omnia ſalva & integra omnino permaneat.

VIII. Coadjutor vel Epiſcopus facultatem & poteſtatem non habeat quidquam quantumvis exiguum ex Archivo accipiendi, mutandi, & transferendi, ſed duæ conficiantur ad locum Archivi ſeræ & claves, quarum alteram habeat Præfatus Coadjutor vel Epiſcopus, alteram Capitulum, ut neutra pars ſine præſentia alterius, aut ab eadem deputati Archivum aperire queat. Nullæ quoq; literæ originales niſi cum conſenſu & præſcitu utriusque partis, aut ſi in utilitatem Epiſcopatus, vel vim probationis judicialiter producendæ eſſent, indè depromantur.

IX. Electus Coadjutor vel Epiſcopus inchoatas & incidentes cum Principibus controverſias Epiſcopatus, quæ ſine periculo & præjudicio ejusdem ex æquo & bono componi non poſſunt, contra omnes ſine ullo reſpectu ſedulò & fideliter proſequatur.

X. Similiter Jurisdictionem Eccleſiaſticam in Auſtria & Bavaria in antiquum ſtatum reſtituere & redintegrare pro viribus elaboret.

XI. Si

XI. Si tempore ſuæ Gubernationis in temporalibus & ſpiritualibus novæ lites emergant, aut invaſiones bonorum, ſeu Jurium Epiſcopalium, ſive à fratribus, conſanguineis, ſive aliis cujuſcunque conditionis fuerint, Electus aut poſtulatus ſe cum debito zelo opponat, & Juris remediis, ſi res aliter componi & conciliari nequeant, utatur, ut Epiſcopatûs immunitates & Jura conſerventur, nc de iis quidquam ſubtrahatur.

XII. Electus & poſtulatus Coadjutor vel Epiſcopus nullum prædium ſeu bonum, ſive liberum ſive feudale cuiquam familiâ & ſtemmate pari, multo minùs potentiori conferat, locet, in feudum concedat, oppignoret, in hypothecam aſſignet, aut quovis pacto alienet.

XIII. Et quia ejusmodi Principum perſonæ beneficia & dignitates facilè per ſucceſſionem poſſunt transferre in ſuos, propterea futurus Succeſſor, ſi quis ex Principum familia eligatur vel poſtuletur, ſe obligabit, quatenus ſtatim à ſui electione vel poſtulatione in quemcunque imaginabilem futuræ vacationis eventum (quem Concordata Nationis Germanicæ, & Jura Canonica pro favore Capitularis electionis non ſupponunt) etiam reſignationis caſu, Capitulo liberæ electionis gratiam à Sede Apoſtolica pro virili conabitur impetrare. Econtra verò neque clam neque apertè, nec per ſe nec per alios quidquam attentare præſumet, neque etiam proprio motu Sedis Apoſtolicæ utetur, quod prædictis adverſari quoquo modo poſſit.

XIV. Quia Sacriſtia Cathedralis omni ſubſidio pecuniario deſtituta etiam illis caret, quæ non ſine dedecore in ea deſiderantur, & quæ laceris atque attritis paramentis ſuccedant, quam ob rem futurus Succeſſor tanquam dilectus Eccleſiæ ſuæ Sponſus, certam redditauum ſummam facta aſſignatione conſtituat, quæ non ſolùm pro conquirendis & conſervandis Cuſtodis rebus ſufficere poſſit; verùm etiam ut Cuſtodi hactenus præter morem aliarum Cathedralium Altari precariò deſervienti aliqua exinde merces obtingat.

XV. Idem prorſus pro fabrica ſtatuitur, ut ædificium tam excellens in manſuram integritatem perduret. Et licèt in ſacra hac æde tanquam propria domo veneranda SS. Maximiliani & Valentini corpora requieſcant, ſepulchris tamen, quibus aſſervantur, diuturnitate & injuria temporum labefactatis debitus decor & ornatus abeſt; Ideo per DEI Omnipotentis & SS^um^ Amorem futurus obſecratur Succeſſor, ut ſacrorum pignorum monumenta reficiens atque exornans, honori & reverentiæ Divorum; Eccleſiæ verò hujus ampliori patrocinio tam pia conſulat largitate.

XVI. Seminarium ex Decreto ſacræ Tridentinæ Synodi, ſolida & permanſura fundatione, boniſque & ſinceris Clericalibus inſtitutis communitum erigatur, ex quo non tantùm Parochi pro Diœceſi Pataviensi, maximè cùm inſignis illius pars abdicata Hæreſi, Catholicæ unitati hoc tempore reſtituatur, procedant, ſed ut etiam habeantur, qui Choro atque Divinis Officiis pro debita decentia aſſiſtant.

XVII. Cùm nihil Divinorum Officiorum celebrationi magis officiat, quàm ſi Capellanorum, Muſicorum, Præbendiſtarum & Choraliſtarum, quos vocant ſalaria in longum protrahantur, hinc certa quoque conſtituenda eſt aſſignatio, unde hujusmodi perſonis debito tempore infallibiliter ſatisfiat: eodémque argumento, ut unio beneficiorum ad bonum divini obſequii facta finem ſuum conſequatur, lites adversùs eam obortæ componantur vel tollantur.

XVIII. Solent ex Reſidentia Epiſcopi perſonali in Eccleſia maximi fructus promanare, hinc eſt, quòd tam ſeriò à Conciliis & ſacris Canonibus decernantur. Et certè quantum hæc proſperitati tam ſpirituali quàm temporali conducit, tantùm nocet Paſtoris abſentia. Quapropter futurus Succeſſor cùm ad Regimen exacto ſtatuto tempore pervenerit, ad Reſidentiam perſonalem arctiſſima obligatione tenebitur.

XIX. Quòd ſi urgens neceſſitas continuam reſidendi facultatem non admitteret, quæ tamen Capitulo ſufficienter innoteſcere debebit, conſtituendus erit ex Capitulari Gremio Canonicus, qui competenti poteſtate Adminiſtrator nomine Principis rem publicam gerat, à quo Miniſtri & Officiales cæteri

 depen-

dependeant & dirigantur, quem ſi data occaſione aliquando abeſſe contingeret, in ejus locum alius Capitularis ſubrogabitur.

XX. Quòd ſi impoſterum Capitularium numerus idoneas perſonas contineat, ex illis Præſes Conſilii & Cameræ eligatur. Duo inſuper Canonici Conſiliis competenti ſalario adhibeantur. Major enim diligentia fidéſque ſecurior à membris pro capite, quàm ab extraneis & ſæcularibus pro Domino expectanda eſt.

XXI. Quàm enormiter crebri militum tranſitus & ſtationes per diſtrictum Paſſavicum collocatæ, accedente deinde noxia horum temporum turbulentia res Epiſcopatûs afflixerint, teſtantur debita, quibus premitur. Cùm itaque Capitulo de tollendo ære alieno maxima cura eſſe debeat, futurus Succeſſor in ſingulos annos reditus certos aſſignabit, qui ſummam conficiant (quam futura tractatio & compactatio, ante poſtulationem & electionem declarabit) creditoribus perſolvendam.

XXII. Contributio ex iis, quæ ad victum & neceſſaria hominum pertinent, quod negotium conſumptionis dicitur, depromta atque ultra terminum citra Conſenſum Capitularem jam extenſa, Clero, ſubditis, civibus & incolis oneri eſt & incommodo, inducitque cunctis mercibus exuberans pretium & caritatem. Hæc igitur exactio deinceps abolenda eſt, & petenda ratio, an pecuniæ ex ea perceptæ in deſtinatos uſus erogatæ fuerint.

XXIII. Quos labores & pericula Capitulum ab anno milleſimo ſexcenteſimo decimo, usque ad præſens tempus pro ſingulari in Auſtriacam Domum reverentia, & devotiſſima in Principem ſuum obſervantia, alacri promptitudine exantlârit, quos ſumptus fecerit, quæ damna hinc inde acceperit, ac etiamnum patiatur, nemo eſt, qui ignoret. Itaque futurus Succeſſor promiſſis prioribus inſiſtendo, exemplo Prædeceſſorum ſuorum feudum aliquod devolutum Capitulo ſuo attribuere non gravabitur, quod præſertim aucto & creſcente reſidentium Canonicorum numero fertili ſubſidio veniat.

XXIV. Cùm præterea debiti honoris & exiſtimationis Capitulo & Canonicis non mediocris imminutio facta ſit; proinde exiſtente præeminentia, maximi præjudicii cauſa, remota omni controverſia Canonici impoſterum non ſolùm in publico & publicis actibus atque conventibus officiales Epiſcopatus quosvis præcedant, ùt par eſt; ſed etiam uſu omnium Cathedralium recepto (veluti membra in quos capitis honor primariò derivatur) in Conſiliis prima vota & loca habeant.

XXV. Ratio ad trutinam æquitatis examinata dictare videtur, ut qui in ſocietatem laborum accerſiti auxiliatrices humeros Epiſcopo pondere diei & æſtus fatigato ſubmittunt, eos præmia, quæ animos ad ſumenda ſtudia erigant, ſequantur: conſentaneum igitur eſt, Capitulares, qui omnes ſuas vires, & conatus ſine aliquo ſolamine hactenus impenderunt, aliquibus modis recreare. Idcirco habiles non tantùm ad beneficia Eccleſiaſtica vacatura præ aliis admittantur, ſed etiam præfectura una & altera, quoad fieri poterit, petentibus concedantur, quas ſubſtitutorum Vicario miniſterio adjuti (veluti ſecularibus etiam hucusque conceſſum eſt) pro more aliorum Epiſcopatuum regere poſſint.

XXVI. Ut verò ea, quæ ſalubriter & neceſſitate exigente, vigore laudabilis conſuetudinis à Capitulis Cathedralium Eccleſiarum per Germaniam obſervatæ ſtatuuntur & ſtatuta ſunt, indubitatæ executioni mandentur; Ideo has Capitulationes & concordata Sereniſſimus Archidux Leopoldus Guilielmus, priusquam ad regimen acceſſerit, corporali juramento propria nominis ſubſcriptione ſigilliqne appenſione firmabit. Interim verò ampliſſima Sacræ Cæſareæ Majeſtatis, tanquam Auguſtiſſimi Parentis ſponſione ac fidejuſſione inviolabiliter ſanciantur.

XXVII. Denique aſſolet occulto hominum, & ſæculi vitio ſenſim primus fervor ſuccedente languore tepeſcere; quam ne aleam ſubeat horum Concordatorum vigor, recurrente quolibet anno revideantur; exinde ſi unus aut alter Articulus effectu ſuo carere animadverſum fuerit, Succeſſor id ſibi in memo-

memoriam debita reverentia revocari patiatur. Quòd ſi dubietas aliqua circa unius vel alterius articuli intellectum ſuboriatur, ille non aliter, quàm mutuo Epiſcopi & Capituli conſenſu & explicatione erit declarandus.

Cùm hæc Concordata rationi, juri & æquitati laudabilique conſuetudini hujus Eccleſiæ omnimodè conſentiant, ea vi plenipotentiæ deſuper habitæ, ab Auguſtiſs^mo^ Cæſare FERDINANDO Secundo tanquam Legati S. Cæſ^æ^ Maj^tis^ ad hoc ſpecialiter deputati acceptavimus & præſentium tenore acceptamus. In cujus fidem prædicta Concordata ſubſcripſimus, & ſigillis noſtris roboravimus.

Guilielmus Slavata Comes.

Joannes Lintner D^r^

Ego verò Joannes Lintner tanquam Archiducis Leopoldi plenarius ad hunc pariter actum Commiſſarius hæc omnia ita fuiſſe peracta & concluſa nomine jam dicti Sereniſſimi atteſtor, & fidem facio.

Marquardus à Schwendi Decanus.
Guilielmus Weilhamer.
Rudolphus B. de Pöttingen.
Ricardus ab Holdingen in Pernigen.
Hippolytus B. in Wolkenſtain.
Joannes Georgius B. ab Herberſtein.
Joannes Didacus Khuen Baro.
Joannes Chriſtophorus Epiſcopus Chiemenſis.
Wiguleus B. à Rorbach.
Joannes Brenner Doctor.
Rod. Freyherr von Santhelier.
Philip. Hector von und zu Adlzhauſen.

Sequitur Subſignatio Leopoldi ſic:

Poſtquam nobis à Venerabili Capitulo Paſſavienſi Concordata tempore poſtulationis noſtræ, inter Sac^æ^ Cæſ^æ^ M^tis^ Dni Dni Parentis noſtri Clementiſſimi Legatos, & ipſum Capitulum ad ſubſcribendum oblata ſunt, eadem pro conſuetudine manu noſtra propria ſignavimus, & ſigillo noſtro communivimus An. 1633. Decembris 15.

Leopoldus Wilhelmus.

Itaque anno 1625. die octava Novembris Capitulares collatis in urnam ſententiis Leopoldum Guilielmum Coadjutorem Succeſſorémque juſſerunt: ubi rurſum leges jam aliàs pro Epiſcopis eligendis conſtitutæ de integro partim renovatæ, partim pro conditione temporis temperatæ, novo Epiſcopo in eventum poſſeſsionis impoſitæ fuerunt: ſic:

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis Amen.

Anno à Partu Virgineo milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quinto, Indictione octava, die octavo menſis Novembris, hora circiter octava, ſummum Pontificatum gerente Sanctiſſimo in Chriſto Patre Urbano Octavo, exiſtente verò Eccleſiæ Pataavienſis Epiſcopo, Sereniſsimo Auſtriæ Archiduce Leopoldo, infrà ſcripti Ill^mi^ Perilluſtres Rev^mi^ & Admodum R^di^ nec non Nobiles, & Clariſsimi Domini Domini Marquardus de Schwendi Decanus & Senior, Wilhelmus Weilhamber Eccleſiæ Ratisbonenſis Decanus Sacroſanctæ Theologiæ Doctor, Rudolphus Baro à Pötting & Perſing, Swichardus ab Holding, Hippolytus Baro à Wolckenſtain, Joannes Georgius Baro ab Herberſtein, Joannes Didacus Khuen de Belaſi Baro, Joannes Chriſtophorus Epiſcopus Khiemenſis Comes à Lichtenſtein, Wiguleus à Rorbach Baro, Joannes Brenner Epiſcopus Simbalienſis ſuffraganeus SS. Theologiæ Doctor, Rodericus Baro à Santilier, Philippus Hector ab Adlzhauſen in Wikerzhoven; Totum Capitulum peremptoriale Eccleſiæ Pataavienſis repræſentantes

in æde Capitulari præſentium tenore manifeſtum eſſe volunt. Qualiter prælibati Sanctiſsimi in Chriſto Patris ac Domini Noſtri Domini Urbani Papæ Octavi, vi Brevis Apoſtolici deſuper emanati, unà cum facultate, vigore ejusdem motu proprio conceſſa, nec non Cæſareis precibus repetitis accedente Serᵐⁱ & Revᵐⁱ Epiſcopi Noſtri ſedula petitione, uti ex hinc inde pertractatis fuſiùs liquet, tandem permoti Sereniſsimum ac Reverendᵘᵐ Auſtriæ Archiducem Leopoldum Guilielmum in Coadjutorem Eccleſiæ Pataviensis cum futura ſucceſsione unanimi conſenſu poſt Invocationem Sancti Spiritus poſtulaverint præhabita tamen priùs ab Auguſtiſsimo Cæſare Ferdinando Secundo fidejuſſione, pro confirmatione, robore & obſervatione, prorſus inviolabili non tantùm veterum concordatorum, ſed etiam eorum omnium, quæ ex hac occaſione à prælibatis Capitularibus ad ſalutem Epiſcopatus duntaxat intentis invocata priùs ope divina pro variata temporis conditione compilata, atque prioribus addita vel immutata ſunt: quarum quidem ordinationum, articulorum, & concordatorum tenor, talis eſt prout ſequitur.

I. Primò eligendus, ſeu poſtulandus, in antiqua ac vera religione Chriſtiana, in ſancta Catholica ac Apoſtolica Eccleſia & fide, quæ hactenus in toto orbe terrarum à temporibus Apoſtolorum continua ſucceſſione floruit, & maximè in obedientia ſummi Pontificis & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ juxta formulam profeſſionis fidei à Pio Quarto Summo Pontifice feliciſsimæ recordationis ex Decreto Concilii Tridentini editam per DEI gratiam conſtanter ſe permanſurum juret ac ſpondeat. Curet etiam, ut omnes Conſiliarii, Præfecti, Officiales & familiares eandem ſecum fidem amplectantur & retineant, nec ullos Prædicatores, libros, aut ſubditos hæreticos in Civitate Paſſavienſi, aut aliis oppidis & locis ad Eccleſiam Paſſavienſem pertinentibus toleret, ſed contra hujusmodi ſeductores, librorum venditores, ac quosvis hæreſin profitentes, juxta Canonicas Sanctiones, ſummorúmque Pontificum, tam antiquorum quàm modernorum decreta, ad condignas pœnas procedat & procedi faciat, ſervitoréſque de hæreſi ſuſpectos, ab Officiis removeat.

II. Deindè idem in ſpatio unius anni à die obitus vel reſignationis Serᵐⁱ ac Revᵐⁱ Epiſcopi moderni computando, munus Conſecrationis Epiſcopalis absque ulteriori dilatione recipiat, publicéque Miſſam celebret; & ſi contingat Electum aliquem habere defectum, cujus ratione à recipiendis Ordinibus & munere Conſecrationis prohibeatur, tum unà cum confirmatione etiam diſpenſationem de tali defectu apud Sedem Apoſtolicam impetrabit.

III. Intra annum à die datæ poſſeſſionis inſignem aliquem & doctum Theologum vel Canoniſtam Religione Catholicum competenti ſalario, & ſine diſpendio Capituli conducet, & ſuſtentabit, qui ſi neceſſitas poſtulet, Pœnitentiarium agere, aut alia munia Eccleſiaſtica obire queat.

IV. Habebit etiam Paſſaviæ & Viennæ duos Officiales ſeu Vicarios Generales, Clericos honeſtos & Doctos, & in Theologia aut utroque vel altero jurium bene verſatos, qui de cauſis ad forum Eccleſiaſticum ſpectantibus cognoſcant, & ſinguli ad minus duos habeant Aſſeſſores atque Notarium unum Epiſcopatûs ſumptibus alendos.

V. Officiales illos duos conſtituet ex Capitulo ſi qui ſunt, qui fungi his Officiis velint; ſin minùs, alias quaspiam perſonas Eccleſiaſticas doctrina & vitæ integritate conſpicuas. Immunitates & præcipuè Jurisdictionem Eccleſiaſticam Diœceſis Paſſavienſis pro virili ſua defendet & tuebitur, nec conſentiet unquam, ut præſens Eccleſiæ Paſſavienſis ſtatus in religionem ullam vel regularem vel militarem mutetur. Communi quoque Clero coram illo negotia habenti ſe benignum & gratioſum exhibeat.

VI. Cùm primùm fieri poterit, de omnibus bonis mobilibus Paſſaviæ, atque in Arcibus, Caſtris & Domibus Epiſcopalibus ubilibet conſtitutis, & ad Epiſcopatum pertinentibus per Canonicos tam ab ipſo quàm à Capitulo deputandos ſufficiens & plenum Inventarium conficiat, atque confici faciat, quod exinde dupletur, & in formam authenticam redigatur, atque ſigillo Epiſcopi

&

& Capituli roboretur, quorum unum ipſe retineat, & alterum ad manus Capituli tradat.

VII. Pari ratione in ſpacio unius anni à die poſſeſſionis adeptæ aſſignare teneatur Capitulo Urbarium authenticum omnium & ſingulorum bonorum immobilium, decimarum, proventuum, cenſuum atque redituum ad Epiſcopatum quomodolibet ſpectantium, & ubilibet locorum conſtitutorum, nec non deſcriptionem omnium feudorum; ſigillo quidem ſuo roboratum, quod per Canonicos à Capitulo deputandos ad antiqua & nova Eccleſiæ Urbaria conferatur, revideatur, & iis planè conformetur.

VIII. Bona immobilia Epiſcopatus quæcunque; Item cenſus, reditus & proventus, inſuper & bona mobilia precioſa, in præmiſſis Inventario & Urbariis comprehenſa, ſine Capituli peremptorii ſcitu, conſilio & expreſſo conſenſu non poſſit vendere, permutare, donare aut quovis alio titulo alienationis in alium transferre; ſed nec cuipiam ad vitam aut longum tempus & omnino non ultra triennium expreſsè locare, vel alio quovis quæſito nomine aut colore concedere.

IX. Hinc ſi Coadjutor, vel Epiſcopus Caſtra, ſeu bona Eccleſiæ Paſſavienſis pro utilitate & neceſſitate ejusdem voluerit & debuerit alienare, ſeu impignorare, nec non alicui bona aut Officium aliquod ad dies vitæ concedere, impignoratio ejusmodi, aut conceſſio effectum nullum habeat, multo minùs ſigillo confirmetur, aut corroboretur, niſi illa cum præſcitu & conſenſu Capituli Peremptorialis fiant, ita tamen ut hujusmodi contractus utilis videatur Eccleſiæ, ſalva in omnibus conſtitutione Paulina.

X. Si Capitulum aut perſona aliqua Capitularis velit impignoratas res Eccleſiæ ſuper Caſtris, Theloneis, aut aliis obventionibus ab extraneis redimere, in quibus locus eſt redemptioni, permittat hoc Epiſcopus, & ut fiat, effectualiter diſponat, ita tamen, ut illa bona poſſint ſemper per Epiſcopatum, ſoluto eodem pretio redimi.

XI. Singulis annis adjunctis ſibi à Capitulo duobus Canonicis, ab omnibus Officialibus ſuarum adminiſtrationum & officiorum diligenter exigat rationem, niſi urgentiſſimæ cauſæ, de quibus Capitulo vel deputatis conſtare debet, impedirent, ut ratio ad alterum annum differatur.

XII. Ultra id ſingulis quoque annis ad requiſitionem Capituli perceptorum & expoſitorum ſummariam reddat rationem præſentibus duobus Canonicis Capitularibus à Capitulo deputatis, qui deinde ſtatum rei ad Capitulum referent. Quòd ſi minùs bene adminiſtraverit rem domeſticam, Capitulúmque eum admonuerit, ejusmodi admonitionem benignè accipiat, malámque adminiſtrationem emendet.

XIII. Quidquid in Urbe pro Confirmatione, aliisque neceſſariis, nec non pro impetrandis ab Imperatore regalibus expendendum erit, impenſis menſæ Epiſcopalis ac ſubſidii charitativi, prout moris eſt, & absque jactura rerum Capitularium expediat.

XIV. Teneatur quoque unà cum Confirmatione ſuæ electionis ſuis impenſis impetrare Confirmationem Concordatorum, atque poſtea adepta Confirmatione ſtatuta Capituli authoritate ordinaria ſtatim confirmet, eadémque à Sede Apoſtolica, ſi conſultum viſum fuerit, confirmari procuret.

XV. Diligenter etiam obſervet, obſervarique curet, concordiam factam per Duces Bavariæ inter R^dum Dominum Erneſtum Adminiſtratorem & cives Paſſavienſes.

XVI. Duos ad minus Canonicos Capitulares, quos elegerit, conſilio ſuo tam publico quàm privato præſertim Cameræ adhibebit; quos competenti ſtipendio, aut alio modo contentare ſtudeat.

XVII. Inſcio Capitulo, æs alienum non contrahat & annuatim exactiones impoſitas, quas ſteuras appellant, integras perſolvat, nec in futurum tempus ſolutionem differat, neque pro ullo alio unquam fide jubeat.

XVIII. Ut plures Canonici ad Reſidentiam alliciantur, Electus ad pixidem Capituli ſingulis annis ex redditibus menſæ Epiſcopalis in Feſto divi

Michaelis

Michaelis mille florenos Rhenenſes ad manus Magiſtri Pixidis perſolvat, & quaſdam etiam Eccleſias Parochiales ſi vacaverint, videlicet Hoff-Kirchen, Tauff-Kirchen, ad flumen Traidtnach, Aſpach, Maur-Kirchen, Althaimb, & Pfarr-Kirchen, quarum nulla ultra dietam à Paſſavia diſtat, ſemper Canonicis reſidentibus conferat, nec aliis perſonis de præfatis Eccleſiis provideat.

XIX. Omnes differentias quæ vertuntur in cauſa Umgelt vulgò vocata nec non confinium cum conſenſu & Conſilio Capituli expediat.

XX. Feuda quæcunque aperta; vel ad Eccleſiam devoluta, ad quasvis preces, etiam Imperatoris, Regum, Principum & aliorum nemini permittat; multò minùs conferat, niſi priùs conſenſus Capituli peremptorii habeatur; pecuniáſque in hoc caſu percipiendas & perceptas in nullum alium uſum, quàm in ſolutionem debitorum, ac redemptionem impignoratorum bonorum ipſius Eccleſiæ conferat.

XXI. In collationibus omnium Feudorum etiam antiquorum ſemper duos adhibeat Canonicos à Capitulo deputandos, quorum Conſilio & aſſenſu feuda conferat.

XXII. Electus vel Poſtulatus renunciabit pro ſe & Succeſſoribus ſuis omni Jure feudali, quod Epiſcopis hactenus in quibusdam bonis ac decimis competiit, & Capitulum Jure feudi poſſedit, concedens venerabili ſuo Capitulo illis impoſterum uti & frui, ut aliis ſuis bonis propriis & allodialibus.

XXIII. Incorporationem Eccleſiæ in Schwadorff omnéſque alios redditus ab antiquo Capitulo in Dominio ibidem perſolvi debitos & conſuetos ſine ulla diminutione Capitulo dimittat, niſi inter Epiſcopum & Capitulum alia transactio, aut bonorum permutatio ſequatur.

XXIV. Inſtrumenta bellica, ùt ſunt bombardæ, pulveres & alia bellico uſui deſtinata, nullo modo alienet ſive diminuat, ſine expreſſo conſenſu Capituli.

XXV. Deſtructas & ruinoſas Arces, ad monitionem Capituli, quantum neceſſitas poſtulaverit, & fieri poterit, reparet, atque ædificia ſic refecta ſarta, tectáque conſervet.

XXVI. Epiſcopus non reſignet, cedat, permutet, vel aliquid de Epiſcopatu reſignando diſponat, nec in Coadjutorem conſentiat, aut pro aliquo ullo unquam tempore intercedat, inſcio & non conſentiente Capitulo; ſed eidem omnem diſpoſitionem permittat. Econtrà verò, nec Canonici per clandeſtinam praxim pro Coadjutore vel pro Epiſcopo futuro, vivente adhuc moderno confirmato, inſcio vel nolente ipſo aliquid moliantur.

XXVII. A Canonicis & Eccleſiis quas poſſident Canonici, nihil prorſus exigat, ſed iidem liberi ſint, ab omnibus exactionibus, ſteuris, cathedratico & quocunque charitativo ſubſidio vulgariter Weichſteuer, non obſtantibus quibuscunque Conſtitutionibus Imperialibus, quacunque de cauſa editis, & edendis; ſed in his omnibus Epiſcopus Capitulum relevare teneatur.

XXVIII. Capitulum Paſſavienſe, & Magiſter Pontis & Leproſorum ſint per Civitatem Paſſavienſem liberi ab omni exactione, ſeu ſolutione Datiæ, quæ Umgelt & Anſchlag vel Aufſchlag, vulgariter nuncupantur, adeò quòd de vinis ſuis & bonis quæ eos ſucceſſivè educillare & vendere contingeret, nullatenus quidquam ſolvere teneantur, in cujuscunque poteſtate jus exigendi ſeu recipiendi ejusmodi exactionem exiſtat in futurum, ita quòd liberè eadem vina educillare, ſeu illa & bona ſua vendere poſſint & valeant cuicunque vel quibuscunque, etiam extra civitatem Paſſavienſem, prout eis videbitur expedire, absque exactione prædicta & omni impedimento.

XXIX. Præpoſitus, Decanus, & ſinguli Canonici, Magiſter leproſorum, imò quicunque Beneficiati & Clerici Civitatis Paſſavienſis, & ſuburbium ejusdem, de vinis & frumentis quæ eos & aliquem eorum in uſum domus ſuæ comparare contigerit, ſeu qualitercunque illa acquiret, à dictis exactionibus Umgelt, Aufſchlag, pro tempore & quibuscunque aliis exactionibus per civitatem Paſſavienſem, ubilibet impoſitis, ſeu imponendis, occaſione victualium

lium hujusmodi liberi ſint omnino, & exempti, prout etiam Jure communi cautum eſt.

XXX. Non ſerviat Regibus, aut quibuscunque Principibus ſine ſcitu & expreſſo conſenſu Capituli.

XXXI. Si Coadjutor futurus Epiſcopus per omnes Canonicos non fuerit concorditer electus, erga hos, qui eum non elegerint, nullas inimicitias exerceat, nec alias moleſtias directè aut indirectè quovis quæſito colore vel ingenio inferat, vel inferri faciat.

XXXII. Quoties contigerit electum pro quibuscunque negotiis tractandis ad Capitulum aliquam Legationem mittere, non committat negotium Domino Decano, ſed aliis ſuis Conſiliariis ſive ſpiritualibus ſive ſæcularibus.

XXXIII. Neutralem ſe gerat erga Domum Auſtriæ, Bavariæ & Regnum Bohemiæ, quantum fieri poteſt, præcipuè verò, ſi differentiæ aut controverſiæ inter Dominos præfatos ortæ fuerint; niſi de conſenſu Capituli aliud conſultum videatur.

XXXIV. Epiſcopus electus aut confirmatus non ineat fœdus ſive ligam cum aliquibus Principibus, Dominis & Potentatibus & aliis quibuscunque; quocunque nomine vel titulo vocentur, ſine Capituli Peremptorialis Conſilio, voluntate, beneplacito & expreſſo aſſenſu; & econtrà Capitulum ſine Epiſcopi conſenſu expreſſo, ſimilia quoque non tentet.

XXXV. Non exigat à Magiſtro Fabricæ quadraginta florenos Rhenenſes annuos, olim ſolvi conſuetos, ratione proclamandi mandata.

XXXVI. Epiſcopo defuncto omnes veſtes illius, & quidquid nomine veſtium comprehenditur, & alias ex conſuetudine dividi inter fratres ſolet, inter Canonicos Capitulares (excepto electo) qui tempore obitus fuerint præſentes, aut præbendam itinerariam vulgò Raiſs-Pfriendt indixerint, eóque anno participes fuerint, diſtribuantur; atque in hoc conſanguinei ipſius Epiſcopi, Capitularibus nullum impedimentum afferant.

XXXVII. Si contigat illum decedere ab inteſtato, omnia mobilia etiam qualitercunque pretioſa, poſt mortem ſuam relicta remaneant apud Eccleſiam ipſam Paſſavienſem, exceptis patrimonialibus, induſtrialibus ante adeptum Epiſcopatum acquiſitis, aut poſtea per hæreditatem ad ipſum devolutis, contradictionibus amicorum, conſanguineorum & aliorum quorumcunque non obſtantibus. Teſtari autem illi aliter non liceat niſi de conſenſu Capituli Peremptorii & ſecundùm Canonum inſtituta.

XXXVIII. Ut Cultus Divinus in celeberrima hac cathedrali Eccleſia conſervetur, magis ac magis augeatur & ornetur, electus ex conſuetudine hactenus à prædeceſſoribus obſervata pro ſuſtentatione octo Choralium competens ſalarium aſſignabit.

XXXIX. In Confirmationibus Prælatorum ſemper vocet aliquos Canonicos Capitulares, quos voluerit, pro decentia & honore ipſius Epiſcopi.

XL. Inſtituat quoties illi commodum & neceſſarium viſum fuerit, viſitationem generalem Cleri Diœceſis Paſſavienſis.

XLI. Quamvis omnis Jurisdictio ordinaria per totam Diœceſim Epiſcopo in Clerum ex Juris communis diſpoſitione competat, ex quadam tamen hactenus obſervata conſuetudine, Epiſcopus pro tempore exiſtens, indulgeat Jurisdictionem hujusmodi Venerabili ſuo Capitulo in Præpoſitum & Decanum, nec non in perſonas ſingulorum Canonicorum Decano ſuo, & nomine Capituli in Vicarios, Criptarios, cathedralis Eccleſiæ Plebanum, Subcuſtodem, Oblayarium, Altariſtas, & Beneficiatos quoscunque, licet alibi etiam extra Eccleſiam Cathedralem habeant Beneficia; Chorales, Præbendiſtas Eccleſiæ Paſſavienſis tam præſentium quàm abſentium; ita ut Epiſcopus ſibi in easdem perſonas, nullam Jurisdictionem per ſe, vel per alium exercendam aſſumat, neque contra eos in ſpiritualibus & temporalibus procedat, vel alteri ad procedendum demandare prætendat; niſi in criminalibus criminaliter intentatis, ubi ad privationem officii vel beneficii procedendum eſſet; eandem jurisdictionem ordinariam concedat Epiſcopus Capitulo & Decano reſpectivè

 in

in bona decentium præfatarum perſonarum. Verùm Inſtitutiones ſeu proviſiones quorumcunque Beneficiorum in Eccleſia Cathedrali Paſſavienſi fundatorum ad Epiſcopum ſpectantium nullo modo per præmiſſa Epiſcopo cenſeantur ademptæ. Sed quod ad Paſtores ſeu Plebanos Vicarios perpetuos vel temporales ac Proviſores, nec non Cooperatores, ac Capellanos Eccleſiarum Capitulo incorporatarum ubicunque locorum ſitarum attinet, omnem Jurisdictionem, cognitionem, & coercitionem Capitulo liberè relinquet: hujusmodi tamen Paſtoribus, Vicariis, ac Cooperatoribus, ubi ſe gravatos exiſtimaverint, integrum ſit ad Epiſcopum provocare. Quòd ſi in literis incorporationis, Capitulo majus jus quàm in præmiſſis eſt expreſſum, fuerit conceſſum, eo, dummodo legitimè conſtiterit, uti ſit ipſi pariter conceſſum.

XLII. Familiares Præpoſiti, Decani, & ſingulorum Canonicorum nec non Vicariorum & Beneficiatorum, Magiſter ſcholæ, illius collaboratores, Præbendiſtæ, Æditui, ac alii Capituli & Eccleſiæ ſervitores in cauſis civilibus ad examen Judicis civitatis minimè pertrahantur, ſed Jurisdictioni Decani pro tempore exiſtentis ſubſint: qui tamen Decanus debet ſibi aliquem Canonicum adjungere, cujus Conſilio de cauſis cognoſcat: idque locum habet in omnibus, niſi eſſent aliqui ſpecialiter privilegiati, ùt eſt Magiſter Pontis.

XLIII. Cùm Epiſcopus Paſſavienſis pro tempore eligere voluerit Judicem, Magiſtrum civium & ſenatum, nec non recipere Juramentum fidelitatis à ſuis civibus & ſubditis, id ex hactenus laudabili conſuetudine fieri debet præſentibus & coëligentibus Decano & Capitulo, aut à Capitulo ad hoc deputatis, ut ſic fidelitatem jurantes diſcant agnoſcere Superiores & Dominos ſuos vacante ſede. Qua tamen in re Capitulum præſentiam ſuam aut deputatorum non deneget. Nam ſi venire recuſaverint, nihilominus Epiſcopo ad electionem & Juramenti receptionem procedere liceat.

XLIV. Cùm ardua utì de ſtatu Eccleſiæ, de hoſtibus arcendis, tuendis ſubditis, & hujusmodi fuerint tractanda negotia, Capitulum per R^{mum} convocari debet. In ea tamen conſultatione voces non colligantur eo præſente, ſed ſeparatim inter ipſos Capitulares, & quidquid concluſum fuerit, per unum ex iisdem exponatur.

XLV. Epiſcopus ad loca remotiora, ad aliquod tempus ob quascunque cauſas in Paſſavia diſcedens unum, quem voluerit ex Capitulo in Locumtenentem & non alium conſtituat.

XLVI. Cùm olim in magnis Feſtivitatibus præſertim Paſchæ, Aſcenſionis Domini, & Pentecoſtes, Epiſcopus ad oſtendendum paternum erga ſuos Canonicos animum, & Clerum Chori, poſt auream nonam (utì vocant) ex laudabili conſuetudine vocarit ad collationem, impoſterum omittatur, & loco ejus quavis vice præſentiæ, decem floreni diſtribuantur.

XLVII. Judices in Civitate Paſſavienſi pro tempore exiſtentes, quotiès à Decano, aut Vice-Decano requiſiti fuerint, per ſuos miniſtros, & in eventum neceſſitatis per ſeipſos à Curia & area (vulgariter die Wöhr) luſores, blasphematores, rixatores, jumenta ſeu pecora expellant & arceant. Similiter in publicis placitis (vulgariter Ehehafften) prout hoc fieri ſolet in feſto Beatæ Mariæ Magdalenæ, Privilegia ab Epiſcopis Conrado & Berchtoldo ſupra dictis Curiæ & Areæ conceſſa ad evitandum execrationes, pœnásque in illis contentas publicent.

XLVIII. Epiſcopus non requirat, vel cogat Decanum per Capitulum electum, ut Confirmationem ab eo recipiat, ſed ipſo facto pro antiquiſſima conſuetudine, per electionem Capituli confirmatus ſit.

XLIX. Ad Decanum ſpectat traditio poſſeſſionis omnium Beneficiorum quocunque nomine vocentur, & cujuscunque illa ſint collationis in Eccleſia Cathedrali & ejus ambitu conſiſtentium, nec non Eccleſiarum Sancti Pauli & S. Egidii; atque in ea Electus Decano nullum faciet impedimentum.

L. Epiſcopus Decanum Paſſavienſem & Capitulum in ſuis Jurisdictionibus & Juribus non impediat, ne deluſoria ſit ipſorum Jurisdictio.

LI. Epi-

Digitized by Google

LI. Epiſcopus non det facultatem Decanis Ruralibus in diſtrictu Officialatus ſupra Anaſum decidendi ſive judicandi cauſas matrimoniales, quandoquidem cognitio earundem ad Decanum Eccleſiæ Paſſavienſis pertinere dignoſcitur.

LII. Nullis quorumcunque Ordinum Religioſis in Civitate Paſſavienſi, vel propè, locum concedat ad ædificanda Monaſteria, Eccleſias, ad habendum & poſſidendum domos & alia loca ſeu Oratoria privata, niſi de Capituli Peremptorii conſilio & conſenſu.

LIII. In Eccleſiaſticis Beneficiis conferendis, Canonicis ſuis talem ſe exhibeat, ut Patrem potiùs quàm Dominum ſe gaudeant elegiſſe.

LIV. Quoties Epiſcopus Canonicorum ope in ſuis & Eccleſiæ negotiis uti voluerit, hoc Decano vel Capitulo tempeſtivè inſinuet.

LV. Epiſcopus tempore peſtis, nec non aliis omnibus Capituli neceſſitatibus, invaſionibus atque bellis, eidem manum efficaciter porrigat defenſivam; Caſtrum unum vel plura Capitularibus pro hujusmodi ſecuritate & defenſione aſſignando, quæ illis ſemper ad certum refugium mandato Epiſcopi pateant.

LVI. Quæ pro anniverſariis relicta, & fundata ſunt & hactenus ex Thelonio, aut Camera Epiſcopali numerari conſueverunt; absque diminutione & contradictione impoſterum quoque integra perſolvantur. Ipſi tamen anniverſarii dies, juxta eorundem inſtitutionem diligenter & piè peragantur.

LVII. Cùm Canonici in ipſa Eccleſia Paſſavienſi Matre noſtra reſidentes, ſint tanquam Eccleſiæ ſenatus & membra Capitis ſcilicet Epiſcopi, cui ex Officio ſedulò aſſiſtere debent, cauſam habeant rationabilem abſentiæ à Parochiis; Epiſcopus igitur juxta antiquam conſuetudinem ſicut à noſtris Senioribus & Anteceſſoribus felicis recordationis percepimus, infra menſem à die Confirmationis, ſeu Conſecrationis ſuæ, det facultatem toto tempore regiminis ſui citra revocationem duraturam, Decano & Capitulo concedendi curam animarum Vicariis ſive Procuratoribus, & Divinorum Cooperatoribus Eccleſiarum, quas Præpoſitus, Decanus ſinguliſque Canonici ipſius Eccleſiæ noſtræ Paſſavienſis obtinent; qua facultate & conceſſione fruantur, quamdiu ipſi in Eccleſia cathedrali reſident. Ille verò reſidens reputatur, qui unius angariæ fructus Præbendæ demeruerit, obtinet ſeu obtinuerit.

LVIII. Epiſcopus ſive Coadjutor, Capitulum in collationibus Eccleſiarum, Præbendarum & aliorum beneficiorum ad ejus diſpoſitionem pertinentium non impediat, quò minùs poſſint de illis liberè diſponere. Quòd ſi pro aliquo interceſſerit, & preces à Capitulo admiſſæ non fuerint, nemini propterea ex Capitularibus ſuccenſeat, aut moleſtiam ullam exhibeat.

LIX. Idem Coadjutor vel Epiſcopus jus integrum permittat Capitulo, in collatione Eccleſiæ ſancti Pauli & aſſumptione Cuſtodis: ſimiliter in receptione Canonicorum menſe ordinario, ita ut nec directè, nec indirectè Capitulum ullo modo compellat, ut præter ſuam voluntatem aliquem recipiat; imò nec indultum ullum, ſeu jus diſponendi de Canonicatibus, Præbendis, ac aliis quibuscunque beneficiis ipſius Capituli à Sede Apoſtolica, vel alibi impetret, aut impetratis ſeu impetrandis, quibus ordinaria Capituli collatio in menſe ordinario impediatur, quovis modo utatur.

LX. Coadjutor ſive Epiſcopus impoſterum exactiones, ſteuras, ſeu ſubſidia qualiacunque Clero ſuo, absque Capituli ſui conſilio & conſenſu imponere, & ab eodem exigere non attentet; & ſi neceſſitate poſtulante, ut id faciat, annuente Capitulo compulſus fuerit, pecunias tamen indè collectas, nonniſi in utilitatem Eccleſiæ, adhibito in omnibus Capituli conſilio, convertat; neque ut aliter fiat Capitulum ipſum unquam conſentiat.

LXI. Quandocunque Capitulum aut ſingulares ejusdem Perſonæ habuerint, vel in Cancellaria Domini Epiſcopi vel apud ejus Officiales negotia quædam, in quibus literæ expediendæ ſint, ejusmodi ipſis ſemper gratis & absque ſolutione alicujus taxæ, aliàs ſolvi conſuetæ expediantur.

LXII. Epiſcopus vel Coadjutor nullum poſthac Caſtellanum vel Præfectum recipiat, vel ei fortalitium & Caſtrum aut Præfecturam committat niſi literis Patentibus, ſuo ſigillo, aut alio authentico ſignatis ſe obliget, atque in manus Epiſcopi, vel cui id ille commiſerit, in præſentia duorum Canonicorum Capitularium debito juramento fidelitatis ſe aſtringat nimirum ſe fidelem & obedientem futurum ipſi Epiſcopo, eo autem defuncto, Decano & Capitulo, & ei qui per ipſum Capitulum concorditer & à majore parte fuerit canonicè electus, ut moris eſt, qui etiam Decano & Capitulo ſpecialem obligationem literis patentibus, modo prædicto ſigillatis, & Alemannica lingua conſcriptis dabit. Forma autem obligationis de verbo ad verbum ſic ſe habet:

Ich N. zu N. bekenne als der Hochwürdig Fürſt und Herr N. mein genädiger Herr mich zu ſeiner Fürſtl. Gnaden Pfleger aufgenommen, und mir ſeiner Gnaden und deſſelben Stüffts Schloſs und Herrſchafft N. zu verwalten anbefohlen hat, vermög meines, und ſeiner Fürſtl. Gnaden deſswegen gegebenen Bſtands: hergegen ich dann ſeiner Fürſtl. Gnaden Pflichtung gethan Innhalt meines Revers unter andern bedättingt, daſs nach ſeiner Fürſtl. Gnaden Tod, den GOTT lange verhüten wolle, einem Capitul zu Paſſau, oder dem, ſo durch daſſelbe einträchtiglich oder den mehrern Theil zum Biſchoff erwöhlt wird, ermeldtes Schloſs ein ofnes Hauſs gegenwärtiglich ſoll ſeyn; wann und als offt ſich auch begäbe daſs (wann kein Biſchoff wäre) ein Ehrwürdig Thumb-Capitul in das allbereit meiner Verwaltung Schloſs Leuth zu legen nothdürfftig würde, daſs ich darein kein Irrung thun, doch daſs ſolches ohn mein Coſten und Entgelt beſchehen ſoll, auch ſonſt getreu und gewärtig zu ſeyn, derſelben und des Stüffts Frommen in allen Sachen zu fördern, Schaden zu warnen und zu wenden, auch mich in allweg halten, wie ein getreuer Diener ſeiner Herrſchafft zu thun ſchuldig und pflichtig iſt. Getreulich und ungefährlich. Daſs ich obgenanter N. demnach bey meiner wahren treuen an Aides ſtatt, alles das hieroben gemeldet iſt, wann ſich der Fahl obgedachts meines gnädigen Herrn Ableibung begübe, und ich dieſelbe Zeit mit ermeldtem Pfleg-Ambt und dem Stüfft noch verbunden wäre, gegen einem Ehrwürdigen Thum-Capitul oder erwöhltem Biſchoffe vermög meines Beſtands-Brieff getreulich zu vollziehen gelobe und verſpreche; deſs zu wahren Uhrkundt gib ich mehrgedachtem meinem Gnädigen Herrn einem Ehrwürdigen Capitul diſe Bekantnuſs mit meinem eignen Inſigel verfertigt, geben und beſchehen. &c.

LXIII. Et quia ibi debet major cuſtodia eſſe, & arctior obligatio, ubi majus periculum Eccleſiæ imminere poteſt, aliàs à Majoribus eſt obſervatum, quod quicunque Epiſcopus vel Coadjutor Caſtellanum Arcis S. Georgii ſupra Civitatem Paſſavienſem acceptaverit, tunc poſſeſſione ſive cuſtodia Arcis habita, idem Caſtellanus præſente Epiſcopo vocata univerſa familia ipſius Caſtellani, duobus Canonicis ad hoc à Capitulo deputatis ultra præmiſſa jurare debet, ſe defuncto Epiſcopo neminem in arcem intromiſſurum niſi Decanum & Capitulum vacante ſede & deinde eum, qui per ipſum Capitulum aut à majori parte Canonicorum fuerit electus. Alias inſcriptiones in morem aliorum Caſtellanorum nihilominus dare ſimiliter teneatur.

LXIV. Cùm proximè Eccleſiam S^{ti} Egidii trans pontem Oeni vacare contigerit, Capitulum eandem uni ex Canonicis Capitularibus conferat, cui Epiſcopus deinde Pontis atque Leproſariæ Officia pariter conferre teneatur. Poſtquam autem ſecundariò vacaverit, cui Canonico Epiſcopus commiſerit & contulerit Pontem, eidem Capitulum Eccleſiam quoque ſine refragatione conferat, qui modus alternativus amodo perpetuis futuris temporibus obſervetur.

LXV. Cùm multitudo privilegiorum, libertatum & immunitatum hactenus ab Epiſcopis, civibus liberaliter conceſſarum, iiſdem occaſionem inſurgendi contra Epiſcopum dederit, poſthac Epiſcopus ex ante actis cautior factus, nulla alia nova privilegia, libertates, immunitates, levandæ pecuniæ cauſa, civitati & civibus ipſis pro parte vel in totum perpetuis temporibus elargiatur & concedat, ultra ea privilegia & immunitates, quæ priùs civitati

& civibus ipſis, per ſæpe dictos Dominos Epiſcopos Anteceſſores conceſſæ ſunt, & quæ civitati ipsisque civibus per Ill^mos Principes & D^nos Dominum Wilhelmum & D^num Ludovicum Comites Palatinos Rheni & utriusque Bavariæ Duces per ſuas Ill^mas Celſitudines publicatæ fuerunt.

LXVI. Immunitates, Jura & Privilegia Colonis Dominii in Caſtro Razmanſtorff qui Biſtomber & Schlöſſer appellantur & civibus in Windorff; Item illis quoque qui vulgo Stephaner vocantur, vigore antiquorum Concordatorum integra & ſalva permaneant; & quia horum poſtremorum Jura à Ducibus Bavariæ ab aliquo tempore impugnantur, iisque ſubtracta ſunt, omnem adhibeat operam Eligendus, ut cuncta in antiquum ſtatum reponantur & reſtituantur.

LXVII. Teneatur etiam Electus ſeu Poſtulatus oblajario Capituli ſingulis annis ex redditibus menſæ Epiſcopalis ſolvere ſex florenos & quatuor ſolidos denariorum uſualis monetæ, tres ad hiſtoriam in Octava omnium Sanctorum, reliquos tres & quatuor ſolidos ad anniverſarium fundatum à Balthaſaro de Stahrenberg.

LXVIII. Epiſcopus vel Coadjutor ſeminarium ſecundùm formam à Concilio Tridentino præſcriptam, quoad fieri poteſt, inſtituat; interim tamen, usque ad inſtitutionem prædicti Seminarii, cùm magna ubique ſit penuria Sacerdotum, & charitas multorum refrixerit, paucique ſint, qui pauperum ſcholarium curam ſuſcipiant, teneatur Electus viginti quatuor ſcholares alere, illisque de alimentis ſingulis diebus providere, quemadmodum etiam priores felicis recordationis Epiſcopi jam defuncti fecerunt; qui omnes Choro & Eccleſiæ diligenter inſerviant & Decani jurisdictioni & diſciplinæ ſubjiciantur.

LXIX. Quia ad Capitulum ſpectat proprietas & poſſeſſio Areæ (quam vulgariter den Hoff und Wöhr vocant) videlicet in Aquilone versùs Danubium, ab Oriente ad portam Palatii Conſulis, ubi jacet lapis ſanguinis aliàs Wechſlſtain, versùs Occidentem usque ad urbis murum qui die Wohr appellatur: versùs Auſtrum ad flumen Oeni; idcirco in eundem ambitum nemo quidquam diſponere aut ordinare, niſi ſecundùm beneplacitum & voluntatem Capituli præſumat, ùt habetur ex privilegiis ſeu donationibus bonæ memoriæ quondam Conradi & Berchtoldi Paſſavienſis Eccleſiæ Præſulum.

LXX. Ad eundem modum, cùm Canonici Eccleſiæ Paſſav. in ſuis Curiis quas inhabitant, nec non in ædibus Capitularibus, & Kheller-Hof, ac Area (quam vulgariter den Pfaffen-Hoff & Wöhr vocant) ſint ſpeciali immunitate & libertate privilegiati, adeò, ut nemini liceat neque juſſu Epiſcopi, nec ſuorum conſiliariorum, aut miniſtrorum ipſius, nec etiam per Judicem civitatis aut cives Paſſavien. aut per quamcunque aliam perſonam capi, detineri, aut aliàs in rebus & perſonis moleſtari, niſi de expreſſo conſenſu Capituli; hoc Privilegium impoſterum quoque inviolatum ſemper conſervetur.

LXXI. Epiſcopus pro tempòre cauſas contra Capitulum nulli committat, ſed easdem in propria perſona audiat, & decidat, niſi peregrè & longè abfuerit: tunc poterit ex juſtis cauſis easdem alicui perſonæ in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ committere, reſervata ſibi ſententia, in perſona propria ferenda.

De omnibus & ſingulis præmiſſis, ac eorum quolibet à Sede Apoſtolica aut aliis quibuscunque idem Epiſcopus non impetrabit diſpenſationem aliquam per ſe aut alium publicè vel occultè, directè vel indirectè, quovis quæſito colore, & etiam diſpenſationibus impetratis vel impetrandis nullatenus utetur. Hucusque articuli.

Cæterùm Poſtulatio declarata Pontifici cùm eſſet, etiam probata eſt per geminum Breve Apoſtolicum, quorum altero ad Collegium Canonicorum „ dato eorum ſententiam confirmavit, ſcivitque ſic, ut Leopoldo patruo cedente „ vel decedente, vel aliàs iſti Eccleſiæ præeſſe deſinente Leopoldus Guiliel- „ mus, poſtquam ad legitimam ætatem perveniſſet, Epiſcopus eſſet: quòd ſi „ autem ante legitimam nepotis ætatem patruus præeſſe deſineret, tum itidem 1626. Probante Pontifice.

„ Adminiſtratorem jubebat eundem Marquardum de Schwendi, donec is le-„ gitimæ ætatis annos attingeret: datum anno 1626. Kalendis Februarii. Ex quibus literis ſatis apparet, Leopoldum Seniorem, quod quidam prodiderunt, Romæ ſuis Epiſcopatibus nequaquam renunciâſſe, neque id antè feciſſe, quàm de ſucceſſione Nepotis explorata res eſſet; id quod per haſce ipſas literas effectum eſt. Sed alias item unà cum ſuperioribus eodem anno & die ad Leopoldum nuper electum dedit, quibus eum uti talem confirmat, „ *ob inſignia,* „ inquit, *Genitoris tui Romanorum Imperatoris ex Catholicorum ac piorum Regum,* „ *& Principum perſonis longè clariſsimi merita, ſingularémque familiæ tuæ in nos,* „ *& Apoſtolicam Sedem devotionem, nec non præclaras virtutes, quæ vel in iſta* „ *ætate in te elucent, ac pietatem, & Religionis zelum, ex quibus ſperatur ætate tibi* „ *ſuffragante te in religioſum, circumſpectúmque Præſulem evaſurum &c.* Ejusdem ſententiæ decretis etiam ſucceſſio in Sede Argentinenſi confirmata fuit; quæ mox indè ad liquidum perducta ſunt Leopoldo patruo tum demum abdicationis tabulis manum ultimam imponente.

Geminis Epiſcopatibus in cumulum eodem anno acceſſit Abbatia Murbacenſis & Luderenſis; de quo diploma Urbani VIII. datum die decima Julii, anno Pontificatûs tertio.

VI. Propriam aulam obtinet. Jam Cæſar tenello Præſuli annum tertium decimum agenti novam conſtituerat aulam Neoſtadii urbe natali; moderatorem præfecit Baronem Georgium Sigiſmundum ab Herberſtein, virum quàm Palatii peritum, tam ſanctum, ut qui gubernata in bienn!um ſui Principis vita, rerum caducarum faſtidio nomen Ordini Sancti Dominici dedit, in eo deinde virtute, doctrina, ac faſcibus geſtis conſpicuus. In ejus locum Leopoldo additus eſt Comes Sebaſtianus à Ladron clericalis jam tum inſtituti ſectator, ad mitram poſtea evectus Gurcenſem.

Tumultus ſuperioris Auſtriæ. Fervebat ea tempeſtate per Auſtriam utramque reformatio Religionis. Negotii plurimum cum Supra-Anaſinis; qui edicto Cæſaris die 23. Martii ejusdem anni 1626. in Urbe Linzenſi per Herberſtorffium promulgato tumultuari cœperunt: ſeptuaginta millia ſub ſignis erant: profligatus Herberſtorffius, oppugnatum Lincium, occupatæ urbes pleræque væſania incredibili, quæ ſex omnino menſes tenuit; (Compreſſus.) compreſſa demum haud modico ſanguine. (Reformatio progreditur.) Tum demum habenis liberis promota reformatio, miniſtris etiam Paſſavienſibus per Cæſarem admonitis, uti manum operi, quod alioqui fecerant, diligenter admoverent: ſed & Antiſtiti miſſum ejusdem argumenti diploma, quo unà mandabatur, uti conſecrationem Eccleſiarum, quas vocant, filialium, aliarúmque ædicularium, quæ profanatæ fuerant; præterea altarium, cæterorúmque ſacrorum apparatuum procuraret. Datum die 9. Decembris anno 1626.

Literis dat operam. Leopoldus interea literis manſuetioribus dabat operam, in quibus adeò promovit, ut ſermone Latino juxta promptè, ac materno uteretur; elegantiùs etiam, ac nervoſiùs ſcriberet.

VII. 1627. Electus in Epiſc. Halberſtat. Anno 1627. à Canonicis Halberſtatenſibus adoptatus eſt in Pontificem, ſuffragante mox Urbano, magna ejus Eccleſiæ ſpe, quæ jam ab annis nonaginta Catholicum Præſulem non viderat.

In Auſtria reformationis negotium magnis progreſſibus incedebat; Miniſtellis intra arces Acatholicorum etiamnum latitantibus denunciatæ, nî faceſſerent, graviſſimæ pœnæ; ipſis etiam Ordinibus præfixo termino, intra quem aut reſipiſcerent aut emigrarent: per eam occaſionem Marquardus Schwendius Adminiſtrator Pataviensis operam in aula Cæſaris dedit, ut decretum Concilii Tridentini de matrimoniis clandeſtinis in Auſtria ſuperiore de integro promulgaretur, ejusdémque obſervatio mediis idoneis urgeretur. Quod ut fieri par erat, ita difficultas objecta de matrimoniis eatenus clandeſtinè contractis, quæ aut diſſolvi aut retexi perinde impeditum videbatur. Accita in conſilium Univerſitas Viennenſis, quæ demum ita cenſuit, conjugia ſuperioribus annis, quibus Auſtriam Lutherus obtinuerat, contracta, reputanda eſſe valida quantumvis clandeſtina; ſecùs illa, quæ poſthac inirentur, diſpenſandi tamen poteſtate quoad brevitatem temporis penes Ordinarium relicta.

Ad

Ad annum 1628. referunt literæ noſtræ Viennenſes Leopoldum Guilielmum oratione accommoda in triclinio noſtro exceptum, adeò promtè latino ſermone ex tempore reſpondiſſe, ut tenerrimus Orator Patribus pene lacrymas admirationis, & gaudii plenas excuteret. 1628.

VIII. Decretum Ferdinandi de reſtituendis bonis Eccleſiaſticis.

Eodem anno latum ab Cæſare decretum illud adeò Principibus heterodoxis inviſum, quo retextâ ſepruaginta & ampliùs annorum telâ, bonorum videlicet Eccleſiaſticorum ſpolia, quæ à tempore transactionis Paſſavienſis facta fuerant, reſtitui mandabantur: quem in cenſum venêre Archiepiſcopatus Magdeburgicus, & Bremenſis, aliique Epiſcopatus Saxonici, & boreales.

1629. Leopoldus ſedem Magdeburg. & Bremenſem obtinet.

Quare anno ſequenti 1629. Pontifex Urbanus VIII. Leopoldum Guilielmum Archiepiſcopum Magdeburgenſem, deinde & Bremenſem renunciavit.

1630.

Fremitus in Germania non obſcurus excitaverat decreti rigor; quos ut ſedaret Cæſar, Comitia Ratisbonam indixerat ad menſem Julium, eâdem operâ Ferdinando filio coronam Imperii paraturus. Animus erat Leopoldum Guilielmum unà ſecum deducere: Is in medio tunc erat Philoſophicarum artium & Mathematicarum curſu ducibus Joanne Mercuriano, Laurentio Clapperino, Henrico Philippi Societatis noſtræ Sacerdotibus. Tamen dubius conſilii hærebat Cæſar, parémne expectationi cœtûs Imperialis oſtenſurus eſſet filium, tot infularum titulis jam inſignitum. Viſum erat periclitandi gratia Neoſtadium (ubi educabatur) ablegare Cardinalem Urſinum. Is mores juxta ſtudiáque Principis arbitratus ita retulit; rectè admodum atque è re facturum Cæſarem, ſi eum Comitem aſſumeret: eam eſſe adoleſcenti maturitatem morum, eam in diſſerendo, agendóque prudentiam, quæ ſpectari in auguſto illo Principum conſeſſu cum honore parentis, & admiratione omnium queat. Valuit judicium tanti viri minimè fucatum, ut non illud quidem, quod cogitaverat, aliud tamen è dignitate Leopoldi faceret: Provinciis eum ſe abſente gubernandis præfecit; quam ſpartam ſic ex amuſsi à Parente deſcripta geſſit, ut ſe redux Cæſar eam impoſuiſſe ſit lætatus. Ita quidem Avancinus refert: at in memoriis Collegii Paſſavienſis reperio, Cæſarem ab Ratisbona menſe Novembri reducem, unà cum filiis Ferdinando Rege, & Leopoldo Antiſtite ad Collegium noſtrum adiiſſe, Parthenia Sodalitati adſcripſiſſe nomina, tum ipſo quidem domum noſtram inſpectante, auguſtos liberos etiam ſumma Collegii luſtraſſe tecta. Id fortaſſe erat, quòd Leopoldus Parenti obviam Paſſavium excurrerit. Cæterùm tumentibus Principum animis nihil ad pacem aut coronam filii profectum eſt, appulſo jam tum in Germaniam Guſtavo Adolpho Suecorum Rege, & initia belli truculenti multis progreſſibus auſpicante.

Gubernat Auſtriam. Initium belli Suecici.

IX. 1631. Poſſeſſionem init Epiſcopatûs Paſſav.

Acceſſerat jam terminus ætatis, annus octavus decimus Leopoldi, qui fixus olim fuerat adeundæ fructuum Paſſavienſium poſſeſſioni: igitur poſtquam nuptiarum ſolemniis inter Ferdinandum fratrem & Mariam Hiſpanam anno 1631. menſe Februarii Viennæ celebratis adfuiſſet, retulit ſe Paſſavium, ac pedem more majorum poſuit; tunc in triclinio noſtro, uti ferunt annuæ Collegii, dramatio exceptus. Indè Viennam ac Neoſtadium relegit, ubi emenſo ſubinde Philoſophiæ curriculo dandum erat publicum hauſtæ doctrinæ ſpecimen ita jubente Cæſare, qui annuus erat ſedulitatis exactor. Tentata quæſtionibus doctrina ſic enituit, ut ingenii ac judicii vim ad implicata quæque diſſolvenda facilem, promtam ac limpidam doctiſſimi quique mirarentur: & verò conſtabat mirificum acumen exercitationibus præteritis, cùm non modò eos, qui ad acuendam æmulatione induſtriam fuerant ei ad ſtudiorum ſocietatem adjuncti, conſpicui generis adoleſcentes, longè præcelleret, ſed eas ſæpenumero moveret quæſtiones, quæ veteranis in eo ſtudio verſatiſſimis negotium faceſſerent.

Profectus in literis.

Etenim ùt erat ille Princeps omnibus naturæ, gratiæque dotibus cumulatus, ſic otium naturæ quodam ductu deteſtabatur: aſſiduus in excolenda mente, iis præcipuè rebus, quas vocationis ſuæ proprias ducebat; cujusmodi erant arcana Theologica, quibus aliquamdiu ſcrutandis operam applicuit. Ita annus 1631. cum ſequenti elapſus eſt; afflictis tum quidem Auſtriæ, Germaniæque 1632.

maniæque rebus ob hoſtium omnia miſcentium admirabiles progreſſus, ſic ut profligatis iterum ac ſæpius Cæſareanis copiis in ipſam infunderentur Bavariam, trepidante ſupra modum Paſſavio; unde tamen aliquando exiturus erat rerum deploratarum vindex Leopoldus, quem ſubinde Philoſophicis, ac

1633. *Conſilio ſacro adlegitur.*

Theologicis diſciplinis excultum Cæſar anno 1633. è palæſtra literaria in ſecretiorem ſacri Conſilii ſenatum aſſumptum lato clavo donavit. Ita memorant annuæ noſtræ ad annum dictum 1633. Annum tunc agebat vigeſimum, prudentia reipublicæ negotiis ùt pari, ſic maturè aſſueſacta, quam artium quoque idonearum ſubſidio excolebat, hiſtoria, politica, prudentia, reſcriptis ac decretis Cæſarum pernoſcendis, in queis omnibus utebatur Magiſtro Martino Zantino Societatis Presbytero ex Academia Pragenſi evocato.

Trepidat ab hoſte Patavia.

Anni ejusdem menſe Novembri novus terror Paſſavienſibus incubuit, Ratisbona & Straubinga per Vimarienſem occupata; in idem fatum caſura Paſſavia, niſi ſpem victoris, præſidia in tempore ſubmiſſa retudiſſent: ob

1634.

eos hoſtium progreſſus ſuſpectari cœptus eſt Wallenſteinius belli Cæſariani ductor, loco propterea motus à Cæſare per Decretum anno 1634. die 24.

Patavienſis militem ſcribit.

Februarii curam etiam ad periculum reipublicæ intendente Leopoldo, qui ære Paſſavienſi militem ſcripſerat. Sed eodem anno lues peſtifera, quæ Auſtriam fœdabat, etiam Paſſaviam penetravit: ſupplicationes ad omnia templa inſtitutæ, circumlatis exemplo novo Sanctorum Maximiliani & Valentini reliquiis. Res foris lætiores reportata per Ferdinandum Regem ad Norlingam celebri victoria die 6. Septembris.

XI.
1635.

Acceſſit anno ſequenti 1635. ad Cæſaris partes Saxoniæ Dux pacificatione Pragenſi die 30. Maji; qua Archiepiſcopatus Magdeburgicus Auguſto Ducis filio, Bremenſis Friderico Danico additus eſt: morem geſſit Leopoldus judicio paterno, eámque victimam neceſſitati publicæ dedit, utrâque ſede

1636. *Abdicat ſedem Magdeburg. & Bremenſ. Sedem Paſſavii conſtituit.*

anno ſequenti abdicatâ. Annum tunc ætatis agebat tertium ſupra viceſimum; quo integram demum Eccleſiæ Paſſavienſis curam ſuſtinere cœpit, ſede inibi conſtituta, nusquam alibi majore animi voluptate commoratus. Hanc votorum ſuorum metam, hoc vocationis pretium ducebat ſuæ. Expectationem ovium alioqui maximam in nullo fefellit, oſtenſis continuò abſoluti Paſtoris dotibus, pietate, charitate, vigilantia, ſtudio Apoſtolico, Divinæ gloriæ cura inſatiabili, quibus ille virtutibus plena tum demum cœperat explicare vela: ſed invidebant fata Paſſavienſibus tanti boni præſentiam, an conſpectum potiùs? nam ille licèt plerumque abſtractus corpore, tamen animo & curâ ab ſponſa ſua nunquam aberat, ùt in loco narrabimus.

Abſtractus ad gubernationem Auſtriæ.

Menſibus vix aliquot ſedem preſſerat, cùm à Cæſare ad Comitia Ratisbonam aſcenſuro evocatus gubernare juſſus eſt Auſtriam jam ſecundùm; hoc ultimum penè obſequium Auguſto Parenti impenſurus: nam is ubi Ferdinandum filium die 28. Decembris Romanorum Regem coronaſſet, Viennam re-

1637. *Obitus Ferdinandi II. Cæſ. Leopoldus à conſiliis Ferdinandi Tertii.*

verſus die 15. Februarii Dominica Sexageſimæ anno 1637. vitam ſanctiſſimè, ùt egerat, clauſit, cui filius in urbe Paſſavia Kalendis Aprilis parentari mandavit: ipſe tamen coactus adeſſe conſiliis novi Cæſaris fratris, quícum menſe Majo ad Conventum Electorum Pragenſem diſceſsit: ibi Elector Trevirenſis Philippus Chriſtophorus eum ſibi Coadjutorem adſciſcere velle pollicebatur, animo, an ut cuſtodiæ, qua tenebatur, laxamentum quæreret?

Redux Praga Caſimirum Poloniæ Principem nuptiarum Cœciliæ Renatæ ſororis cum Uladiſlao Poloniæ Rege pararium die 21. Julii cum Cæſare ſpecie venandi egreſſo in Wolkerſtorff Viennam propè ſalutavit: indè epulo nuptiali ibidem celebrato adfuit.

XII. *Acclamatur Epiſcopus Olomuc.*

Ejusdem anni September Eccleſiam Olomucenſem per obitum Franciſci Cardinalis Dietrichſteinii viduaverat: acclamatus eſt omnium voto Leopoldus die 16. Novembris, qui mox ablegato Barone Friderico Breunero Capituli Decano poſſeſſionem clavium cepit.

1638. *It Pragam.*

Anno ſequenti 1638. rurſum Pragam cum Auguſto fratre ſuſcepit iter, proque ſua in Divam Virginem pietate multum addidit ad triumphum Jconis prodigioſæ Brandiſienſis per urbem Pragenſem inuſitata è pompâ deductum.

Indè

Indè remiſſus in Auſtriam Uladislaum Poloniæ regem ſororium cum conjuge
Badenas Auſtriacas valetudinis causâ petentem excepit. Interea Paſſavii co- Facit initium
ëmta domo & inſtructa, initium hoc anno fecit Seminarii juvenum in commo- Seminarii
dum diœceſeos educandorum. Paſſav.

Sub Initium anni 1639. die tertia Januarii ad Olomucenſes movit; quem 1639.
Ferdinandus frater, quicum arctiſſimè vivebat, extra urbem Viennam officio Olomucii fi-
proſecutus eſt. Ipſe ab Canonicis omni honoris genere acceptus ſolemnia dem Clien-
Sacramenta ab ipſis aliiſque Eccleſiæ ejus clientibus ſuſcepit. Manſit iſthic cum ſuſcipit.
hebdomadas tres: tum rebus ordine conſtitutis Viennam reverſus. Ibi deli-
beratum de armorum Cæſareorum imperio ad ipſum deferendo: adhuc enim Agitur de
bellum Germanicum ardebat; duce indè Bannerio, qui in Bohemiæ viſcera armorum im-
infuſus oppugnabat Pragam: indè Weinmario cum Gallis Alſatiam, & Sue- perio ad
viam urgente. Religioni ſibi duxerat Archidux eam provinciam inſalutato Leop. confe-
Pontifice capeſſere, cujus idcirco impetratus conſenſus. Priusquam tamen rendo.
ad exercitum, qui ſub Hazfeldio ad Album montem Pragenſem cogebatur, ac-
cederet, Magiſterium Ordinis Teutonici die 22. Auguſti congregato Equitum Fit Magiſter
Comitio ſolemni ritu ſuſcepit, quam ille dignitatem non in cortice intuitus Ord Teu-
in eum uſum vertit, ut ſe DEO per Ordinis ejus vota, ſanctiſſimáque animi tonici.
decreta penitus conſecraret, quorum concepta verba non ſine animi ſtupore,
intimóque ſenſu apud auctorem vitæ legere eſt.

Indè ad exercitum ponè Pragam collectum perrexit, Banneriúmque ſpe XIII.
Pragæ potiundæ dejectum abegit: mox comparata per autumnum, & hye- Felix ejus ex-
mem re annonaria, & Picolomineo à Belgio evocato ipſo Februarii menſis ri- peditio in
gore in hoſtem duxit; urbibúsque Bohemicis omnibus recuperatis è regno Suecos.
ejecit: inſecutus continuò mirabili felicitate modicis copiis contra numero 1640.
vehementer auctum hoſtilem exercitum multa egregia facinora fecit.

Interea Cæſar pacandæ Germaniæ Comitia Ratisbonæ cogit ſub finem
Julii, ad quæ Epiſcopi Paſſav. nomine miſſus Hector Schad Baro Capitularis. Ratisbonam
Milite ad hiberna demiſſo eò devolat Leopoldus ipſe ab urbe Paſſavio, ubi ſe confert ad
triduanis ante diem Cinerum precationibus conſtanter adfuerat: mox & Ban- Comitia.
nerius refecto in Luneburgicis milite in Palatinatum ſuperiorem Comitia tur- 1641.
baturus ducit; oſtentatis ad ipſam Ratisbonam equitum turmis: trepidantes Iterum Sue-
eâ causâ Proceres, & Legatos firmavit Cæſaris conſtantia, virtúsque Leopol- cos repellit.
di, qui 16. Martii in caſtra prope Ratisbonam ſe contulit: Slangium Bannerio
ſe conjungere parantem aſſecutus ad nemus Hercynium compulit, inclusúm-
que Neoburgo Palatinatûs ſuperioris oppido ad deditionem coactum Ratis-
bonam captum transmiſit; indè Bannerium ad vaſa propere colligenda ade-
git, vere ejus anni 1641. Halberſtadii defunctum, gloriâ factorum ejus per
Leopoldi virtutem admodum detritâ.

Obſidebant interim hoſtes Wolfenbitum Saxoniæ inferioris urbem, cui
liberandæ Cæſar omni cura intentus, Leopoldo accurrente liberatam vidit.
Brevi & Eimbeca, & aliæ urbes earum partium captæ, variiſque cladibus at-
triti hoſtes. Archidux milite in hibernis per Turingiam, & Magdeburgicam,
ac Halberſtatenſem ditionem locato Saxoniæ Electorem inviſit, eúmque in
Cæſaris partibus mirificè confirmavit.

Rebus Germaniæ hunc in modum erectis rediit deſiderium dudum ani- XIV.
mo infixum, exuendi ſe ſago, & ad Eccleſias ſibi creditas revertendi; quam 1642.
veniam ut impetraret, literis primùm ad Ferdinandum fratrem exaratis, dein- Quærit redire
de ipſe Viennam excurrens ſtrenuè egit. Juvat ipſas ejus literas recitare, è ad curam
quibus ſtudium ejus Epiſcopalis Officii magnopere elucet: Eccleſiæ.

*Meminerit Majeſtas Veſtra, ſe exeunte anno hujus ſæculi trigeſimo nono,
cùm hoſtis violentia in Bohemiæ regnum irrupiſſet, per Comitem de Trautmanſtorff,
Conſiliarium ſuum arcanum, ejusdémque aulæ ſupremum Præfectum, mihi propo-
ſuiſſe, voluntatis ſuæ eſſe, me publici boni causâ in illud regnum transferre, & ar-
morum ſuorum imperio onerare. Quod ego quidem obſequendi ſtudio, eâ qua par
erat reverentia, ac animi promptitudine admiſi; ſpe tamen nixus, non longi tem-
poris hoc opus fore; ut proinde cùm primùm repreſſum fuiſſet diſcrimen, quanto-*

cyùs mihi redire liceret, & bono mearum Eccleſiarum invigilare. Cùm igitur Majeſtatis Veſtræ arma in eum ſtatum ſint reſtituta, ut præſentia mea non videatur adeò ampliùs deſiderari, quin quod agendum ſupereſt, gubernatione aliorum Capitum, ac præſertim Generalis Picolominei diligentiâ, fidelitate, vigilantiâ, & experientiâ abunde præſtari poſſit, in ſpem venio fore, ut Majeſtas Veſtra ponderatis his, & quas ſubjungo rationibus, me non gravatè militari hac provincia ſolvat. Et primùm quidem apprimè intelligit Majeſtas Veſtra, quàm gravis DEO reddenda ſit ratio animarum curæ infra menſuram debiti adminiſtratæ; ac præſertim mihi, qui non unius Eccleſiæ pondere, ſed multarum gravor; quæ quantò ſunt ampliores, tantò impenſiorem exigunt ſui Paſtoris vigilantiam. Quod quàm parùm præſtare poſſim, dum militaribus involutus negotiis abeſſe cogor, facilè eſt judicare. Neque verò ea cura ejusmodi eſt, quæ facilè poſſit in aliorum humeros reclinari: experior enim indies, quanta ex mea abſentia rerum tum ſpiritualium, tum temporalium confuſio irrepſerit; cui occurrere non poſſim, niſi præſentem me ſiſtam. Principio ſuſcepti muneris, cùm res noſtræ verſarentur in præcipiti, favebat ratio boni publici, Diviníque honoris: ſed cùm jam DEI beneficio repreſſum ſit, quod imminebat diſcrimen, &, ùt ſuprà memoravi, meliori loco fortuna belli collocata, dubitare non licet, exercitus jam aliis Capitibus tutò poſſe committi. Quòd ſi enim mea unius præſentia Veſtræ Majeſtatis bellis ſemper neceſſaria judicaretur, certum eſſet, irreparabili detrimento Epiſcopatus meos affligendos. Unde prætermiſſis aliis, iisque gravibus argumentis, quæ in hanc cauſam allegare poſſem, horum confiſus robori, quàm demiſſiſſimè à Veſtra Majeſtate peto, ut in gratiam ac præmium meæ, licèt exiguæ fidelis tamen ſervitutis per arma impenſæ, militari pondere liberare me dignetur, veniámque concedere vocationis meæ inſtitutum perſequendi. Equidem non deerunt, quibus hæ rationes excuſſu faciles videantur: at mihi certè ſemper hærebunt cordi, unde à nemine evelli poſſint. Neque enim hoc animi decretum vel offenſâ aliquâ, vel præcipiti conſilio, ùt credi poſſet, ſed maturâ, multíque temporis deliberatione, ac conſulto DEO ſuſcepi, in quo & indies me confirmari experior &c.

Cogitur militiam continuare.

Sed non erant tempora, quibus expediret Archiducis deferre votis: nam Dorſtenſonius in locum Bannerii ſuffectus Luſatiam, & indè Sileſiam irrumpit; Glogoviam, aliáſque Sileſiæ urbes occupat, rerúmque proſperè adhuc à Leopoldo geſtarum faciem mutat; ipſam Moraviæ metropolim Olomucium capit. Stitit ruentem Leopoldus, & è Sileſia depulſum prope Lipſiam adoritur: propè erat, ut vinceret; ſed levis armaturæ milite minùs ex Officio pugnante victus eſt, datis in prælio inauditis heroicæ fortitudinis exemplis; quem, ſi fides ſit Suecis captivis id conſtanter affirmantibus, texit is, qui albo vectus equo ejus lateri, quoquo ſe verteret, adhærebat. Factum prælium die 2. Novembris anni 1642. cujus eventum occaſionem ſuam ratus Archidux ex urbe Pilnenſi, quò reverterat, comitem Rodericum de Santhelier ad Auguſtum fratrem allegavit cum mandatis (verba ſunt traditæ inſtructionis) *ut vivace repræſentatione Suæ Majeſtati exponat, quoties, quámque ardenter exercituum imperio ſolvi poſtulaverit, quibus ipſe ſine evidenti conſcientiæ ſuæ vulnere diutiùs præeſſe non valeat. Meridiano ſole clariùs eſſe, non proſperari à DEO ſuæ Majeſtatis arma, quibus ipſe contra ſuam voluntatem, contráque ſuſceptam vitæ profeſſionem imperare cogeretur. Litteris ſe ardentiſſimis à Capitulo Paſſavienſi poſtulari; quibus conſcientiæ ducat non obſequi. Neque moram factura, ſi quæ contraria ſint Theologorum judicia. Sentiant illi, quidquid libet, ſe alium, quàm ſeipſum ſuæ conſcientiæ judicem non admittere: de ſuis enim actionibus non Theologos, ſed ſeipſum ſupremo judici reſponſurum.* Ipſe Viennam ſequitur, eóque rem ducit, ut morem ei gerendum Cæſar judicaret. Ubi illud non prætereundum alti animi, judiciorúmque humanorum contemptoris ſpecimen: cùm enim objectaretur ei fore, ut vulgò putaretur, eum ob rem pejus geſtam gradu eſſe motum; reſpondit: *judicium mundi non penſi habeo: loquatur, ùt lubet: potiùs mundus pereat, quàm anima mea. Quod ſi demum commune omnium judicium foret, ſine mei impendio bellum hoc geri non poſſe, id illico deliberabo, num ſalva conſcientia Eccleſiaſticas dignitates reſignare poſſim, ut priùs ovibus de bono Paſtore provideatur. At quia hoc ipſum arduum videbi-*

Iterum pro miſſione inſtat.

videbitur, exiſtimaverim id demum eligendum, ut quisque vocationi ſuæ ſe impendat:
tum & DEus aſsiſtet benignior. Hæc ille cùm diſſereret, demum anno ſequenti XV.
1643. die nona Martii ab Cæſare quamvis invitiſsimo miſſionem impetravit; 1643. Impetrat.
quo ille revixiſſe ſibi tum demum viſus, continuò ad ſedem ſuam Paſſavium Ad ſedem re-
contendit; ſic tamen, ut, cùm Eberſpergam arcem epiſcopalem veniſſet, ſa- vertitur inſti-
lutato per nuncium Collegii Lincenſis Rectore deſiderium explicaret, diver- tuta priùs
tendi ad ejus Collegii prædium Pulgerenſe juxta ripam borealem Danubii non aſceſi in
longè Lincio diſſitum, eóque in loco à ſtrepitu forenſi remoto inſtituendi ſa- Pulgern.
cri receſsûs; quod ita fecit, ut illic ab Incarnati Verbi die, relegata rerum
omnium profanarum cogitatione, tota mente cœleſtibus inhærens; adhæc
rigido ſanè & plus quàm religioſo jejunio, herbis ferè, ac pane contentus
octiduum integrum exigeret; omni præterea humano commercio ſibi inter-
dicto, niſi quòd Patrum nonnullis quotidie per tres horæ quadrantes ad clep-
ſydram dimenſos alloquium daret; ubi nihil de belli rumoribus, nihil de re-
rum præſentium ſtatu, ſed ejus tantùm argumenti res, quæ religioſiſſimum
quemque aſceten decerent, in medium afferebantur. Quibus perfunctus ac-
ceſſit Lincium, ubi tres ultimos hebdomadæ majoris dies eximio civium exem-
plo egit: ante meridiem divinis Officiis, cæteriſque id temporis uſitatis cœ-
rimoniis; ſub veſperum pſalmis matutinis à primo ad ultimum usque verſum
religioſè interfuit. Die Cœnæ Domini publicè in frequentiſſimi populi co-
rona in Ordinis Teutonici ornatu ad ſacrum epulum accubuit; indè egenis
convivio adhibitis abluit pedes, panno & ære liberaliter donatis. Die Pa-
raſceves ſepulchra in demortui Servatoris adorationem erecta tam ſuburbana
procul diſſita, quàm urbica pedibus inviſit. Poſt decantatas, ùt vocant,
tenebras divertit in Collegium, ſumtáque tenuiſſimi modi veſpernâ co-
mitatus eſt operoſam ſeſe flagellantium ſupplicationem in adultam usque no-
ctem; deindè in arcem devectus decantato antè Pſalmo quinquageſimo, con-
cionanti aures dedit, cui & argumentum præſcripſerat, & modum, nempe il-
lud in Pulgerenſi aſceſi cognitum, quo per applicationem quinque humano-
rum ſenſuum cruciatus Domini referuntur. Sic operibus pietatis ad horam
usque primam à media nocte productis ſibi relictus eſt. Exactis Lincii Paſca-
libus feriis inter aſſidua pietatis exempla, tum humanitate incredibili rem
Catholicam ea in urbe feliciter herbeſcentem mirificè roboravit; profectus
indè ſanitatis ergo ad acidas; ac demum ad ſedem ſuam Paſſavium, quam
cùm eminus conſpicaretur, ferunt interiore lætitia geſtientem in ea prorupiſſe
verba: *hæc requies mea.* Veluti invento demum loco, in quo animus ille
cœleſtibus aſuefactus poſt rerum profanarum faſtidia conquieſceret.

Manſit Paſſavii ultra feſtum Paſchatis ſequentis anni 1644. uti referunt XVI.
annuæ noſtræ Paſſavienſes, quæ facundæ rurſum pietatis ejus teſtes, acuiſſe 1644.
„ ajunt Paſſavienſium pietatem, quà in feriis antecineralibus, & quadrageſi-
„ malibus; quà in aliis ſuo in DEum & Superos amore, quem ſive dum in Ca-
„ thedrali ſua, ſive aliis Eccleſiis Sacra frequentaret, nemo non admirabatur
„ pientiſſimum virum (ùt è multis audire fuit) ùt qui & ipſe DEum ſincerè
„ amaret, & dignus pariter foret à DEO amari: ita in Annuis. Nec tamen Revocatur ad
ultrà licuit ſacrum illud otium colere, quippe revocato ad Cæſarem, uti rebus Rempub.
in Germania rurſum afflictis conſilio ſaltem commodaret: itaque Viennam
ſe contulit. Jam de pace Osnabrugi tractabatur; re autem vera bellum
aſperrimum erat, Torſtenſonio rurſum Bohemis & Sileſiis imminente: neque
aliud præſentius apparebat Conſilium, quàm uti denuo armorum capeſſeret
imperium: abhorrentem illum & preces fratris, & aſſenſus Pontificis Inno-
centii X. recèns coronati, & denique religionis cauſa vehementer urgebant:
ſententia Cæſaris de fratre erat, *adeò ſibi amorem, animósque exercitûs devin-*
xiſſe, ut ejus præſentia fidelique cura absque gravi ſenſu carere non poſſent; ex eo
ſpem omnem ſecundi impoſterum, felicésque progreſſus pendere.

Ita rurſum in Bohemiam contendit, quo item Cæſar frater menſe Janua- 1645.
rio exeunte anni 1645. profectus eſt, colligendis exercitus attriti reliquiis, cui In Bohemiam
interim Hazfeldium præficere placuit: Prope Jankaviam oppidum in ipſo ferè cum Cæſare ſe confert.

Bohemiæ meditullio ſitum die 6. Martii inter Hazfeldium, & Torſtenſonium coorta pugna, quâ Cæſarei primùm victores cupidine ſpoliorum amisêre palmam; jactura gravi, ſed graviore, ùt ſolet, conſternatione populi, quam ut levaret, præmiſſus ab Cæſare Leopoldus in Auſtriam Lincium appulit, eodem Martio menſe, ubi plenus curarum jam cum Galaſſio in locum Hazfeldii capti ſuffecto conſilia conferre, jam diſperſum hinc indè militem colligere, nobilitatem è fuga retrahere, ruricolas ad rebellandum pronos continere in fide dum ſtrenuè nititur, nihil tamen à ſolitis pietatis Officiis eo omni tempore remittebat; in dies ſingulos pluribus intereſſe ſacris, atque per ultimas præſertim Quadrageſimæ ferias in ſacris cœremoniis ac ſupplicationibus frequentandis, pauperum pedibus abluendis, cibóque & ſtipe reficiendis, locis ſacris inviſendis ſolemne ſuum tenere: dum interim Cæſare ab urbe Ratisbona Lincium devecto, & jam volitantibus per Auſtriam borealem Suecorum ſignis ipſa patriæ calamitas neceſſitatem ei impoſuit arma denique reſumendi; egregio mox eventu: nam hoſtibus primùm ex Auſtria dejectis, Brunam Moraviæ urbem à Torſtenſonio jam ſecundùm acerrimè oppugnatam, immiſſo ſubſidio liberavit, Bohemiæ adversùs hoſtem in viſceribus hærentem proſpexit; indè in Sueviam rapta militari manu ſe vertit, Turenium trans Rhenum egit, Bavariam metu Gallico liberatam in fœdere retinuit, ac demum anno eodem 1645. exeunte Viennæ redditus eſt, ubi collatis cum Imperatore conſiliis adversùs hoſtium reliquias in Auſtria hærentes rem gerendam ſuſcipit; quibus profligatis, Vrangelium, Torſtenſonio ſubſtitutum inſequitur, & Bohemiâ repurgatâ usque in Haſſiam Darmſtadianam compellit: ſed Suecis Gallorum acceſſione firmatis vagum erat per Germaniam bellum; quod cùm hoſtes in Sueviam ac Bavariam proferrent, Auguſtæ Vindelicorum vim facerent, adfuit in tempore Leopoldus, obſidione dejectos, atque in Bavariam converſos, indè reditum maturare cogit; mox & Colonienſi, & Moguntino ſuppetias mittit, annóque demum 1646. jam ad exitum vergente Viennam ſe confert, ubi deliberatum jam erat, aſſentiri denique Hiſpaniarum Regi multis precibus dudum id agenti, ut Leopoldum provinciis Belgicis ab Gallo infeſtatis præficeret. Sic nova votis ejus injecta mora: deſtinaverat enim provinciis è ſuperiore periculo reſtitutis abire quantocyus ab armis, reddereque ſe Eccleſiæ curæ, quam unam ſui negotii eſſe ducebat: ſed precibus repetitis Catholici Regis, tum & auctoritati Cæſaris ultrà obluctari non valens dedit poſtremò manus, eo tamen pacto, ut non ultra triennium eâ ſpartâ teneretur. Ergo Paſſavium ipſis Saturnalibus anni 1647. appulit, ubi primùm ad Virginis Auxiliatricis ædem, indè ad Odeum Collegii inviſit, ſolitisque horarum quadraginta precibus more ſuo ſe ſtitit; cúmque jam tempus vernum appeteret diſceſſui ad Belgas præfixum, memorabile eſt, quæ fuerit ejus adversùs Socios Paſſavienſes benignitas: namque dignatus in Collegii triclinio accumbere, cùm ei brevi ſermone ſalve ſimul & vale Orator dixiſſet; tum inter prandendum exhibito idonei argumenti dramate, quo eum Belgarum genii ad ſuos impellebant, Auſtriæ verò retrahebant, ita animo affectus eſt, ut oculis liqueſcentibus, ducto altè ſuſpirio diceret: *verè grave eſt ſeparari.* Haud minor doloris ſenſus apparebat in convivarum vultibus, quippe acerbiſſimè ferentium tali pignore orbari.

Sed demum auſpice DEO profectus, Belgis velut Sidus illuxit, incredibile, quàm omnium animis ejus adventu recreatis. Imperium modeſtia, pietate, inſtauratione rei Catholicæ contra Janſenianam peſtem exorſus eſt. Præmiſſo nuncio ſtiterat operas Bruxellenſium in ornandis apparatibus ad excipiendum eum occupatas; declinata pompa invectus palatio per hortenſem ſemitam mox ad divæ Gudilæ properavit, ſacram illic hoſtiam miraculo nobilem ſalutaturus. Menſem non ampliùs Bruxellis moratus, diffuſâ per Belgium pietatis ejus famâ, jam omnium ore *Sanctus Princeps* audiebat. Janſenii ſecta vehementer adoleverat, irritis hactenus medicinis omnibus: hoc negotium Archiduci primum fuit. Coacto ſuorum Conſilio decretum tulit adamantinum, quo vetuit eccleſiaſticas dignitates, Canonicatus, Beneficia, quæ Regiæ diſpenſationis eſſent, nemini ulli de Janſenii erroribus ſuſpecto, niſi nun-

Marginalia: Lincium remiſſus. — Reſumit arma. — Rem proſperè gerit. — 1646. — XVII. Deſtinatur Gubernationi Belgicæ. — 1647. Paſſavium venit. Ad iter Belgicum ſe accingit. — Initia Gubernationis Belgicæ.

nuncio iiſdem remiſſo, ac obedientiâ Sedi Apoſtolicæ juratâ, conferri: quæ res adeò læta, gratáque accidit Innocentio Pontifici, ut eum per literas eodem anno 1647. die 9. Septembris datas *intimo* (ſic verba ſunt) *Pontificiæ charitatis ſenſu complecteretur ob ſpectatum*, inquit, *nobis per omnia in fraternitate tua Catholicæ Religionis cultum, ejúſque ſervandæ ac tuendæ accuratum ac ſolicitum zelum, ingenitum illum Auſtriaco generi, ac planè coalitum, qui exemplo nunc ſeſe præcipuo probat.* Ejusmodi literis ſolatio plenis annos abhinc aliquot ſtudium ejus hoc in genere mirificum collaudavit. Sed potior Belgicæ gubernationis pars erant bella cum Gallis, quæ glorioſiſsimè ab eo geſta Belgarum immenſi plauſus, ac multorum libri proſecuti ſunt; quod argumentum inſtituto noſtro minùs congruum lubentes prætermittimus.

Cæterùm etſi triennii modò ſpatium in ea provincia collocandum ſibi depactus fuerat, tamen votis ejus officiebat ipſa virtus, qua rempublicam ita geſsit, ita Belgarum animis Regiſque ſatisfecit, ut etſi Rege identidem quà per literas, quà per ablegatos pulſato, tamen miſſionem ante annum decimum adipiſci non poſſet. Adeò illi deſiderium Eccleſiarum ſuarum immenſa illa victoriarum urbiúmque receptarum gloria minimè potuit excutere: illud identidem gemebundis vocibus aſpiranti: *ô liceat aliquando grave armorum pondus exuere, & ad amatam mihi togam redire!* id quod aliquando verſu Italico hunc in ſenſum expreſſit: *Cogitur eam continuare per decennium.*

> ô DEUS! ô quanta eſt tibi deſervire voluptas!
> ô liceat poſito Marte quiete frui!
> Sed me laſus honor tuus & reverentia cogit,
> Et ferro & dextra vindice bella ſequi.
> Hinc reprimendus amor, ſanctæq; cupido quietis,
> Et vita ad nutus Numen agenda tuos.
> Dum tibi ſic placitum eſt, neque me vis ſolvere Marte;
> Sit voluiſſe ſatis quod tenuiſſe vetor.

Intenderat ejus deſiderium Eccleſia Uratiſlavienſis, ad quam anno 1655. die tertia Auguſti concordi Canonicorum ſuffragio poſtulatus fuerat, mox ab Alexandro VII. die 21. Januarii ſubſequentis anni cum ampliſſima laude confirmatus. Sed anno demum 1656. cùm nullum precibus feciſſet finem, ad extremum etiam Cæſaris Ferdinandi fratris auctoritatem imploràſſet, conſpiratione amborum pervicto demum Rege Catholico damnatus eſt voti: indè in manus Joannis Auſtriaci traditis Belgicæ faſcibus, incredibili Belgarum luctu provinciâ deceſſit, nihilque prius habuit, atque Sedi ſuæ Paſſavienſi ſibi adeò dilectæ ſe ſiſtere; ubi dies aliquot demoratus, Viennam ejus expectatione erectam, pompáſque adornantem adventu improviſo fefellit. *XVIII. 1655. Vocatur ad ſedem Uratiſlavienſem. 1656. Diſcedit è Belgio.*

Lugebat adhuc Aula Cæſarea elatum ante biennium Ferdinandum IV. Cæſaris primogenitum Romanorum Regem: Leopoldus Ignatius alter natu filius annos ætatis quindecim vixdum exegerat: Electores Auſtriacarum partium ſtudioſi eo Germaniæ ſtatu de Succeſſore Imperii laborabant; oculi in Leopoldum Guilielmum conjecti: verùm ut erat ille animus rerum unicè ſupernarum æſtimator, dignitatúmque adeò non cupidus, ut exemplum exinaniti Servatoris imperiis omnibus anteferret, unus ipſe nervos omnes ingenii prudentiæq; contendit, uti Nepotem Auguſto ſolio quamprimum imponeret. Igitur anno eodem quo rediit, 1656. cum fratre Cæſare Leopoldum Ignatium Pragam deductum die 14. Septembris corona Bohemica inſignitum adoravit, nullo præterito obſequii genere, quo Majores ſibi cœlitus propoſitos venerari ſanctum habebat. Indè Auguſto fratre ac Nepote Rege Viennam repetentibus ipſe ad Epiſcopatus ſuos Olomucenſem ac Uratiſlavienſem præſentia erigendos contendit, in ſua tandem meſſe magna cum voluptate verſatus. Sed hoc ei gaudium brevi intercepit fatiſcens valetudo Cæſaris jam ad extremum inclinata, quæ pientiſſimum illum Spiritum anno 1657. die tertia Aprilis intempeſtivo fato deſtituit. Adſtitit moribundo Leopoldus, extremáque ſuſcepit verba, quibus utrumque filium Leopoldum Regem & Ca- *Aſpernatur Diadema. Viſitat Epiſcopatus. 1657. Adeſt morienti Cæſari.*

rolum Joſephum immaturæ ambos ætatis, fraterno ejus amori, quo conjunctiſſimi vixerant, commendavit. Vir ad caſus alioquin humanos immotus in optimi fratris obitu non tenuit lacrymas, quas adeò largas fudit, ut indè legere ſpectantes poſſent, quàm intimè dilexiſſet. Pendebat interim Imperii diadema Leopoldo Ignatio nondum adulto: denuo Electores Leopoldum Guilielmum ſpectabant: ſed is coronarum omnium ſomnio dudum excuſſo adeò gnaviter circumduxit vota, ut in Nepotem denique conſpirarent die 18. Julii anno 1658. Cum novo Cæſare Francofurto Viennam reverſus, exinde velut ſacer quidam Aulæ Cæſareæ genius habebatur, primus ipſe quæ Principi veneratio obedientiáque deberetur, omnibus periculis conteſtatus. Quidquid autem ageret, ut ab Aulæ ſtrepitu ad otium Eccleſiaſticum reverti liceret, ſuo tamen fato coactus eſt Cæſaris adhærere lateri, quem deinde provincias hæreditarias obeuntem anno 1660. comitatus, Labaci in Carniolia prodromo fati morbo tentatus eſt, quo nunquam penitus digeſto poſt annos indè duos ſuccubuit, poſteaquam eodem anno 1662. non longè ante obitum generali Teutonicorum Equitum Conventu Viennæ celebrato Carolum Joſephum nepotem alterum ad magni Magiſterii dignitatem commendatum cruce Prutenica inſigniſſet; ac nuperrimè id, quod dudum ambiverat, impetrâſſet, ut Divi Leopoldi feſta dies feriatione publica per diœceſim coleretur, cui mori ejuſdem anni 1662. dies quinta decima Novembris D. Leopoldo ſacra initium dedit: quæ res clienti Leopoldo tunc cum morte luctanti mirifico ſolatio fuit, ac veluti coronis votorum hujus vitæ: nam quinto indè die nempe viceſima Novembris ad eundem Divum abiit.

1658. Promovet electionem Leopoldi I. in Regem Rom.

1660. Comitatur Cæſarem provincias obeuntem.

1662. Obit.

Hic ordo vitæ Leopoldi Guilielmi ſerie chronica deductus. Jam virtutibus ejus, quæ ſanè non annuæ, ſed perennes erant, explicandis dandum ſpatium eſt, quas ex auctore vitæ potiſſimùm deſumptas, alio tamen nexu diſpoſitas compendio referre animus eſt.

XIX. Religio Eucharistica.

Principium fiat à pietate; ac primùm à nota principe pietatis Auſtriacæ, ſanctiſſimi Sacramenti cultu. Quo primùm die Angelorum panem deguſtavit adhuc tener, mirum quo pietatis æſtu exarſit, ut aliud eo die placuerit nihil, quàm vel cum DEO, vel de DEO agere; eâ cordis ſeſe prodentis ſuavitate, ut alios pudore ſuffunderet, alios ſtimulo urgeret. Ex eo tempore jam cœpit ad hujus myſterii frequentiam adſpirare; ſed tenebatur currentis impetus, Moderatoris freno: vicit tamen precibus innocentia, ut id ſibi alternis hebdomadibus liceret. Ubi adolevit, ſuo animo liberaliùs indulſit: nam poſt paucos annos, piam ſibi Dominico quoque die ejus epuli adeundi legem ſtatuit, quam in omnem vitam ſervavit; nec in ipſis Caſtris prætérivit: quibus adjunxit omnes Domini, ſanctiſſimæque DEI Matris, Apoſtolorum, religioſi Inſtituti Fundatorum, Patronorum ſuorum dies, ac ſæpius occurrentes neceſſitates, quarum medelam ab hoc potiſſimùm Epulo poſtulabat. Si vel Aulæ, vel belli in id tempus conſpirarent negotia, vel præveniebat eorum turbam, vel ſequebatur; ut non priùs corpori indulgeret refectionem, quàm animæ procurâſſet. In morbis, quibus ardens ſitis accedebat, major DEI ſitis eam extinguebat, ut à media nocte omni potu abſtineret. In ſupremo morbo utraque fuit vehementior; ſed vicit DEI: ut ingenuè faſſus ſit iis, qui corpus curabant: *Neque vos, Medici, neque mortalium ullus hac me nocte potu prohibuiſſet; & in famulorum defectu, quoquo modo repſiſſem, ut aquam reperirem ſedandæ tam ardenti ſiti, quam patiebar: at ſolius JESU mei amore hanc ſuſtinui, ut poſſem ſacro Eucharistiæ epulô refici.* Sæpenumero ad ſanctiſſimum myſterium, non ſecretò, Principum more, ſed in publica Eccleſia, vulgarium ritu acceſſit, eo ſpectantium ſenſu, ut fuerint, qui lacrymis temperare non poſſent, cùm eum viderent non ſellæ ad Principis dignitatem inſtructæ inſidentem, ſed poſitis humi genibus eâ compoſitione proſtratum, ut ad numeroſum populi accurſum, ſpectandi Principis avidum, nec oculum à terra levaret: ita ad tumultum omnem incurius, quid foris ageretur, non obſervabat, interno ſuæ animæ hoſpiti attentus. Quamdiu caſtra ſive in Germania, ſive in Belgio moderatus eſt, ſemper laudato in Auſtriacis Principibus more, publicam

Sacræ

ſacræ Euchariſtiæ ſupplicationem, eo die, quo hujus in Eccleſia celebratur ſolemnitas, in ipſis caſtris, ſummo, quo licebat, apparatu obire voluit: cui ad magnificentiam inſtruendo, quidquid ſecum ſacræ ſuppellectilis, quidquid periſtromatum devehebat, adúſque ſui corporis pretioſum balthcum ſuppeditabat. Miraculo propè, certè arcanæ DEI providentiæ adſcribi debet, quòd ad Salafeldiam quinque exercitibus obſeſſus, cùm anteà omni ex parte boarent tormenta, toto eo tempore, quo pia ducebatur ſupplicatio, quaſi divinitus imperato ſilentio, conticuerint. Sed illud Sereniſſimi in hoc myſterium eximiæ eſt devotionis argumentum, quòd cùm nondum proceſſu ſactur, adhuc eidem affixus in templo hæreret, jámque iterum revocato furore volarent globi, monitus eum locum non ſatis eſſe ab ictu ſecurum, reſponderit: *Apud DEum meum conſtituto nemo nocere poterit.* Eâque conſtantiâ perſtitit, tanquam nullo certiùs loco diſcrimen eſſet evitaturus, quàm ubi firmum eſt Auſtriacæ ſtirpis in omni neceſſitate præſidium. Annuum illi, dum bella geſſit, armorum auſpicium fuit, priùs circumlatum Angelorum panem indictâ ſolemnitate proſequi, quàm exercitibus in campo invicta fortitudine præire; tanquam ille, vel ad ſuum, militúmque robur augendum, non aliâ indigeret annona, quàm *Pane fortium;* vel priùs Sacramentum deponeret exercituum Domino, cui ſoli militabat. Evenit aliquando Valencenis in Belgio cùm factus de Principe ſervus Dominum dominantium ſequeretur, ut denſâ nube obvolutum cœlum in copioſum imbrem effunderetur: at Leopoldus nec integumento capitis arcere pluviam, nec ſæpe invitatus proprior DEO ſub umbellam; minus, quod amaſſent alii, ſub tectum recedere: & valuit ea res tantum ad populum, ut qui latebras meditabatur, totus in Religionis obſequio detineretur.

Jam verò illud omnino familiare, ſi vel repentina vel graviora ingruiſſent ab hoſte pericula, non tantùm Angelici Panis venerationem edicere, & diſcretos, per horas, ſeu militum ſeu civium Ordines, ad cultum illius cogere; ſed adeſſe ipſe, poſitis humi genibus, junctis ad pectus manibus, dejectis, & niſi quà lacrymis interdum viam dabant, clauſis oculis adorare; & ſi quos vel præſens neceſſitas, vel Principis voluntas ad præſtandum latenti Deo cultum non adigebat, ſuo exemplo compellere.

Quod in Rudolpho, Auguſtæ familiæ conditore, miraculum fuit orbi, pene annuum factum eſt in Leopoldo. Certè quoties vel in Auſtria, vel Bohemiâ, vel in Belgio, ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, ſive equo, ſive rhedâ vectus occurrit, ad primum ejus conſpectum ſollicito Religionis affectu curſum ſtitit, in terram deſiliit utut pluviâ, aut luto madentem, poſitis genibus præſtolatus; ad ægros conditione humiles, etiam de contagioſo morbo ſuſpectos, indè ad Eccleſiam vel miles ducem, vel ſervus Dominum eſt comitatus; paſſímque memoranda reliquit exempla, quæ duo in unum hominem convenire non poſſe credebantur hactenus, militis officium & Religioſi obſequia, ea ipſum divino quodam vinculo conjunxiſſe. Longum eſſet memorare ſingula, quæ hujus myſterii honori, ſeu proſâ, ſeu ligatâ oratione ad muſicos numeros temperanda ſcripſerit: huc enim, vel ad patientem JEſum, luſus deliciasque ingenioſi calami applicabat, utique quia cor iſthuc & affectus impellebat.

Auguſtini verba ſæpius recitabat: *Si cum Sacerdote occurreret Angelus, priùs Sacerdoti, quàm Angelo exhibendum honorem.* Viri DEO conſecrati primæ ſemper apud eum admiſſionis, qui ne Miniſtrorum incuria tardarentur, ipſe eos in capite admittendorum locabat. Conſcientiæ ſuæ arbitrum eâ reverentia obſervabat, qua filius patrem: occurrebat adventanti, excipiebat nudato capite, ſedem ipſe judici ſuo ponebat. Ubi procederet in publicum, cæterorum haud admodum curioſus, ſi quem tamen ſacri Ordinis virum conſpexiſſet, reverentiæ ſigno præ cæteris honorabat. Quámque ipſe magnificum de religioſis inſtitutis fovebat ſenſum, tam nihil paſſus eſt in eorum famam ſe præſente ab aliis proferri: quo in genere immenſam ei gratiam debet Societas JESU, cujus inſtitutioni non modò decus æternum ſuis illis moribus attulit, verùm etiam quoad vixit, huic ordini paterna prorſus digna-

tione

tione favit, conteſtatus ſæpiſſimè, tum præcipuè, cùm tempeſtas gravior ob æmulorum invidiam timeretur, ſe omnem illam familiam ùt haberet perſpectiſſimam, ita famam, exiſtimationémque ejus conſtanter protecturum. Prodierat in lucem fœdi commatis libellus in ſocietatem ſcriptus, in manus Archiducis tum Belgas gubernantis inciderat; tum is illico ſolicitus, ne in Principum aulis ſequiores excitaret ſenſus, arrepto ſtilo vindicem agere inſtituit, adjectíſque ad marginem obelis caſtigavit; *poſſum*, inquit, *ego ipſe teſtis eſſe, quàm falſæ & confictæ ſint illæ calumniæ;* uti ſcribit in literis ad Patrem Alphonſum de Heredia, quem negotiorum gratiâ ad aulam Hiſpanicam ablegaverat: *datum Tornaci 9. Junii 1655.* Auſus eſt aliquando vir aliàs & religionis, & doctrinæ nomine conſpicuus prætexto charitatis optimíque affectus pallio, rei cæteroquin non gravis, graviore tamen vehementia ſocietatem inceſſere: illico Princeps mutare vultum, & ipſo frontis colore, quàm ſibi eſſet ingratus ſermo, demonſtrare: eo tamen cùm nondum moveretur Orator importunus, gravioribus demum verbis repreſſus didicit ſiniſtras animi opiniones nunquam tutò in boni Principis aures effundi.

XX. Veneratio Deiparæ Virginis.

Alterum Auſtriaci generis perenne depoſitum eſt honor & ſtudium adversùs Virginem Deiparam: Huic dudum puer, ademptâ Matre in filium ſe dederat; amores filii in omnem deindè vitam probavit: Hujus ſe vocitare mancipium; JESU & Mariæ primas è ſomno dare curas, his ultimas: in Hos affectum quivis horæ pulſus, quævis ſtatua vel imago excitabat: Horum ſacra nomina pectori gerebat affixa: corollæ Marianæ compedes parvulas à Sacerdote ſolenni prece luſtratas appenderat ſibi, ut dum hanc verſaret (verſabat autem quotidie) novo ſe affectu obſtringeret. Nullus ferè in Germania aut Belgio Partheniorum cœtus, cui ſuum ipſe nomen non adſcripſerit; in multis Præfecturam geſſit. Sabbatho in honorem Deiparæ legem inediæ tenuit. Feſtos ejus dies præveniebat abſtinentiâ, obibat Agni immaculati Cœnâ. Sed cùm omnia Deiparæ myſteria eſſent ei ſuavia, ſuaviſſimum tamen erat *immaculatæ Conceptionis*, quod ut operum ſervilium vacatione per Belgium celebraretur, à ſummo Eccleſiæ Capite impetravit; idipſum molitus pro die translationis Domûs Lauretanæ, ſi Innocentius X. annuiſſet. Lauretanæ Virginis elogia quotidie à Miſſa per Sacerdotem legi, per Symphoniacos decantari voluit. Dum ageret in Auſtria, Cellenſem Virginem quotannis; dum in Belgio, Hallenſem itidem quotannis inviſit: Lakenſem prope Bruxellas, hebdomadarius adiit: Paſſavienſem auxiliatricem diebus alternis: Hujus iconem, quoad vixit, de collo guſtavit. Nulla propè in Germanis aut Belgis ara Virginis, aut imago celebrior, ad quam non pendeat Leopoldinæ pietatis anathêma. Plurimas ejus generis icones æri incudi, coloribus & auro illuſtrari juſſit, ut in omnes ſparſæ omnium colligerent pietatem. Quo tempore de Sereniſſimo Nepote Leopoldo in Imperatorem eligendo negotium agebatur, clam ſuis jámque altùm ſopitis, uno tantùm ſervorum conſcio ad Aram Deiparæ miraculis nobilem progreſſus, bene magnam noctis partem precàndo exegit.

aliorúmque Cœlitum.

Eximia pariter in ſanctos alios Cœlites veneratio; præcipuè in eos, qui DEO-homini cognatione ſanguinis, aut familiaritate conjuncti fuerant. Deinde in Sanctum Leopoldum Auſtriæ Marchionem nominis ſui Patronum: Hujus anniverſarium diem ſolenni cultu per totam Auſtriam obeundùm impetravit, id quod deinde morienti teneriori ſolatio fuit: Huic in templo Profeſſorum Societatis JESU Viennæ ſumtuoſum à fundamentis excitavit ſacellum. Hujus ſacra Lipſana, quorum partem inſignem in Belgium detulerat, ut publicus à pluribus eſſet honor, in diverſa diſtribuit: ubi magno concurſu populi celebrari cœpta: partem etiam Paſſavienſibus moriturus transſcripſit. Eadem pietas in Apoſtolos; in Fundatores Ordinum religioſorum; in patronos locorum atque ædium ſacrarum, apud quas morabatur. Sic prima auſpicaturus arma in Bohemia, ejus regni Tutelaribus anathêma fixit. Sed ſingularis affectus in Apoſtolum Indorum S. Franciſcum Xaverium: ad hunc aliquando depoſita jam valetudine concepto voto præter ſpem reſtitutus, Ei deinceps benefi-

beneficium vitæ ferebat acceptum; cujus memoriam quo ſemper haberet ob oculos, elegantem Divi iconem in conclavi ſuo quotidianæ venerationis cauſa ſtatuerat. Hunc ſibi in extremo præcipuè morbo comitem ad æternitatem delegit. Denique ſine Sanctorum reliquiis nec vigilabat, nec dormiebat; nec vivebat, nec moriebatur. Ingens Catalogus eſt earum, quas de collo geſtabat, quibus in hierotheca conjuncta erat brevis hæc aſpiratio manu ejus exarata: *ſint ſemper in corde meo, & defenſores in morte mea!* Ex aliis concinnum in ordinem digeſtis velut altare in conclavi ſuo erexit, ut cùm ſolus eſſe crederetur, verſaretur cum Sanctis: alias ſecum, quoquo ducebat caſtra, devehebat, & manè quotidie, veſperéque reverente oſculo venerabatur.

Statum ei tempus agendi cum DEO; manè quotidie, itémque veſperè, certo dimenſo, de quo negotia publica ne quid detraherent, dies ſæpe Vigiliis præventa: id maximè cùm eſſet belli, ubi cùm ſub auroram adiretur à Ducibus, jam eum inſtratum genibus cum DEO partientem curas videbant. Si quando diem totum ſibi negotia vindicarent, ſeram etiam noctem ponendis cum DEO, animóque ſuo rationibus adhibebat: ſomno non antè ſe dabat, quàm æternitatis ſecurus. Quoties veſperi decumberet, componebat ſeſe uti moriturus, piâque aſſimilatione adhibebat ſibi ritum ſacræ unctionis per aquam benedictam, verbis etiam conceptis formulam pronunciabat, ſubjectis commendationibus animæ apud morientes recitari ſolitis. XXI. Oratio.

Quotidianum divini Officii penſum nec domi per Reipublicæ negotia, nec belli per conflictuum ſtrepitus intercipi ſibi paſſus eſt. Ad Lipſiam profligatus, quem alii obtendebant, laſſitudinis prætextum non admiſit. Ad Lendium ad conflictum diſpoſitus, cùm diurnæ curæ tempus denegaſſent, metuerèntque Duces vicino hoſti per ſplendorem luminis prodi, ne tamen id ſibi afferri imperaret, adduci non potuit. Neque verò deproperâſſe contentus, ſuas Horis ſingulis præmittebat conſiderationes, quibus animum, ceteroquin facilè vagum, divinis applicatum contineret: quarum exempla inter ſecretæ ejus pietatis commentarios reperta vitæ Scriptor expromit. Pro diverſis anni memoriis diverſas itidem adhibebat conſiderationes: ſic tempore Adventus ad Matutinum: *conſiderabo*, inquit, *infelicem mundi ſtatum, qui ante Adventum Filii DEI jacebat in tenebris infidelitatis & peccati.* Ad laudes. *Conſiderabo viva & ardentia deſideria Sanctiſsimæ Virginis & SS. Patrum, quibus Adventum Domini præſtolabantur. Uniam cum illis ea, quæ me excitare decet, ad remedium, vitæ emendationem, & æternam ſalutem obtinendam:* atque ſic reliquas Officii partes conſiderationibus univerſim octo diſpungebat. Alias item adhibebat tempore Nativitatis ei myſterio congruentes: alias rurſum tempore Paſſionis; quibus omnibus nihil exquiſitius ab iis etiam, qui ſeculi rebus abſoluti uni DEO vacant, elaborari aut concipi poſſit.

Nullus illi dies, ne quidem inſtruendi, ſubeundíve conflictus, aut oppugnandæ urbis (quamvis ipſe diſponeret, urgeret, agerétque omnia) neceſſitatem impoſuit omittendi Sacrificii: ubi tota mente in myſterium intentus neque literas, quæ exhibebantur, inſpicere, neque negotii quidpiam ad aures admittere, aut mandare ſuſtinuit; expertus ſæpe manifeſtum DEI pro ſe curantis præſidium, machinis hoſtilibus veluti ſilentio ad tempus indicto, vel contumacia obſeſſorum ad obſequium inflexa.

Reperta in ejus adverſariis methodus audiendæ Miſſæ, qua nihil exquiſitius. *Ad Pſalmum* Introibo, inquit, *formabo intentionem, qua tremendo huic Sacrificio interſum, & finem ſacræ Communioni ſeu reali ſeu ſpirituali præfigam. Ad* Confiteor: *Confitebor iniquitates meas DEO ſummo Sacerdoti: concipiam intimum de peccatis meis dolorem.* Et ſic de reliquis. Illud *ſpiritualis*, ùt vocamus, *Communionis* exercitium omnino ſibi familiare fecerat ſic, ut non tantùm id ſemel in die, ſacrorum myſteriorum tempore, ſed meridie inſuper, ac veſpere uſurparet: ita enim ipſe in adnotatis ſuis propoſitis ſcripſerat: *Aſſueſcam ſæpius in die ſpiritualiter communicare, idque faciam minimùm manè, meridie, & veſpere; tum ad dirigenda in DEUM totius diei opera, tum ad congruam ſacramen-*

talis ſumptionis præparationem, paciſcárque cum DEO de voto, eum per omnes aſpirationes ac reſpirationes ſumendi.

Pendebam animi, num alia ejus generis in hunc locum adferrem: ſtudium brevitatis omittere ſuadebat: verùm quia ſanctum Præſulem exhibere ſtatuimus, & non illis tantùm, qui hiſtoriæ bonum ad intellectum tantummodo, ſed illis etiam, qui ad voluntatem & mores referunt, perſonis maximè DEO conſecratis operam noſtram addiximus, retegantur ſanè incredibiles illi, qui à morte patuerunt, animæ theſauri.

Duplices erant pietatis ejus commentarii authographi; quorum alii continebantur in libello, alii in ſchedis de collo geſtatis; ex quibus manifeſtum ſit, animum tenuiſſe DEO ſemper affixum: *in dirigendis, inquit, ad DEUM operibus meis hunc modum ſervabo.* I. *Ad ipſum dirigam: Hoc eſt, faciam, ut ipſi hoc agendo obediam; id quod etiam agerem, ſi oppoſitum concederetur.*

II. *Amplificabo. Dicendo hæc aut ſimilia: ô utinam! Domine mi, in hujus actionis præmium mererer pro amore, honore, & gloriâ tuâ, ac ſalute animarum, acerbiſſimis martyrii tormentis affici!*

III. *Elevabo finem. Intendendo ea agere ex motivis ſummæ perfectionis; illis nempe, quibus ſua DEO exhibuerunt Sancti, & omnes perfecti, Beatiſſima Virgo, & Chriſtus ipſe: gratulando de eo, quo in ſimilium actionum præmium Dominus meus, Beatiſſima Mater, & omnes Sancti fruuntur; cum ardenti deſiderio eò pertingendi, méque DEO ſtrictè uniendi, ut à me nunquam offendi poſſit.*

IV. *Uniam cum Operibus Chriſti & Sanctorum, ut tantò ſint divinæ Majeſtati gratiora.*

V. *Petam gratiam, ut opus hoc maximâ quâ poſſum perfectione peragam, quo ipſi magis placeam, unámque ejus gloriam intendam.*

Breviores alias operum directiones, cùm prolixiorum tempus haud ſuppeteret, ſibi conſtituit: Manè ſic: *In Te Suaviſſime DEUS, per Te, de Te & Tecum incipiam & complebo, & omnia faciam.* Ad cibi ſumptionem: *In te Domine mi, per Te, de Te, & Tecum loquar & collætabor.* Ad ſomnum: *In Te, per Te & Tecum Domine mi dormiam, & requieſcam.*

Quoquo iter agebat, libellum detulit velut enchiridion, quo internos illos in DEum ignes exſuſcitabat: *DEus meus*, inquiebat, *finis meorum finium, principium, eſſe, & vita felix, ac perennis animæ, cordis, & corporis mei: Tu ſummum meum bonum, amatus ſcopus cogitationum, & deſideriorum meorum: Tibi me millies & millies in præſenti totum dono, dedico, ſacrifico; & in holocauſtum intus & foris, ſemper & pro ſemper, tam in tempore, quàm in æternitate offero: ideóque hac coram Divinâ Majeſtate tuâ proteſtatione obſtringo tibi omnes meos fines cujuscunque ſeu minimi, ſeu maximi negotii, quod cogitabo, loquar, aut agam; & quidquid ab anima, corde aut corpore indigni tui ſervi tantum tibi tótque titulis obſtricti prodierit. In horum ego principio, medio, & fine proteſtor nunc pro tunc & ſemper, me non alium finem intenturum, quàm ut tibi, mi DEUS, obediam, tibi placeam, Gloriam tuam promoveam, & ad te divinâ tuâ gratiâ auxiliante perveniam. Obſtringo firmiſſimam voluntatem quæcunque opera eo fine peragendi, qui perfectiſſimus ſit, & quòd ſummè tibi placeat, acceptiſſimus.*

Præterea, ſi quando mihi vel amoris & commodi proprii, vel ſuperbiæ, ambitionis, hypocriſis, humani reſpectûs, aut cujuscunque ſiniſtri affectûs motivum irreperet, conteſtor me cum auxilio divinæ tuæ potentiæ actum contrarium, quàm potero perfectiſſimum eliciturum, ut ſingulis meis operationibus quæram majorem tuam gloriam, intendam tuum beneplacitum, obediam tibi ſolùm; quia tu es unicum bonum meum, quia es, qui es, & eris ſemper. Iſtiuſmodi ſublimiſſimis affectibus totam precem exequitur, illud unicè agens, ut opera ſua omnia modo quàm perfectiſſimo ad DEum dirigeret. Erátque hoc velut pactum generale, *quod*, inquit, *ſervaturum me ſpondeo usque ad finem vitæ meæ, ſingulariter in mortis articulo: in quem finem, ut pactum hoc ſit firmum, ſtabile & immutabile, retenta ſolùm poteſtate id ad majorem perfectionem, & ſublimitatem elevandi, propria mea manu ſubſcribo die 22. Auguſti An. 1639. Leopoldus Guilielmus.*

Sed

Sed nondum ſatis habuit ſe obſtrinxiſſe DEO fœdere quodam generali, niſi & de ſingularibus novum conderet pactum: quare biennio pòſt confecit decretum manu itidem ſua ſubſcriptum, quo de omnibus pene, qui cogitari poſſunt, corporis animíque motibus, de rerum omnium creatarum, cœli, terræ, Angelorum, hominum, animalium, frondium, & quidquid uſpiam ſit, eſt, agit, aut movetur, naturis & operationibus, de ipſis tympanorum pulſibus, in perpetuum diſpoſuit ſic, ut hæc omnia cedant ad honorem & gloriam DEI majorem, ad venerationem Auguſtiſſimæ ejus Matris Dominæ meæ, omnium Angelorum & Beatorum, ad liberationem animarum de pœnis Purgatorii, ad ſalutem omnium creatorum & creandorum hominum, ad converſionem Turcarum, Maurorum, hæreticorum, infidelium & peccatorum, qui ſunt, & fuerunt &c. ſtatuítque ut motus omnes naturarum, quos ad minutum enumerat, ſint ſigna, oblationes, & renovationes affectus ſui, majorem DEI gloriam & beneplacitum unicè anhelantis, ídque in omnem æternitatem: in cujus rei fidem, inquit, propria manu ſubſcripſi Viennæ 19. Maji 1641. Leopoldus Guilielmus.

Has animi conteſtationes quotidie à ſomno, priusquam negotia aggrederetur, ſecum eodem, quo conceperat, affectu repetebat: ſæpius per annum majoribus præſertim ſolemnitatibus, aut privato conclavi coram pendentis è Cruce DEI Imagine, vel ante ſacrum Euchariſtiæ epulum renovabat: ipſas diei horas, ipſa negotiorum faſtidia frequentibus ad DEum aſpirationibus diſtinguebat.

Eam ob rem Eccleſiaſtes in funebri Panegyrico Leopoldum comparavit Argo, aut Cherubino potiùs undequaque oculato, ùt qui ſancta quadam circumſpectione totum animum ſepſerit; actionum ſuarum fines eminentiores proſpexerit; nunc lateri ſuo aſſiſtentem Angelum, nunc DEum, Divósque familiares repetitis ſuſpiriis aſpectârit; indè diſcreverit pravitatem, ut averſaretur; hinc honeſtatem ſcrutatus ſit, ut impenſiore ſemper affectu complecteretur.

Animus humanis rebus altior, ipſas etiam actiones naturâ ſuâ humiliores, quibus humana conditio obligatur, ad ſuum principium elevabat: quidquid gratum aut inamœnum oculis, quidquid ſuave aut injucundum auribus, quidquid blandum vel aſperum ſenſibus, ſeu oneroſa ſeu remiſſa tractanti occurreret, in id illico non ſecùs atque in gradum, quo altior ad æterna efferretur, inſiliebat. In ipſis rerum tumultibus mens cœlo fixa, ſermóque familiaris cum DEO: humana agere videbatur, at de propinquo ſemper DEum ſpectabat. Quippe perennis illa, qua fruebatur, animæ ſerenitas liberum ſummi Boni offerebat aſpectum; & illa nullo unquam ſcelere obligata conſcientia expeditum reddebat ex omni occaſione evolandi ad æterna: quo fiebat, ut in- XXII.
ter manifeſta etiam vitæ diſcrimina, & obviantes paſſim mortes ſine ullo hor- Magnanimitas.
roris ſenſu verſaretur, DEO comite, & conſcientiæ clypeo ſecurus, quo ſæpe belli miraculo fuit, ultro in eam ſe partem inferens, unde majus periculum imminere videbatur: ipſe in acie conſiſtere, ipſe obſidionum moliri acceſſus, aliáque talia, quæ audiens Maximilianus Bavariæ Dux attonito ſimilis quærebat, quî fieri poſſet, ut tanta Leopoldus pro experientia militari pericula nôrit, & iis tam intrepidè ſe exponat? orabant eum Duces propoſita exercitus univerſi ſalute ex capite ipſius pendente; atque etiam conſcientiæ ejus arbiter Joannes Schega Jeſuita monebat injecta etiam offendendi DEum religione: verùm Archidux DEO fretus: *cujus*, inquit, *offenſionem timendam mones, ejus præſidio nitor: pro bona cauſa pugno: erit adjutor, qui eſt arbiter. Conſcientiâ fretus ſic vivo, ut mori poſſim*: tum ad Patrem converſus, *tu me*, inquit, *ne deſtituas, neque eos, qui me ſequuntur: ſuccurre animæ, ſi cujus corpus mihi ad latus ceciderit; imò & mihi, ſi DEO viſum fuerit me pro ſua gloria pugnantem vulnere, aut morte honorare.* Monentibus ut certè loricâ obarmaret pectus, reſpondit: *lorica noſtra DEus eſt.* Quo primùm die ſuſcepit arma, chirographum ſua manu exaratum hierothecæ de collo pendolæ incluſit: *JEſu & Maria quem timebo, quando tu non tantùm mecum es, ſed & meus es?* Et verò prodigii ſæpe

loco habebatur, è præſentiſſimis vitæ periculis evaſiſſe incolumem; erátque jam famâ inter ſuos vulgatum, tutiorem eum eſſe, qui volante undequaque globorum grandine ponè Archiducem lateret, atque eum, qui aheneis tegeretur mœnibus: certè ejus Aulæ Cancellarius interrogatus aliquando, cur ubi in pericula rueret Archidux, ipſe eum à tergo ſequeretur, reſpondit: quia muro non protegerer firmiore: Sanctum, gratúmque DEO Principem æſtimo Leopoldum: tot argumentis ac pene prodigiis habeo, quòd DEus eum nolit vulnerari. Retulit Comes Bernardus à Martiniz Bohemiæ Burggravius: „ Audiſſe à Suecis hoſtibus, Sereniſſimum Archiducem ad Wolffenbi„ tum (quia exercitum non moveri loco, belli ratio exigere videbatur) eâ „ ipsâ ſtatione, in quam centum & plures majorum baliſtarum jactus ceciderunt, intrepidum adeò conſtitiſſe, ut nec levi vel corporis vel capitis motu „ volantia fulmina declinaverit; Comitantibus verò, qui timoris quædam ſi„ gna monſtraſſent, dixiſſe: qui pavidus eſt, recedat, ne ſuæ ignaviæ exem„ plum in intrepidè conſiſtentes transfundat. Unde & hoſtes admirati con„ ſtantiam inter ſe ajebant: aut Angelus eſt Archidux, qui illic tam immotus „ conſiſtit, aut ejus ſtatua, aut ſpectrum aliquod ejus ſpecie. Ita quidem illi heroem admirati, ùt eſt in bello nulla virtus plauſibilior contemtu mortis; cujus tamen radix ignota vulgo eſt: mortem nemo contemnit, niſi aut amens aut pius.

XXIII. Prudentia. Ut eſt initium ſapientiæ timor Domini, quòd in animo cum DEO Diviníſque conſentiente nulla pateat errori via; ita admiranda Leopoldi in negotiis expediendis prudentia, ſic ut illi, qui ei quotidie in graviorum rerum deliberationibus aſſidebant, teſtarentur, nihil occurriſſe tot implicatum nodis, quod non explicaret feliciter: ſententiæ ejus nec addi quidpiam potuiſſe nec demi. Ingenium moderatum, & æquabile ab natura ſortitus; deinde præclara à teneris inſtitutio, cum nativa mentis perſpicacia conjuncta, per illam poſtea tot rerum bello & pace tractatarum experientiam, atque inſuper hiſtoriarum cognitionem expolita ſummi omnino judicium in eo effiormaverant: ad hæc ſolertia incredibilis & mitis animi patientia, quæ affectus nullius violentiam admittebat, procul à pertinacia ac præcipitatione, qui conſultantium ſæpe ſcopuli ſunt. Deteſtabatur ſtrophas & calliditatem omnem; per bonas tantùm artes, & deſcriptas à conſcientia vias ad deſtinata tendebat. Ad hanc normam Conſultores legebat, DEum timentes, quos vel idcirco ſibi & reipublicæ fidos ſtatuerat: hujusmodi unde unde è longinquo etiam conquirebat. In rebus gerendis cùm nihil niſi adhibito peritorum conſilio faceret, tamen plurimùm conſultabat cum DEO; quo ſæpius factum, ut alia omnia, quàm ſui ſuaderent, aggrederetur; quod aliquando miranti Marchioni Ledeo, cujus conſuetudine delectabatur, rato Principem rationum pondus non ſatis aſſecutum, *tu verò*, inquit, *ſic habe, me difficultates & percepiſſe probè, & ponderaſſe, ſed interior quidam motus eſt præter modum ſingularis, quo impellor, uti confiſus DEO, qui in ſe fidentem nunquam deſerit, rem aggrediar.* Hoc ejus nempe telum erat: heroica in DEum fiducia, qua plus longè, quàm armis confidebat. Incluſerat aliquando Neoburgo oppido ad Bohemiæ fines ſito Slangium Ducem Suecicum cum numeroſo milite: inſiſtebat magna vi mœnibus, ut ad deditionem compelleret: ſed hoſtis ad pertinaciam obfirmatus oppugnantem fallebat: imminebat tempus aſſultui dictum: tum Archidux ad ſuos converſus, *Miſſæ*, inquit, *Sacrificium audiamus, & DEus excordem reddet inimicum:* mirum dictu! ubi primùm Sacroſancta Hoſtia præſentibus ſpectanda ſublata eſt, auditum è mœnibus deditionis ſignum: tum ille, *ſic*, inquit, *hoſtes vincendi ſunt.*

Sed illud prudentiæ ejus inſigne & rarum, quòd in illis aularum, & miniſteriorum, quæ geſſit, anfractibus nusquam offendit, ſic ut ne ſuſpicioni quidem, aut diffidentiæ, qua nihil citiùs in teneris principum animis etiam ob rectè facta, pravorum ſuggeſtione ſæpe ſuboritur, patuerit Ejus integritas. Qua de re Joannes Baptiſta Nanus Venetorum apud Leopoldum Cæſarem Legatus ita ad Senatum ſuorum retulit: *Archidux Leopoldus Guilielmus Imperatoris patruus*

truus in præſenti gubernatione primas tenet, auctoritate, prudentia, & ſincerisſimo affectu, quo in eum fertur Nepos: ſed bis tantâ modeſtiâ, & obſervantiâ utitur, ut nec Imperatori ſuſpectus eſſe posſit, nec quidquam ei à Miniſtris in ſiniſtrum trahi. Eſt Princeps maturus, pius, prudens, eruditus, & militaris. Ita ille. Idem Leopoldus Imperator quum aliquando audiſſet, eſſe, qui mutuum illud amoris vinculum diſſectum cuperent: *fruſtra eſt*, inquit, *quisquis hoc agit: nemo nos unquam ſeparabit:* & Archidux: *firmius*, inquit: *eſt vinculum, quo Imperatori ſtringor, quàm ut ſolvi posſit.*

Quis juſtitiam ejus & accurationem legum ſatis deprædicet? iis qui ſug- XXIV.
gerebant, uti libitu ſuo, non minutarum legum præſcripto plura faceret, re- Juſtitia.
poſuit memorandum effatum: *Principem exemplo ſuo ſubditos docere debere, quæ legibus debeatur reverentia.* Ad eam normam tribunalia compoſuit, ut publicus omnium extiterit plauſus: nullus in ſubſellium admiſſus nundinatione, ſed meritis & virtute ſpectata; in ſententiis ferendis ne quis eſſet muneribus accipiendis obtentus, modum ſtipendiorum judicibus auxit. Ipſe eos, qui ſe læſos quererentur, ad ſatietatem audivit. Eadem æquitate etiam in hoſtes uſus, Galios, Batavos, Anglos, ſic ut quæ Belgis erant cum illis privatæ lites, nullo publicæ inimicitiæ reſpectu dirimeret. Pecuniam Hiſpanicam in Belgium deſtinatam, tempeſtas maris in portus Anglicanos impulerat: Cromvelius detinebat; erant, qui vicem reddi ſuaderent de bonis Anglorum in portubus Belgicis: at ille, *quid*, inquit, *num innocentes luent, quod nocens peccavit?*

In plectendis autem reis illud inter impunitatem & rigorem moderamen Clementia.
tenebat, ut diceret: ſi errandum ſit homini, tutiùs errari clementiâ, quàm ſeveritate. Unde ſupplicia, ſi crimen ſineret, ſi elevari quoquo modo poſſet, vel remittebat, vel certè mitigabat. Tamen idem abominando ſceleri, quod verecundæ aures abhorrent, decretum ab ſenatu rogum probavit. In pœnis infligendis ſtatus Eccleſiaſtici rationem permagnam habuit: cui ſecreta pœna mederi potuit, ad publicam non protraxit. Quod duas ob cauſas faciebat: primùm ut ſuus Ordini eſſet illæſus honor: deinde ne ipſa medicamenti applicatione inſpectantes vulneraret: ſæpe enim exemplo ſumitur, quod pœnâ plectitur. Quod ſi emendationis ſpes citra pœnam conſtaret, monuiſſe contentus, puniendo abſtinuit.

Diſciplinæ militaris exactor erat ad amuſſim; Lege primùm Ducibus Cura diſcipli-
dicta, uti bono vitæ exemplo, deinde poteſtate militem à flagitiis coërcerent: næ militaris.
rapacitatem ſeverè repreſſit, quin ſi quid ejusmodi per licentiam militis patratum cognoviſſet, repoſuit illico dominis ſpolia, ſi extarent: ſin periiſſent, Principis ærario æquitas conſtituta. Præcipuè locis cautum ſacratis: ſi quando cum exercitu vel per Eccleſias tranſiturus eſſet, vel violenta manu (ùt ſæpè accidit) urbem occupâſſet, deſtinatas ad templorum, ſacrorúmq; locorum immunitatem excubias præmittebat, ne qua DEO, ejúſque aris, ſeu per militum petulantiam, ſeu per æſtum victoriæ irrogaretur injuria. Cui rei cùm non ſatìs cautum aliquando comperiſſet, viſus eſt ipſe ſtricto ferro advolare, arcere militum inſolentiam, & DEI locum, causámque defendere.

Ne verò militi per inopiam daretur ad exceſſus anſa, annonam & ſtipendia dudum antè providit: ubi hæc in ſubvehendo parùm procederent, ſuos ipſe theſauros eſt elargitus: oblata ſibi ab urbibus munera in militem indigentem diſperſit: quoniam verò, per ſuam etiam quantamcunque diligentiam efficere non poſſet, ut res annonaria præſtò daretur, cognitum eſt, quàm efflictim & ab Cæſare, & ab Rege Catholico miſſionem petierit, propterea quòd non poſſet in tanta militis penuria cohibere licentiam, & conſcientiæ ſuæ quietem imperare: Cæterùm utcunque res arctas amplitudine charitatis ſupplevit, ut egentem etiam militem in Officio contineret. Utut corpore erat parùm firmo, multisque morbis exercito, tamen nemini ulli gregariorum patientiâ militari concedere: ipſe algere, famere, ſitire cum reliquis, ſudare, vigilare plus reliquis omnibus. Non antè ad quietem ſe componere, quàm militem reddidiſſet quietis ſecurum. Suis etiam ſopitis obire caſtra; ſtationes, excubias ſuis oculis inſpicere, reficiendi corporis curâ pene omni neglectâ: ſomnum

denique non in ædibus vicinis, quod ſæpe poterat, ſed eadem forte cum gregariis humi capere palliô tantùm ſubſtratô: *habeant ſaltem*, inquiebat, *exemplum meum*, *quando aliud*, *quod erogem*, *non ſuppetit.*

XXV. *Liberalitas.* Jam beneficentia ejus & largitas in bene meritos expleri vix potuit. Hoc ſolùm nomine, inquiebat, majorum opum affluentiam deſiderarem, ut eſſet, quod ſpargere poſſem, & bene merentium honorare virtutem. Erat, quod vulgò de ipſo ferebatur: quos ad tanti Principis obſequia non invitaret amor, quem meretur; pene compellit utilitas, quam referunt: adeò nemo illi gratis bonus, nemo honoris tantùm fumô muneratus. Illa in egenos miſeratio à teneris inſita cum ætate crevit; in hominum genus omne diffuſa, ſacros, profanos, Duces, milites; denique quem virtus commendaſſet, qui fidem facto quopiam probaſſet, continuò ſenſit apertam ejus dexteram.

Benignitas. Jam verò eorum promerita, qui ſtrenuè quidpiam pro DEO aut Republica feciſſent, nec ipſi, qui fecerant, adeò benignè æſtimare, adeòque commendare poterant, atque ipſe & æſtimabat, & commendabat. Ingentem catalogum texit vitæ Scriptor eorum, quorum encomia ob rem fortiter geſtam in ejus ad Cæſarem literis extabant, id in ejusmodi ſolitus, ut induſtriæ ſuæ mentione ſuppreſſa laudem in alios omnem refunderet: quin etſi alea cecidiſſet infeliciter, nullum tamen rei ſuæ colorem cujuscunque incuſatione quæſivit. Certus erat laudis, qui rem geſſiſſet ſtrenuè, tametſi infeliciter: neque enim virtutem metiebatur eventu, ſed conatu; ipſis adverſis uti ſolitus ad imprimendum virtuti calcar: tum etiam, ubi per ignaviam cujusquam res accidiſſet, advocatum, ùt poterat, quæſitis ſuggeſtisque argumentis agebat, illud ſolitus dicere, afflicto non eſſe addendam afflictionem.

Incredibilis ejus cura in captivos, in ſpoliatos, ſed maximè in ſaucios, aut è morbo decumbentes: nullus illi vilis; pro gregario milite tanto impenſior cura, quanto ſolet huic eſſe familiarior egeſtas, & valetudinis adminicula rariora. Jacebat ad Roſenbergæ foſſam gregarius frigore, & inedia propè exanimis: fortè conſpectus à Principe; qui mox equo deſiliit, ſublevari, foveri, foco, cibo refici juſſit, ac ſuo ipſe alloquio recreavit. Neque tegere valebat ſingularem animi guſtum; quoties miſeriæ cujuspiam ſublevandæ ſeſe aliqua præberet occaſio, vix alio operæ pretio in vita caſtrenſi delectari viſus, quàm exercendæ charitatis. Nullus eum aut loci pœdor, aut morbi fœditas arcebat; nulla tanti pretii medicina, quam ſi proſtaret, aut in pharmacopœa ſua ſuppeteret, exhiberi non mandaret. In caſtris propria erigebat tentoria procurandis ægris, vicinas urbes per literas in eorum ſubſidium vocabat: Epiſcopos & Religioſos, uti ſtipe corrogata ſubvenirent. Ipſe ab noſocomii præfecto, à medicis, à Sacerdotibus caſtrenſibus de cujusque valetudine, de morbi ſtatu, periculo ſolicitè ſciſcitatus, num de vitæ, num de animæ neceſſariis proviſum: neque horum relatione contentus, ſuum ipſe cubicularium mittebat ad ſingulos, utì certior redderetur. Si qui in acceſſibus urbium ex vulnere concidiſſent, & ſe vel gemitu vel clamore prodidiſſent, illico præſens aderat adjutor idem & conſolator.

Neque immemor eorum, qui mortem oppetiiſſent, procurato primùm ſolenniter funere, deinde in animarum refrigerium, decreto publicato mandavit Epiſcopis, ut curarent in oppidis & urbibus ſuæ jurisdictioni ſubjectis, tempore hibernorum quotannis fieri Miſſam unam ſolennem pro defunctis in bello, ad quam miles omnis ſuperſtes evocaretur: deinde conſtituit, ut in ipſis etiam caſtris ſingulis menſibus pro iisdem inſtitueretur Communio generalis, ad quam & Duces, & milites omnes à Capellanis caſtrenſibus invitentur. Rurſum ut in Eccleſiis Cathedralibus, Collegiatis, Religioſorum quot hebdomadis fiat una Miſſa privata.

Omnium in eum amor. Jam verò ut nihil eſt amabilius virtute, ita in cordibus omnium ferebatur: *qui eum non amaret*, ait vitæ Scriptor, *inveni neminem*; *ſi qui enim ejusmodi erant*, *latere ſtuduerunt*; *quòd nemo vult videri odiſſe*, *quod amant omnes.* Solo aſpectu rapiebat corda, mœrorem detergebat, eo verborum nectare, oculorum gratia, ut neminem ab ſe triſtem dimitteret: obvius omnibus audire

&

& reſpondere promtus, copiam ſui citra longas atriorum moras faciebat. Domeſtici vocem ejus velut Angeli in remedio mœroris habebant: Exteri hærebant attoniti affabilitate, qua omiſſa dignitatis pompâ propè in æquum deſcendebat. Hoc irritamento multos etiam Principum ad ſe videndum excivit, pervicaces ad obſequium, hoſtes ad conſilia pacis inflexit: ſed in milite præſertim, quem duxit, quid amore poſſet, oſtenſum eſt: id erat ejus fatum, ut quamvis à ſeculi negotiis alieniſſimus uni DEO, & Eccleſiis ſibi creditis vacare ardentiſſimè cuperet, tamen iterum atque iterum cogeretur Imperatorem agere eâ potiſſimùm gratiâ, quòd ab exercitu tantopere amabatur. Eamus, inquiebant & nos, & moriamur pro DEO, Rege, & Archiduce noſtro.

Miraculo viſum ſimile, quòd ea rerum difficultate ſucciſò belli nervo, ſtipendiorum & annonæ penuriâ (quæ primæ ſunt ſeditionum cauſæ) nihil tamen unquam auſa ſit mercenarii militis inſolentia, nullum ex laſſitudine ceperit armorum faſtidium; quin ad omnia promti certatim convolabant ad accipienda imperia, ipſos prævertebant nutus, ambitione in gravioribus quibusque probandi virtutem: ubi verò periculis objicientem ſe viderent, tum ipſi ultro affectari eum ſalutis ſuæ immemores, ſtipare latus, quo corporum ſuorum objectu à telis protegerent. Hunc unum habebant modum, quo caro capiti cavebant: quòd nulla contentione precum eum ab aditu periculorum retrahere poſſent.

XXVI.
Odium vitiorum.

Flagitioſos quum averſaretur, tum oderat præcipuè genera tria; mendaces, adulatores, & impudicos. Audierat aliquando dicentem, inter boni Legati dotes eſſe artem mentiendi: mox ille, atqui, ait, ne ut mundus univerſus lucrifiat, mendacium vel leve proferendum eſt. Adulatores peſtem Principum appellabat, impoſtores, canes. Impudicos nec aure, nec oculo dignabatur, non aliàs graviùs offenſus, quàm verbo minùs pudico. Fixum erat jam adoleſcenti, cùm ſui juris olim fieret, aulam ſuam ab id generis labe puram, ſanctámque ſervare. Eam ſanè ita fingebat, ut eſſet DEO ſervientium Collegium: in cooptandis ad munus quodpiam aut obſequium ſuum miniſtris eam adhibebat cautelam, ut priùs in Candidati vitam, moréſque indagaret: an pietati deditus, ad moderationem compoſitus, exemplóne aliis, aulæ ſuæ decori futurus eſſet? tum verò ephebos præſertim ipſe alloqui, explorare non tam, quæ ſpectant alii, natalium ſplendorem (quanquam neque hoc prætertire decuit) quàm tenorem vitæ, morum compoſitionem, & genii propenſionem: advertebat, qui aſſidui magis, quâ pietatis ſignificatione obirent divina, aut intenti eſſent ſacro Oratori; quos, ut ad dictionum fructum excitaret, ipſe ſuper menſâ audita repetebat; quid cuique arriſiſſet, quærebat; quos cùm puderet coram ſuo Principe rerum dictarum ignaros comparere, attendendi ſtudio accendebantur. Id ut faciliùs adoleſcentibus accideret, eo illos loco ſtatuit, quo etiam Domini oculis intendere compellerentur; ſi quem (ùt in juvenum aut ſervorum congreſſu fieri ſolet) ſeu divinorum, ſeu dictionis tempore, aut fabulis, aut aliis intentum conſpiceret, vel ſeveriore oculo admonebat, vel accitum negotii demandatione occupabat, ut ſua ſtaret ſacro loco reverentia. Quas eis leges dedit, omnes ſpirant Principem Ferdinandi II. filium, hoc eſt, Sanctitatis tam ſuæ, quàm alienæ ſtudioſum: quas non ſolùm chartæ commiſit, nec ad ſuperficiem, ſed ad perfectionem ſervari voluit; ideóque in menſes ſingulos accuratam rationem à Præfecto exigebat; plecti delinquentes, præmiari ab exacta obſervantia laudatos imperabat. Cùm verò in una ejus aula magna eſſet nationum, linguarúmque diverſitas, ne cuiquam deeſſet adminiculum animæ, gnarum earum linguarum Sacerdotem aſſumpſit, qui prodeſſe poſſet omnibus; quocum & ſæpius de ſingulorum in virtute profectu diſſerebat: & liquidâ animi voluptate perfundebatur, ſi eos, quales optabat, verâ virtute nobiles repetiiſſet. Ad annuam publicámque feriæ V. Majoris Hebdomadæ Divini Epuli refectionem paterno eruditus exemplo, voluit aulicos omnes unà ſecum accedere, ſive dum in Germania militi, ſive dum in Belgio Provinciis, belliſque præeſſet. Fuit, qui illud pietatis ſpecimen declinavit; Princeps illico in cauſam inquirere: ubi ſeu prætextum, ſeu verum

Sancta ejus aulæ compoſitio.

vale-

valetudinis impedimentum accepit; erit igitur, inquit, tempus, ubi integræ ſanitati fuerit reſtitutus. Stitit ſe æger Aulæ; differebat tamen, quod optabat Princeps. Ergo eum moneri juſſit, ut ſe & Catholicum non tepidum, & ſuum quoque Aulicum eſſe, Eccleſiæ præceptorum obſervantiâ commonſtraret: non deerat rei ad ſpeciem tegendæ color, ſed non deerat Archiduci, ad ſuum votum obtinendum cura: igitur ad Divæ Virginis imaginem miraculis claram iter inſtituit, ſimúlque iteratò monet ſegniorem illum Officii Chriſtiani; nec priùs deſtitit, quàm impetraret. Quod ſi ex mediæ, imæq; ſortis domeſticis illi Officio quis defuiſſet, aut teſtimoniô conſuetô ſatisfeciſſe non probaret, promeriti ſtipendii ſuſpenſione ad præſtandum adigebatur. Ephebis hanc legem ſtatuit: ſolemnioribus feſtis Paſchæ, Pentecoſtes, omnium Sanctorum, Nativitatis Domini, & omnibus etiam feſtis B. Virginis, & SS. Apoſtolorum, ſive quot menſibus ſemel, iiſque diebus, quibus moderatoribus devotionis ergò viſum fuerit, ad ſacram Communionem, præmiſsâ ſacramentali Confeſsione, ſimul omnes piè ac reverenter accedant.

XXVII. *Cura Paſtoralis.* Cùm adeò ſemper anhelaret Eccleſiis ſuis reſtitui, quò ne animarum procuratio detrimentum caperet; egit tamen, ùt potuit, etiam abſens, ut Sacrorum Vicarii, ut Curiones Officio ſuo diligenter fungerentur. Sanctiones condidit egregias typis editas primùm pro parochis, ut inquirant in eos, qui liberos ſuos privatim curant inſtitui, & doceri; & obſervent, cujus religionis ſint ejusmodi Inſtructores, & quàm morum probatorum; ne fortè pro lacte doctrinæ Chriſtianæ imbibant venenum hæreſis exitiale. In hæreſi errantes oviculas ſingulari planè ſtudio, curâ, & conatu ad Eccleſiæ gremium reducere adnitantur. Denique in annos, quot quilibet in ſua Parochia hæreticos converterit, quot non converſi ſuperſint, ad Conſiſtorium ſpeciatim perſcribant. Quæ ut conſequeretur efficaciùs, eos ſemper delegit animarum Curiones, quibus apud improbos vitæ integritas, apud rudes doctrinæ ac ſapientiæ nomen, auctoritatem conciliaret; quòd crederet; & horum, & illorum animos faciliùs ab eo expugnari, cujus doctrinæ ipſa vitæ ratio ſuffragaretur. Ejus generis Vicarios ſibi ſubſtituit, judicéſque & aſſeſſores tribunalium; in quibus deligendis præcipuè ſpectabat tria: probitatem, zelum, ſapientiam; in quo ne falleretur, Candidatorum vitam & dotes ad quæſtionem vocari juſſit: quæ ſingulorum cum DEO vivendi ratio, quæ Sacrorum reverentia, quæ morum compoſitio, quæ ad aras facientis pietas, quæ ad populum dicendi vis, quæ converſationis maturitas, quæ conſcientiæ integritas, quàm frequens exomologeſeos uſus, quæ caſtimoniæ puritas, quæ victûs veſtitûsque moderatio, quæ publicæ famæ præſcriptio, quæ intellectûs capacitas, quæ doctrinæ amplitudo, quæ ſacrorum Oraculorum notitia; à quibus vis omnis dependet populum bene, feliciterque ad ſalutem dirigendi. Unde cùm ad unum idémque beneficium aſpirarent plures, in eum conferri decreverit, qui his nominibus cæteris antecelleret.

Si quis dignitatem ſtatûs morum diſſolutione infamaſſet, pœna non defuit, ne tranſiret in exemplum: quos pœna non coërcuit, exauctoratio affixit: quòd nulla peſtis violentiùs graſſatur in populum, quàm togâ veſtita ſcelera. Quem ſanare non poterat, extra limites amandavit: nec officio deeſſe patiebatur, ne unius ſocordia multorum eſſet ruina.

Viſitationes annuas, quo zelo obiri mandaverit, ipſius verbis accipe: *Dum attentiùs paulò conſideramus, quid cauſæ ſit, quòd S. noſtra Mater Eccleſia, exulceratis hiſce ſeneſcentis ævi temporibus ferè ubique laborare videatur; id potiſſimùm indè evenire liquidò animadvertimus, quòd ii, qui, ùt Innocentius III. ſummus Pontifex eos appellat, in ſortem ſive hæreditatem Domini ſunt adſciti, ab inſtituta vitæ ratione, ſcopóque illo, quem meritò ſibi ſemper habere debent propoſitum, quàm maximè deviârint, & tum neglectu ſacrorum Canonum, tum etiam vitæ, morumq; diſſolutione, eò ſint prolapſi, ut non tantùm huic illius languori ferè unicam cauſam præbuerint, verùm etiam ipſis hoſtibus contra illam arma quodammodo porrexerint, quibus graviùs oppugnaretur. Quod ut magnopere eſt deplorandum, ita certè nobis eò acriores ſubjecit ſtimulos, ut ſolicitè diſpiceremus, quâ potiſſimùm ratione his incommodis,*

commodis, ac ſcandalis obviaretur, tantáque mala, quæ in Eccleſiam DEI morum diſſolutio invexit, accuratiore diligentia tollerentur. Cùm autem ad hanc rem perficiendam nihil nobis efficacius eſſe videatur, quàm id ipſum, quod Nobis non tantùm vetera Concilia Oecumenica, Tarraconenſe, Toletanum IV. & Braecarenſe II. ſed etiam noviſſimè Tridentinum Seſs. 24. c. 3. de Reformat. præſcribit, ut nempe ſaluberrimum illud viſitationis remedium, tanquam contra omnia hujusmodi mala certum quoddam, & indubitatum antidotum adhibeamus: ideo ne res tam ſalutaris, támque neceſſaria, quæ hactenus ob continentes bellorum motus, non ſine ſummo Eccleſiarum detrimento, intermiſſa eſt, rurſus in uſum, praxímque revocetur, vobis diſtrictè præcipiendo mandamus, ut adjuti conſilio, auctoritate, quin etiam aſſiſtentia perſonali (quando res ita exigere videbitur) noſtrorum Officialium ſupradictam viſitationem quaſi poſtliminio, & citra cunctationem reducatis, ac totum veſtrum diſtrictum, qui vobis commiſſus eſt, unà cum Clero, & Eccleſiis quàm diligentiſſimè luſtretis, omniáque juxta præſcriptum in hac tabella modum, non perfunctoriè (ut quandoque fieri ſolltum) ſed exquiſitiſſimâ curâ inquiratis, atque id ipſum etiam impoſterum ita jugiter continuetis; viſitationem ſingulis annis, prout & antehac uſitatum fuit, & ſupradicta Concilia Oecumenica præſcribunt, ſine ulla interruptione celebretis: ita tamen, ut ſi propter amplitudinem veſtri diſtrictûs unius anni ſpatium tanto negotio non ſuſfecerit, ejus ſaltem majorem partem obeatis; ut id quod reliquum eſt, ſequente anno ſine longiore morâ confici poſſit. Quæ verò aſſiduâ veſtrâ atque indefeſſâ diligentiâ inveſtigaveritis, ea cum omnibus circumſtantiis annotata, ſcriptóque comprehenſa ad Nos tranſmittatis; ut non tantùm præſentem Eccleſiarum ſtatum, qualem nobis bellici furores reliquum fecêre, probè cognitum, ac planè perſpectum habeamus, ſed etiam ea, quæ collapſa ſunt, erigere, vitioſa emendare, deformia nitori ſuo reſtituere, & quæ inſtauratione indigent, reparare poſſimus: facturi in his omnibus, quod ſerio, & ſevero mandato fieri volumus. Viennæ ex Curia noſtra Epiſcopali Paſſavienſi ad S. Mariam in littore ſitam, quinto decimo Kal. Aprilis. M. DCLVI.

Sed quia vel mortuum correctionis genus eſt, nudum imperium exempli animâ deſtitutum, vel parùm efficax ſententia judicis, qui eodem tenetur crimine, quod condemnat; quâ deſiderabat omnes virtutis, ac honeſtatis viâ incedere; hac eos præire voluit, quibus viſitationis munus impoſuiſſet: ideóque ſalubriter monuit: Cùm nihil magis ædificet, quàm innocentia eorum, qui nobis præſunt; ſicut è converſo majorum delicta facilè trahuntur à ſubditis in exemplum: ideo ne Decanus, cui viſitationis munus incumbit, volens ſubditis exhibere medicamenta ſalutis, præbeat exempla mortis, priùs domum ſuam reformabit, moréſque ac vitam ad ſanctorum Canonum præſcripta componet, ac ſe factis ipſis atque actionibus muneri ſuo per omnia conformem exhibere ſtudebit. Tum verò rebus domi ſuæ bene, probéque conſtitutis, quo in alios animo prodire eos oporteret, monuit omnes & ſingulos, ad quos viſitatio ſpectat, ut paternâ charitate, Chriſtianóque zelo omnes complectantur; nihil aliud, quàm DEI honorem, & lucrum animarum ſibi ante oculos proponant.

Expreſſit deinde ſuccincta verbis, ampliſſima ſenſu Tridentini capita, quæ confici potiſſimùm oporteret, ut ſana, orthodoxáque doctrina, expulſis hæreſibus inducatur; boni mores manuteneantur, ac plantentur, pravi corrigantur; populus cohortationibus, & admonitionibus ad religionem, pacem, & innocentiam accendatur; Clerus reformetur, cæteráque omnia, prout locus, tempus & occaſio ferret, ex viſitantium prudentia, ad fidelium fructum conſtituantur. Et quoniam ut graves morbi non ferunt moram, ita quæ in populum, vel ſe inſinuant, vel jam indurtierunt pravitates, non ſegni manu, aut arcendæ ſunt, aut eruendæ; idcirco imperavit, ut totum hoc viſitationis negotium quàm celerrimè, debitâ tamen cum diligentiâ abſolvere niterentur.

Quoniam verò Concilii Tridentini ſanctione, Epiſcopus non ſatisfacit obligationi ſuæ, ſi ipſe legitimè impeditus conſtituat Vicarium (quantumcunque idoneum, & dotibus inſtructum) qui Diœceſim ex Officio viſitet, niſi pariter ipſe invigilet, an & quomodo idem Vicarius exequatur ea, quæ ſunt ſui muneris, quæque illi per peculiarem inſtructionem fuêre præſcripta, & de-

mandata: indè ſic ſtatuit Princeps: *Ego ſingulis annis à meis Vicariis generalibus rationem exigam de ſtatu omnium Eccleſiarum, aliorúmque piorum locorum meæ jurisdictioni ſubjectorum.* Ea verò de quibus potiſſimùm erudiri voluit, ad hæc capita revocavit.

Primò. *An, quomodo, quo fructu hoc anno per Diœceſim viſitatio ſit celebrata?*

Secundò. *An Viſitatori, in muneris ſui functione, per ſæcularium potentiam obſtaculum poſitum? an & quomodo ſubmotum? quâ ratione cum exemptis proceſſum?*

Tertiò. *An reperta in Eccleſiis, præſertim Cathedralibus, & Collegiatis, debita divinorum cura, Miſſarum frequentia, Verbi DEI prædicatio, Canonicarum Horarum Cantus &c?*

Quartò. *Quæ Eccleſiarum, & deſtinatarum Curionibus ædium conſtitutio? quod fabricæ, aut tectorum robur? an & quantis nominibus obſtrictæ?*

Quintò. *Quis nitor Altarium? quæ mundities ſacræ ſuppellectilis, & receptaculorum?*

Sextò. *Quæ Cleri cum populo converſatio? quæ vis verbi & exempli? quæ veſtitûs decentia, ac moderatio?*

Septimò. *An cuivis gregis parti præſit idoneus Paſtor? an inter hos ſit Regularis? qua cauſa huic muneri applicatus?*

Octavò. *An unus pluribus Curatis beneficiis præſit? an id exigat Sacerdotum paucitas? qua populi ſatisfactione? quæ & quàm accurata adoleſcentium in ſeminariis cura?*

Nonò. *Quem Parochi zelum prodant protegendi viduas, & pupillos, corrigendi mores, tollendi pravas conſuetudines, & actiones de ſuperſtitione ſuſpectas, propagandi orthodoxam fidem, reprimendi hæreticorum audaciam?*

Decimò. *Quæ accuratio, & aſſiduitas teneræ ætati, rudique plebeculæ Chriſtianam Doctrinam proponendi?*

Undecimò. *An ſuos dirigant, & hortentur ad Confirmationis Sacramentum ſuſcipiendum?*

Duodecimò. *An parochi ſui laboris mercedem arbitrio ſuo taxent? an Conſiſtorii ſanctione præſcripta ſit, & quæ?*

Decimotertiò. *An piis multorum fundationibus, & legatis, ſeu pro vivis, ſeu pro defunctis, ſeu pro Eccleſiis, ſeu pro hoſpitalibus, ſeu quoad Miſſas, ſeu quoad alias obligationes, ſatisfiat?*

Decimoquartò. *Quæ Cœnobiorum Regularium, præſertim Sanctimonialium conſtitutio? quis clauſuræ rigor? quæ religioſæ diſciplinæ obſervantia?*

Decimoquintò. *An in Diœceſi verſentur, ſeu obligati loco, ſeu vagabundi Sacerdotes otioſi, notoriè ſcandaloſi, infames &c.*

Atque hujus paſtoralis vigilantiæ ſtetêre fructus eximii, quos per capita edicere magis libet, quàm prolixiùs enarrare. Sicubi enim in his aliqua à recto tramite reperta deviatio, ſublata; ſi quæ fuit à menſis abundantia, inducta frugalitas, & temperantia: ejectæ pellices, & proſtituti pudoris mulierculæ; qui eis abuſi, ſi lateret ſcelus, occultè emendati; ſi pateret, pro merito caſtigati: indigni à beneficiis repulſi, digniores acciti: cujusque jurisdictionis definiti limites: repreſſa avaritia, incitata ſegnities, accenſus zelus, extincta odia, & ſimultates: ad æſtimationem extenſa auctoritas, ad moderationem arctatus luxus: vel aucta, vel fundata ſeminaria; & quisque ad ſui muneris oblationem conſtrictus: Eccleſiarum propugnata immunitas, procuratus nitor; vaſorum ac ſuppellectilis aucta mundities, ſtabilita reverentia, reparatæ ruinæ, expuncta nomina, repoſita pſalmodia, Miſſarum, Verbíque Divini, ac cœremoniarum accurata obſervatio: propè ſepultæ fundationes ad vitam revocatæ: judiciorum, ac tribunalium correcta dilatio; ſublati affectus, eliminata perſonarum acceptio, repulſa majorum patrocinia; aucto judicantium ſtipendio impeditæ ſponſiones & munera, & ſanctæ æquitatis leges vigori ſuo reſtitutæ in populo: hæreticorum multorum centenorum millium, ac multarum etiam illuſtrium familiarum converſio, perverſorum correctio, ſcandalorum exilium, mutua pax & concordia, divinorum myſteriorum æſtima-

Digitized by Google

æſtimatio, frequentior Sacramentorum uſus, divinarum & Eccleſiaſticarum legum obſervantia, vita cum virtute traducta, & mortes obitæ cum ſolatio.

XXVIII. *Zelus in militia exercitus.*

Nec verò dimiſit miles, quod agebat Antiſtes, raróque miraculo ſimul magnanimum belli Ducem, ſimul Apoſtolicum animum eâdem caſſide protexit. Quoquò hæreticorum terras ſubibat, adhortabatur Verbi Divini præcones, quorum numerum ad exercitûs ſui ſolatia, curandáſque animas ſecum devehebat; ut ſi unquam aliàs, hic præcipuè, & frequenter & ferventer ad populum dicerent; futurum ut acatholicorum concurſus, qui vel ipſum nomen Romanæ fidei, Religioſorúmque virorum, per rabularum mendacia ad horrorem deſcriptum execrabantur, humaniore de nobis, noſtríſque dogmatibus ſenſu imbuerentur. Neque ſpes fefellit auctorem. Fuêre enim, qui non modò perlibenter audirent, ſed etiam æſtimarent, & ad redarguendum Miniſtrorum ſuorum ignorantiam, in palimpſeſtum referrent audita. Alii qui religioſos viros Africana, ſeu pernicioſa monſtra arbitrabantur, poſteaquam mores doctrinæ conſentientes exploravêre, non modò cicurati ſunt animis, horrore depoſito, ut horum ambirent commercium, quorum declinabant aſpectum: ſed etiam palàm fateri non erubuerunt, ſe per ſuorum Paſtorum mendacia deluſos, promptóſque Romanæ Eccleſiæ ritibus accedere, ſi id ſuorum Principum auctoritate concederetur.

& aliàs paſſim.

Religionis propagandæ ſtudium ardentiſſimum, natura, inſtitutione, exemplis paternis inſitum, illis divini amoris, quo æſtuabat, facibus accendit, ita conteſtatus chirographo: *hoc unum voveo*, inquit, *ut in Confeſſionem fidei mihi vita tormentis acerbiſſimis eripiatur. ô quæ mea felicitas, ſi auxiliante Deo id aſſequerer!* adnotatus erat annus is ipſe, quo ad reprimendos acatholicorum progreſſus arma Cæſareo mandato ſumpſerat; quo facile eſt intelligere, quonam impulſus ille heroicus reſpexerit.

In omnibus ejus ſeu civilibus, ſeu militaribus, ac maximè Pontificalibus curis, quin & privatis congreſſibus ardor ille fidei, & animarum fervebat. Nullus illi jucundior auditu ſermo, quàm qui vel ſuggereret media reducendarum animarum, vel ſingularia, aut numeroſa ſpolia erepta hæreſi referret. Quam ob cauſam, quoties licebat, reduces ex Oriente Societatis Patres, qui excolendis illis regionibus colonias conducebant, affatum deſiderantes, admittebat benignè, verecundantes adſciſcebat; & potiſſimùm, quis fructus, quæ ſpes, quæ fidei noſtræ æſtimatio, quæ ad hanc illarum gentium inclinatio, eâ ſuavitate explorabat, ut non obſcurè proderet oratio, quo affectu animus æſtuaret. Utque etiam in illius populi ſalutem conferret aliquid, non tantùm eos liberalibus, ac regiis muneribus ad ineſcandos barbarorum animos idoneis, ſed etiam annuâ penſione eſt proſecutus.

XXIX. *Studium in Sedem Apoſtolicam.*

Sedem Apoſtolicam, ejúſque Caput omnibus, quæ filium decebant, obſequiis colebat: quam reverentiam Pontifices ipſi, ſub quibus vivebat, Urbanus VIII. Innocentius X. Alexander VII. multis encomiis extulerunt: per ablegatos ſacris pedibus deferebat oſcula: ad Jani Calendas ſecundum anni curſum precabatur: recèns inauguratis officium gratulationis exquiſitè dependebat: de Epiſcopatuum ſuorum ſtatu ſæpius, quàm pro debito, referebat: ipſi Belgii Archiepiſcopi, & primores Miniſtri ſtudium illud ſolicitum, quo obedientiam Sedi Apoſtolicæ debitam aſſerere ſtuduit, non ſemel obſtupuerunt; cujus experimentum tum egregiè patuit, eùm in cauſa Janſenii per Romanas literas quaſi frigidior reprehenſus eſt. Ea erat morbi conditio, quam violentis remediis exulcerandam potiùs, quàm curandam exiſtimabat prudentia Archiducis. Ergo erant inter Miniſtros regios, qui cenſuram Romanam indignè ferentes aculeum regerendum ſuadebant eo fremitu, ut nuncius Pontificis metuens vim, ſe loco ſubduceret; at Archidux ab horum conſiliis averſus literas reddidit obſervantiæ plenas: mulcebat delinimentis, nudam facti ſpeciem, quid, quo fine, qua ſpe, quo eventu ab ſe actum, expoſuiſſe contentus ad cætera reverenter ſiluit: Legatum autem Pontificium ocyùs revocavit, ſecurúmque juſſit. Quo tempore de Pedo ad arma vocabatur, neque calami-

tatem publicam, neque preces Auguſti fratris, neque deinde Regis Catholici ſibi tanti putavit eſſe, ut acquieſceret: auctoritatem Pontificis interpoſitam oportuit, cujus demum approbantis judicium imperii loco veneratus eſt. Par ſtudium fuit ejusdem reverentiæ apud alios quoque promovendæ: certè nepotem ſuum Carolum Joſephum Archiducem deſtinandum ſibi in Epiſcopatibus Paſſavienſi, Olomucenſi, & Uratiſlavienſi Succeſſorem, ad æternum Romanæ ſedi exhibendum honorem ac obedientiam, prolixè eſt adhortatus, eóque nomine tanquam ſedis Apoſtolicæ filium Alexandro VII. commendavit. Quibus conteſtatæ reverentiæ argumentis eam ſibi Pontificum benevolentiam conciliavit, ut ex Germania nemo, nemo ex Belgio illuſtriore ſanguine oriundus ad pedum oſculum venerit, ex quo non illico quærerent Pontifices, *quâ uteretur valetudine optimus, & obedientiſsimus filius, & frater Sereniſsimus Leopoldus Guilielmus:* nemo in illas regiones rediret, quin ſalutem paternam cum prolixi affectûs teſtificatione; tum ſacris muneribus, & Sanctorum Lipſanis adferrent.

XXX. *Mortificatio.* Non erant hæc ingenii tantùm, aut naturæ ſedatioris bona, ſed heroici cujusdam rigoris ac imperii, quo adversùs irritamenta ſenſuum, & appetitiones animi utebatur: à teneris namque annis corpuſculo vim facere, propenſiones reprimere edoctus, tum anno ſeculi nono ſupra trigeſimum hoc ſibi decretum poſuit: *Ego indignus ſervus ſervorum tuorum DEus meus, coram divino tuo conſpectu proſtratus, ſpondeo me nullum animo deſiderium aliud admiſſurum, quàm tibi uni ſerviendi, ut ſim ex toto tuus, & corpore, & animâ. Cùm verò intelligam ſuſcepti à me ſtatûs dignitatem exigere, ut ad majorem virtutis perfectionem connitar, ſpondeo me vim illaturum ſenſibus, & immoderatos appetitus compreſſurum: nec enim mundus eſt poſthac meus, nec ego mundi, ſed totus ſum DEI mei.* Ex eo tempore animadverſum ſolito violentiùs in ſemetipſum agere cœpiſſe; fuitque cura prudentis Confeſſarii adhibere modum æſtuantis animi fervori, quo cæteroquin ad complura valetudini noxia prorupiſſet. Nulla ſenſibus venia ad ſupervacaneas, nedum ad illicitas voluptates: oculis omnis ademta licentia, etiam quam urbanitatis, & animæ leges admiſiſſent; in alterius ſexus formam eos defigere piaculum ratus, nec etiam in ſororum vultibus hærere voluit. A Gubernante audiendæ quandoque fuerunt mulieres: ſed ne viderentur, legem ponebat oculis in terram defixis. Picturas amabat quidem; ſed, utcunque raras, pulchras non credidit, niſi caſtas. Guſtum vulgaribus & facilè parabilibus aſſuefecit, delicatis, ac ſumptuoſis abſtinuit. Inediæ ſtatos dies rigidè; his adjectos rigidiùs obſervavit, pervigiliis præſertim Deiparæ Virginis, & eorum Sanctorum, quos peculiari affectu venerabatur. In vini uſu ſibi legem fixit, quam Paulus Timotheo: eo quod neceſſitati ſerviebat contentus, quod voluptati eſſet, non admiſit. Muſicæ amori indulſit aliquid, non ut aures oblectaret, ſed ut laſſatum curis animum reficeret. Argumenta erant, vel quæ pium excitarent affectum, vel quæ ipſe arguto calamo de Chriſti cruciatibus conſcripſiſſet: in theatrum ſi hæc prodiiſſet, caſtam voluit: hoc ſi non ſaperet, aures non exhibuit. Flores miræ raritatis domeſticus hortus ſuppeditabat, naribus tamen virtutis conſilio ſubtrahebat: in conclavi induſtriâ ſervorum locatos oculis ſæpe & naribus ſubmovit, auram magìs innocentem ratus, quæ ſine oblectamento traheretur. Somni parciſſimus, ultra id quod natura exigebat, etiam inter longa militarium curarum faſtidia, non admiſit. Nec movebatur valetudinis neceſſitate, dum ſuas vigilias bono publico magìs utiles æſtimaret. Strati modum nuda ſæpenumero præbebat humus præcipuè in caſtris. Tegendæ virtuti in lecto primùm, ſpectante, ùt moris eſt, cubiculario ſe componebat; eo digreſſo prorepens, ſuper duro pavimento ſternebat corpus; quod cùm aliàs ſine teſte faceret, tum caſus aliquando obtulit, ut ob exortum noctu hoſtilem tumultum à cubiculario excitatum ingreſſo deprehenderetur, rubore tum quidem & mandato, quàm vellet occultum, teſtatus. Certè quod ignorârunt permulti eo vivo, non ſine admiratione deprehenderunt ab obitu; nempe acre flagellum; præterea texti, acu-

tique

tique ferri catenam macerando corpori frequenter adhibitam. His ille præſidiis tuebatur caſtimoniam, quâ nomen Angeli ſibi apud omnes pepererat. XXXI. Caſtimonia Angelica.

Ejus generis multa per vitam documenta. Inviſerat aliquando honoris causâ Electoris Brandeburgici ſororem Ducem Brunſchwicenſem, Schoningæ. Submotis menſis, Archiducem ad arcanum conclave deducit, actura cum eo de ditione Brunſchwicenſi adſerendâ Domino ſuo. Cura hîc optimo Leopoldo, ne ſolus deſereretur ſine teſte: nutu ergo, cùm verbis non poſſet, Camerario imperat, ut propiùs adſit actionum ſpectator, licèt non negotiorum auditor. Inſtabat illa, ut ipſe nondum refectus prandio, ejus gratiâ recederet: Sed intellexit iteratum Archiducis ſignum, ut non priùs moveret loco, quàm alter ſuccederet. Quanquam dudum antea Innocentiæ ejus nomen vulgò eſſet præſcriptum, ut nemini ſequior ſubiret de ſuo Principe cogitatio; valuit tamen aliquid ad augendam innocentiæ famam; quòd tantò in Leopoldo cenſeretur laudabilius, quantò erat & ipſe, & quacum agebat honeſtiſſima Princeps, ab omni ſuſpicione remotior. Erat Bruxellis quædam fœminis nobilioris ſanguinis conceſſa libertas, animi relaxandi causâ cùm luberet, Aulæ hortum ſubeundi; erat & aliqua in Aulam ſe inferendi licentia. Suſpicionibus id objectum ratus utrumque ſuſtulit. Itaque dum iſthic moratus eſt Archidux, eo præſente nec hortus patuit, nec Aula: & ut pretioſus theſaurus ſecuriùs cuſtodiretur, abolitis prioribus, novis ſeris munivit. Debuit tamen Regis Catholici voluntate Reginam Sueciæ Chriſtianam in ſua Aula habere hoſpitem: ſed ita habuit, ut quàm longiſſimè abeſſe videretur: impervias fecit januas, quibus mutuus aditus concederetur. In ipſo Belgii aditu, cùm viſendi Principis gratiâ conflueret populus, & urbis plateas ſtiparet, exhibuit ſe mulier ad omne lenocinium inſtructa, quæ ſpecie ſuâ plurium, & grandiorum animos depravâſſe ferebatur: adjiciebatur, in interioribus hujus Provinciæ viſceribus, hujusce generis Helenas complures eſſe, formâque longè elegantiores. Tum verò Archidux ſe in hoſtes incidiſſe ratus, novis animi propoſitis ſe armavit; ea oppoſiturus mœnia, quæ ſemper inexpugnabilia expertus erat. Ergò hìc primùm ille fœminarum nulli porrigere oſculandam manum. Contra morem illius Aulæ, patriæque id eſſe videbatur; ſed prorſus ad morem caſtarum mentium.

Ad oculos progreſſus, eis legem ſtatuit, quam dictat pudicitia. Ex equo prolapſa mulier, indecentiùs ſuſpenſa ſtapedi hærebat: illuc omnium converſi oculi, omnium riſus rei novitatem ingerebat Archiduci, ut innocentem nictum eò verteret, quo cæterorum vultûs ferebantur: ſed veritus ſcilicet, ne quid minus honeſti ingereretur oculis ſuis, illos etiam avertit à non viſa re, & modeſtiâ ſuâ caſtigavit aliorum licentiam; ut jam ſuæ illos curioſitatis puderet, qui erubuiſſe Principem advertebant. Bruxellis honoraturus Eccleſiam Patrum Societatis comparuerat Archidux. Stabat, ùt moris eſt, erectum illius dignitati Conopæum: mediam inter hoc & Aram ſummam ſe locaverat, ſeu ſpectatura ſeu ſpectanda, certè non tam cauta, quàm compta mulier, non parvæ dignitatis. Vix illam diſtinxit Leopoldus, mittit, qui loco abire jubeat: hærebat tamen illa, neſcio, an admirationem ſui factura, an Archiducis admiratione ſuſpenſa. Jubet iterum exeſſe, aut manu ſatellitis amoveri. Sed luculentius fuit, quod ad virginem Lackenſem dedit verecundi oculi ſpecimen. Proſtabat veneranda prodigiis ſtatua theatro altior, ad quod gradus aſcenſum dabant. Archiduci odæum inſtructum fuit, ex quo, quam inviſebat, Virginem ſpectare poſſet, & venerari. Curioſitatem mulierum major tenebat cura videndi Principem, quàm venerandi Virginem: igitur theatri gradus occupant, ut liberiùs ſpectent Archiducem. Ille ubi obſervavit ſtudium, deluſit expectationem: nam neglecto odæo, proceſſit ad aram ſummam, ut nihil obverſaretur oculis niſi DEus ſpeciebus panis velatus. Quæ tamen ſe deluſas dolebant, laudabant deludentis virtutem. Ita ubique cautus, nusquam offendit gradum.

Sed ne & aliis lapis ſcandali poneretur, ſubmovit theatra publica, quæ plerumque in Venere & Cupidine, aut in amaſiorum artibus ſunt ingenioſa:

ea ſolùm licita voluit, quæ innocentem jucunditatem parerent. Sciebat enim quod in theatris luditur, facilè in animis ſævire. Eſt in Belgio relaxationis genus, quod *Tour à la mode* vocant: ad hoc obeundum etiam Princeps invitatus, ubi ex conſcientiæ arbitrio per ſchedam intellexit, eo tempore conſuevisse mulieres per omnes urbis plateas circumcurſare, & ſub ſpecie publicæ lætitiæ pericula circumferre: ſchedam momenti repoſuit dignam ſuâ integritate: *Ago ſummas gratias pro fida admonitione: nulla præcautio eſt nimia, pro ſervando tam pretioſo theſauro.*

Sed quàm cautus ipſe fuit, tam ſuos voluit: nihil quod obſcœnitatem oleret paſſus in Aula: ſigna, verba, aſpectus, libros, omnem privatam conſuetudinem à ſuis Ephebis proſcripſit. Denique Aulæ ſuæ totius conſenſu is habebatur, qui ne veniali quidem culpâ hanc virtutem vulneravit. Nec alium fuiſſe ſenſum illius crediderim, qui cùm aliis mixtus in conclavi quodam ſpectaret varios Principes pictoris arte exhibitos, in iiſque eſſent, quorum vitam, moréſque non commendaſſet pudicitia, ac media inter eas Leopoldi icon penderet: Tollenda: inquiebat, hinc eſt Leopoldi effigies, & in choro eorum Sanctorum collocanda, qui integerrimam, & à caſtimonia laudatiſſimam vitam duxerunt. Quare quia talis omnium voce, & publico majorum imorúmque conſenſu ferebatur; qui ei ſcripſerunt elogia, qui mortuo dixerunt Panegyres, vel argumenti parte, vel totâ dictione id egerunt, ut innocentem Angelum exhiberent; rati non ingratum futurum thema, quod omnium approbatio ſuggerebat.

Æquabilitas animi. Sed animi imperio, frænóque ſic uſus eſt, ut nihil inter bona numeraret, quod DEus non eſſet: nihil inter mala, quod Deum non ſubtraheret; cæteris ne moveretur quidem; fama, infamia; honor, opprobrium; laudes, calumniæ, hoc uno abſorbebantur. Hinc rebus ad votum cadentibus, occupatis urbibus, fractis fugatíſque exercitibus, & ad omnem ſecundæ fortunæ auram nunquam immodicè exultare: nunquam fractâ fortunâ ſuâ, depoſito exercitu, ad illatas injurias, ad inſtructas calumnias vel animo dejici, vel frontis ſerenitatem mutare viſus eſt; nunquam præſentibus periculis formidare, nunquam, quod vilis eſt animi, alienæ invidere fortunæ; nunquam impotentiùs iraſci, vel quamquam indigna multa occurrerent, indignari; nunquam inflammari ſuperbiâ, aut ambitionis aurâ afflari, ut meritò, qui ei ab arcanis animi fuit, hoc demum ei elogium ſcripſerit: internos animi motus, ſicut & ſenſus externos, ita in omni occaſione cohibuit, ut nihil minus ordinatum in vultu, ſermone, geſtúque illius appareret, videretúrque eſſe absque omni ſenſu, & in quadam perpetua malacia verſari.

XXXII. Horror peccati. Erat ei adamantinum voluntatis decretum, mori millies, quàm DEum offendere. Deſtinabatur nobiliſſimi generis ſponſa pari cuidam ſponſo: dubium movebatur de fœcunditate: erant, qui narrarent, optatum priùs experimentum à ſponſo: *at ego*, ſubjecit *Archidux*, *millies millies mori præoptarem, ejus loco ſi eſſem, quàm vel unam DEI offenſam incurrere. Pereant regna, intereant familiæ, neque enim in horum ſpem ullum peccatum eſt admittendum.*

Non magnum in eo erat, quod ſanè magnum eſt, ut jam indè ab teneris culpam omnem graviorem veneno, ac morte magìs horreret: ultrà progreſſus eſt, contenditque religione ſumma, ut ne levibus etiam noxis contaminaret animam; ſed ne iſthic quidem conſtitit: illud etiam auſus eſt ſtupendum ſanè, & ſanctiſſimis etiam mortalium intra conclavia ſua recluſorum vix audendum, certè rariſſimis obſignatum exemplis; illud inquam in turba ſeculi & negotiorum auſus Archidux, quò virtus humana niti altiùs haud poſſit: voto ſe peculiari obſtrinxit, *in rerum agendarum deliberatione ſemper ei parti accedere, quâ major DEI gloria affulgeret, idque eo agere in DEum affectu, qui & perfectiſsimus videretur, & futurus DEO gratiſsimus.* Hoc votum manu ejus conſcriptum in propoſitorum ſpiritualium libello repertum eſt. Obſervavit Religioſus, & incorruptæ fidei vir ejus arcanorum conſcius, à coactis in conſilium Miniſtris moræ veniam poſtulâſſe, qua ille interim in conclave ſeceſſit, proſtratus coram DEO (ut poſtea eidem affirmavit) conteſtatus, ſe unam

Votum ſingulare.

eo

eo conſilio DEI gloriam moliri. Huc pertinebat heroica proteſtatio, quam ab ſe conſcriptam ad ultimum usque ſpiritum de collo geſtavit. *Proteſtor*, inquit, *paratum me beatitudinis æternæ præmio carere; imò tormentis cruciari æternis (nulla tamen interveniente culpa mea) modò majoris DEI gloriæ indè emerſuræ ſpes affulgeat.*

Indè profluebat illa, quæ amorem ei omnium conciliabat, admirabilis animi demiſſio, atque modeſtia, procul omni faſtu, procul tumore & arrogantia, ab cujus omni ſpecie innato quodam faſtidio abhorrebat: nullus ei tam abjectus etiam de egentium plebe, cujus alloquium dedignaretur: obſequia, quæ ſibi pendereutur, promptis illico obſequiis rependebat. Illud ejus erat effatum: *apud DEum nulla Principum prærogativa: eò*, inquit, *diffluimus, quò quisque mortalium viliſsimus:* hoc ipſum crebris meditationibus uſurpabat, dignitatem, honores, extraneum quid eſſe, quod ad animæ ornatum nihil conferat. Devenerat ad ejus manus volumen, in cujus fronte, & Filius, & Frater, & Patruus Cæſarum appellabatur: at ipſe *utinam*, inquit, *placeam Creatori meo, ut faciendo voluntatem DEI Patris, qui in cælis eſt, ejus & filius, & frater eſſe merear.* Extat in illo ingentium propoſitorum numero etiam hoc: *firmiſsimè ſtatuo, ad menſuram virium mihi per gratiam DEI conferendarum, non animo tantùm, ſed opere etiam, quantum ſtatûs mei rationes patientur, omnem honorem, plauſum, exiſtimationem, & quidquid vanitatis, ambitionis, & ſuperbiæ eſt, conſtantiſsimè contemnere.* Audivêre complures teſtantem ſæpius, ſe majoris facere neminem, quàm qui hac virtute præcelleret. Qui verò animum ejus arcaniùs tractaverunt, teſtes ſunt, eum nullam facilè ſui abjiciendi occaſionem prætериiſſe. Obſtupuêre non rarò viliſſima mendicabula, cùm vel feriâ quinta majoris hebdomadæ ad ſuos pedes abjectam Principis dignitatem, eósque exemplo ſummæ Majeſtatis abluentem, tergentémque; vel cùm diebus ſingulis Dominicis, ac feſtis, quamdiu caſtris abeſſe, ac Paſſavii reſidere licuit, cibos inferentem, porrigentémque, ac non niſi pauciſſimis teſtibus, liberali ſingulos ſtipe donantem conſpexerunt. Sed patentem demiſſionis campum obrulêre caſtra, quibus ita moderabatur, ut ſola ſibi retenta imperandi poteſtate par cæteris videri poſſet; ad vulneratos infimi pili gregarios ſe demittebat, quibus admiratione virtutis attonitis verba quidem eripuit, plenas tamen ſolatio lacrymas expreſſit. Jacebat Marchio Sfondratus gravi vulnere ad Gravelingam dejectus, & Burburgum deportatus; excurrit humaniſſimus Princeps, ſtrenuo militi impenſurus ſolatium; quæ Auſtriaci animi ad ſe demiſſi inclinatio ita Marchionem occupavit, ut palàm teſtatus ſit, ſe ampliorem, dum vita ſuppeteret, præſtitorum à ſe obſequiorum mercedem ne quidem votis optare potuiſſe; ac ſi mille vitas haberet, ſe eas ſub tam humano Principe libenter pro DEO, Rege, ac publico bono immolaturum. XXXIII. Modeſtia.

Quod verò de applauſuum publicorum fuga ſecum ſtatuerat, ita implevit, ut omnibus conſtaret, quàm ab ejus generis pompis eſſet alienus. Rebus proſperè geſtis, partisque plurimis in Germania, & Belgio victoriis, nulla laudis parte in ſeſe derivata, id impensè per literas agebat, ut omnem gloriam in aliorum virtutem conferret. Gubernationem Belgii aditur o parabantur à Bruxellenſibus apparatus magnifici, quibus adventantem exciperent. Excuſſit conſilium is, qui ingenium Principis perſpectum habebat. Indè brevi tempore receptis ex hoſte luculentis Belgicæ urbibus triumphatorem ad ſe invitârunt Antverpiani: orantium votis non antè conſenſit, quàm promitterent non erecturos, quos paraverant, triumphales arcus. Nequiit tamen impedire modeſtia Principis, quin tabulis & inſcriptionibus publicè defixis lætitiam teſtarentur. Cùm è Belgio rediret, rerum geſtarum gloriâ clariſſimus, Ferdinandum fratrem Cæſarem obviam venire cum univerſo aulæ comitatu, aliáque in conteſtationem gratulationis publicæ inſtituere parantem, quum deprecatione præmiſſa nihil effeciſſet, pio dolo fefellit: aulâ ſuâ majorem partem Danubio commiſsâ, ipſe cum paucis adſuit improviſo, populique concurſu evitato fratris amplexum occupavit.

Sed

Sed heroicum animi planè ſubacti, atque humana ſpernentis documentum eſt illa coronæ Imperialis, cujus ſpem præſentem in manibus habebat, recuſatio invicta. Ferdinandus Quartus Romanorum Rex fatis immaturis exceſſerat, Leopoldo Ignatio ejus Germano annum ætatis quartum decimum vix dum egreſſo: Ferdinandus Tertius Imperator vergebat in declive; quem ſi prolabi contingeret, ſucceſſore nondum conſtituto, enim verò, ùt erant tempora fluctibus inteſtinis, & factione Gallica perturbata, metus erat, ne ſciſſione Principum non Auſtriaca modò Domus, ſed Religio, & Imperium veniret in diſcrimen. Ergo Electorum nonnulli rectiùs in Auſtriam animati Leopoldum Guilielmum ſpectabant: per fidum interpretem ejus mentem explorant; reipublicæ, religionis, familiæ periculum oſtentant, precibus agunt; multis planè argumentis auctores ſunt, uti coronam ultro venientem acceptet. Hic modeſtiſſimus Princeps ipſo vultu, ac oris habitu declarare ingratiſſimam ſibi accidere ejus honoris delationem: *quaſi verò*, inquit, *Principibus & orbi ignotum ſit, me nihil unquam ambiiſſe, idque ſemper ſtuduiſſe, ut quorum arbitrio me DEus ſubjecit, eorum imperata obedienter more quodam cæco facerem. Ego verò multam Principibus gratiam habeo pro eo candore, quo mihi conſilia ſua demonſtranda putaverunt; quibus in vicem animi mei cogitata confidenter promam.* Tum graviſſimis egit argumentis: *ſi*, inquit, *juratus mei ſanguinis haberer hoſtis, gravius in Auſtriacæ familiæ detrimentum de me poſtulari haud poterat. Secari in partes provincias Auſtriacas, id quidem præſens exitium eſt; ſed id ut fiat, Rex ero ſine terris, ſine regno, ſine viribus.* Alia hunc in modum executus, gratias haberi juſſit propenſo Electorum ſtudio, oratóſque voluit, ut ea conſilia in Leopoldum Ignatium brevi adulturum omnia converterent; de ſe omnino deponi, ac poſthac nihil moveri. Sic ea machina tum quidem repulſa: ſed mortuo ſubinde Ferdinando tertio vehementiùs inſtaurata: Leopoldus Ignatius annum ætatis octavum decimum nondum attigerat: aperta hoſtibus occaſio electioni ejus, ætatis vitium opponendi; detrahendique aliquando Auſtriacis faſces Imperii: id ne fieret potior Electorum pars literis affectu plenis ad Leopoldum Guilielmum converſi ſolicitant, urgent: quin & Viennæ in conſilio regio delibcrabatur, quâ ſententiâ roganda eſſent Electorum vota: an pro Leopoldo Ignatio definitè; an preſſo nomine pro aliquo de domo Auſtriaca. Hæc omnia diſcuſſit obfirmatus ille ad honores repellendos animus & induſtria Archiducis: hic enim ſtudium Principum in ſe collectum pér literas primùm graviſſimas, deinde in urbe Francofurto mirifica humanitate ſua, & prudentia ſic tractavit, ut omnium demum animos in Nepotem deflecteret. En exemplum rarum omnino, ac ſeculis vix auditum; cui Maximilianus Rudolphus Epiſcopus Littomericenſis ſic applauſit:

Tanta tibi bonitas, tanta eſt prudentia Princeps,
  ut, ſis major utra laude, nec ipſe ſciam.
Maluit Imperio virtus tua digna videri,
  quàm tanto, vel ſi poſſet, honore frui.
Hinc Pater ex patruo ſis Cæſaris, & vel in ipſo
  ſe tibi tam grandis Cæſare debet honor.
Hinc tanta virtute tua te vincis & ipſum:
  Principis eſt virtus maxima, nalle regi.

Quod poſtremum quàm ex vero dictum ſit, quàm proprium ſibi, ſanctúmque habuerit *malle regi*, in propoſitorum ſuorum cumulo explicuit; *ſtatuo*, inquit, *omnimode, in omnibus, quæ mihi obvenerint, obediendi occaſionibus, judicium meum, & propriæ voluntatis arbitrium exuere, méque amore tui, mi DEUS, non ſolùm tibi, & ordinariæ tuæ providentiæ, ſed etiam tibi ſubſtituto, quem mihi præfeciſti, quémque præficere libebit, cujuscujus ſit naturæ, conditionis, aut dignitatis, ſubmittere, ac in omnibus ab eo dependere. Imò decerno mecum, in rebus licitis, & tibi Deo meo placituris, obedire tam æqualibus, quàm inferioribus, quorum voluntatem effectui mandare nitar, ſine omni illius meæ eminentiæ conſideratione, tamquam mihi à te ipſo coràm eſſet manifeſtata, omnémque meam voluntatem penitus eradam, ut tuæ* obſe-

obſequar. Mihi verò legem pono, nunc abdicatam voluntatem in æternum non reſumendi. Patebat omnibus mirifica ejus in Ferdinandum fratrem obſervantia: quamvìs enim intimè ei frater conſueſceret, & candidiſsimè, ſuaviſſimè eo uteretur; ac magnam viciſſim libertatem ſuaderet fraterna dilectio; unus tamen fuit, qui quà in publicis, quà privatis congreſſibus, exemplo ſuo docuit, quæ reverentia deceret miniſtrum; quæ obſervantia ſervum: ille ſe exhibenti occurrit primus; primus quid poſtulanti præſtò fuit; primus lavanti miniſtravit. Dubitabant (quibus Aulæ puncta non ſunt ignota) an poſt Ferdinandi funera idem obſequii genus ſereniſſimo Nepoti ſuo Leopoldo Cæſari præſtiturus eſſet. At ille: *ſciam, nec omittam conſtitutos mihi à DEO ſuperiores pro debito venerari*: & ipſo facto dubium ſuſtulit.

Lydius virtutis eſt dolor: quia acceptus erat DEO, neceſſe erat, ut tentatio probaret eum. Et huic Virtuti non decrant æmuli, à quibus per cuniculos appetitus tanta tulit, ut obſtupeſcerent haud pauci cor ægritudine non conſumtum: ut auctoritati, ut exiſtimationi detraherent, fidelitatem ejus conati ſunt in ſuſpicionem vocare; id non è facto ejus aliquo, quod minimè poterant, ſed indè educebant; quòd tantâ potentiâ, tam conſtante eſſet amore militum, tam impenſo civium affectu; queis rebus pronum eſſet fidem corrumpi. Non ignorabat hæc Archidux, adeò tamen ab ultione abſuit, ut eos ipſos, quos ejusmodi molitionum artifices eſſe cognoverat, non modò officiis omnibus benevolentiæ acciperet, ſed etiam ubi laude dignum geſſiſſent, primus ipſe apud Cæſarem, apud Regem ampliſſimis literis commendaret: ut demum & ipſi, qui oderant, teſtarentur, non potuiſſe materiam patiendi præbere tantam, quam magnus ille animus non ſubigeret. Comperta res erat orbe toto Leopoldus vindictæ neſcius; illud perpetuò profiteri ſolitus, ſe injurias vel contemnere, vel DEO examinandas remittere. In animæ ſuæ teſtamento ſic ſcripſit: *ex ſincero erga DEum amore remitto offenſas omnes à quocunque quacunque ratione mihi illatas, aut inferendas, ídque tam integrè, tantóque animi affectu, quanto deſidero mea mihi delicta à Clementiſsimo DEO remitti.*

XXXIV. Tolerantia injuriarum.

Morbos tulit acerbiſſimos, iſchiadem, podagram, calculum, colicam, cephalalgiam, dolores & nauſeam ſtomachi, febres; non ſingulis hiſce, ſed veluti collatis ſignis oppugnatus; de iſtis tamen in Teſtamento animæ ſic ſtatuerat: *decerno firmiſsimè, quoscunque divinæ Majeſtati ſive in vitæ decurſu, ſeu in meta ultima mihi placuerit morbos, dolores, & cruciatus immittere, eos cum Divina gratia æquo & patienti animo tolerare. Abſit à me quoquam illorum aculeo, aut gravitate ad vel minimam indignationem, aut querimoniam commoveri.* Quod animi propoſitum ne in ipſo morborum æſtu excideret animo, ſibi ab eo, quem arcanorum animæ conſcium habebat, ſæpius prælegi poſtulavit. Hinc cùm ſuſcipiendis doloribus vix eſſet in corpore locus, animus tamen ferendis pluribus ſufficiebat. *In manu*, inquit, *DEI ſumus: expectabo, quid ultrà morborum mihi immittere placuerit, & libenter, conformando me ejus voluntati, ſuſcipiam.* Ita ingens animus in humana infirmitate, divinâ ſemper conſtantiâ ſubſiſtebat; neque ad ea, quæ nos dolorum lenimenta exiſtimamus, ad gemitus, ad lamenta, ad vota ſanitatis intempeſtiva deſcendit; nullam animi dolentis ſignificationem edidit, quod eos, qui à quotidianis ei obſequiis fuerunt, adeò in ſtuporem dedit, ut nonnemo, qui modos dolorum cognitos habuit, hoc ei mortuo elogium ſcriberet: *Mortuus eſt noſter ſanctus Princeps, cui mors, ſicut vita; cujus patientia ſine exemplo.* Alius tot pariter dolorum, & cruciatuum conſcius adjecit: Humanum eſt de doloribus queri: ipſe, cùm tantis premeretur, ut ambigeres, an ferre poſſet, ſic tulit, ut dubitares, an dolores ſuſtineret, patientiæ non exemplum, ſed ſimulacrum.

Morborum.

Levamentum ejus primum erant cruciatus Servatoris, quos meditatione volvebat quotidiana, & in ipſo morborum furore ſibi prælegi mandabat. Deinde aſpiratio, qua identidem orabat: *da patientiam Domine, & pacem ſervo tuo, ne perdam coronam animæ meæ in cælo: tu enim dixiſti: in patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* Poſtremò perennis illa, per omnémque vitam exercita cum Divina voluntate conformatio, quam ab expertiſſimo Doctore

XXXV. Conformatio cum DEI voluntate.

Parente Ferdinando hauſtam, promovebat in ſe cumprimis meditatione ſtatus Eccleſiaſtici, cujus vinculo obſtrictum ſe ad vitam è divinæ voluntatis amuſſi degendam omnino ſtatuebat; illud in omnibus, quæ evenirent, uſurpare ſolitus: *fiat DEI voluntas: ſicut Domino placuit, ita factum eſt. Sit nomen Domini benedictum.* Catharrus in aurem delapſus facultatem audiendi propè omnem ademerat: operam incaſſum conſumpſerant Medici: tangebat omnes commiſeratio optimi Principis: at ille: *non licet*, ajebat, *audire verba hominum; licebit verò tantò attentiùs loquentis DEI ſermonem excipere. Audire velim, ſi velit DEUS; nolim, ſi nolit. Fiat ſanctiſſima voluntas DEI. Atque ut hanc artem, voluntatem meam cum Divina confundendi addiſcam perfectiùs, ex nunc decerno, ubi tempus & occaſio tulerit, ab alio mundi ſtrepitu ſubmotus, per Aſcetica Sancti Ignatii exercitia diſciplinam ſubire. Nullam enim in perpetuo rerum humanarum turbine quietem reperio, niſi in ſola animi mei cum Divina voluntate conſpiratione.*

Sic animo comparatus, & hæc, & alia, quæ ſecùs acciderent, belli præcipuè adverſos caſus fortiter tulit; ad Lipſiam, ad Jenicoviam in Bohemia, deinde ad Lendium in Belgio, rurſum ad Rheteliam profligatus, ſolemne ſuum quà verbis ad milites, quà literis repetebat: *DEus Dominus eſt, qui felices æquè, ac infelices eventus diſpenſat: utros dederit, prono animo accipiendi ſunt.* Aliàs Atrebati obſidione depulſus, cùm Rector Collegii Duaceni conſolatum accederet, paucis repoſuit; *in manu DEI ſumus; cujus providentiæ legibus gubernamur. Acquieſco ſuaviſſimæ DEI providentiæ, cujus nutu didici non adverſos minùs, quàm ſecundos caſus exoſculari.*

Religioſis etiam viris hac in arte præcepta dedit: erat cujusdam Ordinis cœnobita, qui neſcio qua mentis ægritudine pulſatus, ira in Protectorem religionis, aut metu, ne redigeretur in ordinem, detrectaverat venire ad Capitulum, ùt vocant, generale: ad hunc, ùt apparet, familiariter cognitum exaravit epiſtolam ſub initium anni 1643. qua eidem pro xenio transmittit præcepta religioſiſſima de tolerandis tribulationibus, & reſignatione perfecta in providentiam DEI: *dum*, inquit, *devotionis causâ amantiſſimum meum Thomam de Kempis volvo, in hoc Caput incido, quod deſcriptum, & his accluſum Xenii loco transmitto. Paternitas veſtra, quæ pridem heroico animo blanditias mundi rejecit, facilè intelliget, honores, ac dignitates mundi eſſe meram auram, fumum, purùmque nihil; ſeque limpidiore nunquam animi voluptate potitum, quàm quando ſe divinæ providentiæ gubernandum ex integro remiſit: cur ergo nunc tanta agitatur inquietudine, & animi turbatione? doceant exempla Ducis noſtri JESU, qua ſequaces debeamus eſſe conſtantia ad mundi aſſultus reprimendos. Equidem crediderim Paternitatem veſtram aliud non deſiderare, quàm ut in ſe voluntas DEI adimpleatur. Non dubito repoſiturum, facile mihi eſſe hæc ſpeculari; aliter ſenſurum, ſi ejus loco conſtituerer. Fateor evenire id poſſe; quo tamen ſum animo, nunquam credam eventurum. Quisquis enim ſe Divinæ Providentiæ totum (in hoc toto conſiſtit totum) committit, nec injurias, nec pericula, nec moleſtias patietur, ſed ſemper in hoc toto, totus conquieſcet. Neque dubitet Paternitas veſtra, mihi quoque (ſi liberum campum hoſti aperirem) graviores cauſas interni ſenſûs, & animi inquietandi ſuppetere. Novit enim, cùm Cæſaris nomine exercitibus præeſſem, quæ mei fuerit apud omnes æſtimatio: nunc verò quàm à paucis ſuſpicior? ab iis ipſis in rerum mearum honorúmque promotione pendeo, quibus antea imperabam. Id tamen non admodum penſi habeo, poſtquam me Divinæ regendum voluntati transſcripſi, & cum patiente Job dixi: Dominus dedit (honores, dignitates, & opes) Dominus abſtulit: ſit nomen Domini benedictum. Non ignorat præterea Paternitas veſtra, quæ totius mundi fama fuerit, me Belgii gubernationem obtenturum. Jam quis eò deſtinetur, Paternitatem veſtram non latet. Nonne ſi in honoris puncto argutarer, & mihi gravioris ſensûs materia præberetur? ſed ſuavis Divinæ Providentiæ gubernatio, cui me ex integro conſignavi, animum mihi ſuaviſſima tranquillitate componit. Hinc intelligat, an otioſa ſpeculatione ſcribam, an durâ experientiâ. Concludo, & brevem orationem ſubjungo, quâ ſemper à ſumpta Euchariſtia me totum Divinæ voluntati infundo: Dominus meus, & DEUS meus! quid mihi eſt in cælo, & à te, quid volui ſuper terram? Domine, quid me vis facere? paratum cor meum. Ego ſervus tuus,*

&

& filius ancillæ tuæ; fiat mihi ſecundùm verbum tuum, & beneplacitum tuum: tuus ſum ego; fac de me, quid vis in æternum. Dilectus meus mihi, & ego illi, qui paſcitur inter lilia; fac, ut me totum amore amoris tui impendam, ſicuti te amore amoris mei impendere dignatus es. Sum totus tuus, ſicut tu totus meus eſſe voluiſti in æternum, Amen. Hoc fiat dilectiſsimo meo Patri N. fiat! fiat! Viennæ 3. Januarii 1643.

Sed vim illam animi in Divinam voluntatem immerſi ſupremus præcipuè morbus explicuit. Dudum antè in eum articulum ſe comparaverat; diem omnem auſpicatus tanquam ante ſolem occubiturus, noctem ùt æternitatis initium. Ne per diem recordatio mortis excideret, effigiem ejus corollæ Marianæ appendit: hæc actionum omnium lima, præſertim ſacrarum, cujusmodi erant exomologeſes, Miſſarum Sacrificia, refectiones Euchariſticæ, contritiones cordis; præterea conſilia rerum graviorum, quæ ſingula ſic obibat, tanquam vitæ ſuprema; quóve demum in tempore ſe morti in omnem caſum accingeret, anno 1639. id eſt, annis ante obitum duobus & viginti, talibus ſe decretis & conteſtationibus DEO devinxit, queis in ultimo vitæ halitu animam ſuam DEO conſecratam eſſe conſtituit; quáſque ad modum voluntatis ultimæ *Teſtamentum animæ* appellavit. Recitat eas vitæ Scriptor; nos prolixitatis causâ lectorem remittimus ad memoriam illorum actuum heroicorum, quorum exempla varia per decurſum recitavimus: eorum enim veluti faſcem his in tabulis complexus eſt. Ut autem artem illam ſecurè, ſanctéque moriendi, cujus vivis nullum eſt experimentum, perfectè comprehenderet, quosquos de ea commentarios habere potuit, accuratâ lectione pervolvit: frequentiores ipſe de bene moriendi ſcientiâ meditationes inſtituit, quarum fructus fuêre aſpirationes quotidianæ, quas familiari ſuo libello inſeruit: XXXVI. Comparatio animi ad mortem.

ô diem inevitabilem! ſtatutum eſt omnibus hominibus ſemel mori.
ô horam incertam! quâ horâ non putatis, filius hominis veniet.
ô momentum, à quo pendet æternitas!

Itaque ut rectè præparatus ad illum diem, horam, & momentum ita viveret, ut nunquam non & ſecurus mori poſſet, actus ſublimiorum virtutum fidei, ſpei, charitatis, voluntatis ſuæ cum Divina conjunctionis, ſibi pene horarios reddidit, ut eſſent in promptu, cùm forent neceſſarii. Etiam inter arma quid animo volveret, oſtendit epiſtola ad Comitem quendam cubicularium ſuum Northemio anno 1641. die trigeſima Octobris ſcripta in hæc verba: *Mi Michaël, hæc animo volve ſemper: quis ſcit, ſi prorogabitur tibi vivendi tempus ad veſperum, aut quâ morte ſis moriturus? humana cuncta ſumus, umbra, vanitas, & ſcenæ imago, & verbo ut abſolvam, nihil. Sicut ſtatutum eſt hominibus mori, ita ſtatutum eſt judicari. Evitare non potes ſupremi Judicis ſententiam. Judicandus es, & in quo ſtatu te demum inveniet, in eo vel condemnaberis, vel ſalvaberis. Sic ſentio inter arma; tu hæc diligenter rumina.*

Ad illud igitur momentum dudum comparatus de tempore, & genere mortis ita pactus cum DEO fuerat, ut quod ipſe Teſtamento ſuo inſeruit, ante omnia ſe in Divinæ Majeſtatis manus cum perfectiſſima voluntatis ſuæ abdicatione reponeret, ſéque promptiſſimum offerret ad quodcunque mortis genus, per quod Majeſtati ejus placuerit animam ſuam ab hoc corpore reſolvere; precatus demiſiſſimè, ut illud ſit, quod divinæ ejus Majeſtati maximè placuerit, *veni*, inquiebat, *atque eo tempore, eo momento, quo erit pro ſumma tua gloria.* Ita ille in DEI ſinum abjectus illam modò exceptionem ſæpenumero faciebat, utì liceret pro fide, pro DEO quàm acerbiſſimo martyrii genere, atque alio quovis tormento, quo DEI amorem probaret, defungi.

Igitur anno 1660. dum Provincias cum Cæſare obit, Labaci in Carnioliâ graviore morbo dejectus eſt; & fuit ille fatalis, nec unquam depellendus omnino. Recruduit certè anno MDC.LXI. VIII. Octobris Eberſtorffii, cum capitis, calculíque tormento gravi, quo ad extrema deductus, ope, ùt creditur, Sancti Franciſci Xaverii, quam implorârat, mali ſe remittentis aliquas quaſi nactus inducias eſt; extremum tamen impetum, à DEO decretum ſcilicet, non evaſit; quem ùt ſuſtinuerit ille fortiter, & chriſtianè, priusquam XXXVII. Morbus ſupremus.

explico, operæ pretium cenſeo, ut exponam, quî ſe habuerit per orationes, ac perpetua pietatis exercitia, agendo cum DEO toto morbi ſui, atque adeò mortis ſupremo tempore.

Sacrificio Divino interfuit quotidie, Dominicis etiam, feſtisque diebus geminato; ejus audiendi cura evigilanti ſemper prima fuit. Divinum Officium, ſi per atrociſſimos morbi dolores perſolvere non poſſet, penſabat Roſario Virginis. Sacras, quibus aſſueverat, preces bene longas, præſertim matutinas & veſpertinas, donec potuit, quotidie ipſe legit; dum ultrà non potuit pronuntiare illas voce ſua, à Confeſſario ſibi prælectis ipſe non annuere tantùm ſolitus, ſed etiam fractis licèt vocibus reſpondere. Quin & indies, ad horas etiam plures, auſcultare ſolitus, quæ recitari volebat ſibi ex libro quopiam illorum, qui negotia tractant animæ ac ſpiritûs jungendi principio ſuo; oſtendebátque per illos velut accreſcere, vel inter ſenſus morbi acutiſſimos, robur aliquod ſibi, vimque vivendi. Suum animæ teſtamentum, cujus antè memini, quoties (quod volebat) ſibi prælectum audiret, inardeſcebat animô, ſcilicet effuſus in DEum totus per actus planè heroicos, quibus illud conſtat, ſensúsque virtutis.

Ad ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum quot Dominicis accedere, quod aſſueverat vivens & valens, nec morbi, nec mortis tempore prætermiſit unquam; & quidem decente veſtium cultu, quamdiu moveri lecto potuit, & de genu: eâ causâ ſitim ſæpe acerbiſſimam à media nocte ad auroram usque ſuſtinere ſe faſſus, & libenter; ut ne arceretur, humano potu refocillatus, à Divino fonte vitæ. Et quidem eâ, quæ nonam Julii anteceſſit, nocte cùm arderet inſolente, & non tolerandâ prorſus ſiti, ſuſtinuit tamen eam conſtanter; profeſſus medico ſuo candidè, non prohibendum fuiſſe ſe à bibendo humanâ ulla vi, vel ratione, ſed facilè, ac libenter prohibitum fuiſſe divinâ.

Sic comparatus animo, eò demum redactus eſt infirmitatis, fatiſcente toto corpore, ut ali jam ultrà, niſi lacte caprino vel aſinino, non poſſet; quo potu cùm virium accederet aut nihil, aut parùm, pro extendenda utcunque vita tam cari capitis ſolliciti Medici, cenſuêre ſpem eſſe producendæ ejus, ſi ab ubere mulieris lactantis lac vividum ipſe ſugeret: ſed ad hoc remedium tam inſolens cohorruit ſcilicet verecundus omnino, caſtiſſimúsque Princeps, & abominatus eſt, non obſcurè ſignificans, non eſſe ſibi vitam, imò nec valetudinem omnem tanti, ut ejus causâ ad illa ſeſe, ſtatui ſuo Eccleſiaſtico, & vel maximè integritati tam adverſa, demitteret.

Itaque ad diem tertiam Novembris planè proſtrato, præter ſymptomata varia, difficultatémque reſpirandi ex anguſtiis ſuppreſſi pectoris, copioſus, nec ille ſalubris, ſed fatalis ſudor acceſſit: ex quibus cùm ſubſequente die laboraret etiam graviùs, ſacro viatico ad ingrediendum iter æternitatis, ſua ipſe ſponte communiri, & confirmari ad luctam ultimam olcô ſanctô petiit, & impetravit, eâ pietate ſuſcepto, quæ Chriſtianum Principem, & talem decet. Mox Cæſari Nepoti ſuo tenerè lachrymanti ſupremum dixit vale, acturus cum ſolo deinceps JESU ſuo, cujus è cruce pendentis effigiem à die illo appenſam collo ſuo non ipſâ in morte reliquit. Quibus ille verbis, quibus oculis, & oſculis ſalutárit identidem appreſſos arctè ſuo pectori amores hosce ſuos, negat, qui præſens adfuit ſemper, conſcientiæ teſtis intimus, vel oratione ullâ complecti poſſe ſe, vel ſine ſenſu pietatis intimo cogitare. Et fuêre illi affectus animæ ſanctæ, tum præcipuè vehementes, cùm iterum iterúmque in ſibi prælecti Teſtamenti ſui ſacra verba, quorum antè memini, & decreta juraret. Ajebat aliquando: Bibam, Domine, usque ad fundum calicem, quem miſcuiſti mihi: fiat voluntas tua. Aliàs ſic imagini Crucifixi DEI intentus, Domine, ſi adhuc obſequio gloriæ tuæ, & ſaluti animæ meæ utilis eſt vita mea, non recuſo à veſpera quietis redire ad laborem, & ſudorem: verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Cùm acerbitas dolorum ſæviret crudeliùs, Pater, inquiebat, mi, exoſculor, & adoro manum, quâ me flagellas, non ero tibi refractarius filius: quoniam ecce in omnia tua flagella paratus ſum: virga tua, & baculus tuus, ipſa me conſolantur: apprehende diſciplinam, & oſculare

lare

lare filium tuum. Sic animo hinc inhærentem DEO ſuo; luctantem indè
cum corpore in mortem prono, dies ipſos quindecim à IV. ad XIX. Novem-
bris per intervalla intendens, remitténsque ſeſe morbus tenuit. Breviore
indè halitu ad ſupremum agonem monente, ad Crucifixum converſus colle-
cta, ùt potuit, voce: DEus meus mortuus eſt volens, & libens: eamus &
nos, & moriamur cum illo, eadem qua ipſe (quoad fieri poteſt) promptitu-
dine voluntatis. O Pater inclino caput meum ſub beneplacito tuo. Tu ſcis,
quid mihi opus ſit, qui omnia momenta mea dinumeraſti. In manus tuas
commendo tempus, & momentum mortis meæ. Tuum eſt mandare, meum
inclinato capite obedire. Indè donatâ ab Nuncio Apoſtolico Carolo Ca- XXXVIII
raffa veniâ Pontificiâ, ſub quintam matutinam diei vigeſimæ Novembris Mors.
Anno 1662. Angelus migravit de carne, cùm in ea vixiſſet annis 48. menſi-
bus decem, diebus tredecim, ſibi ac DEO ſatis, ſed communi voto ac deſide-
rio parùm, quod ingens ſui apud omnes reliquit.

Elogia, prædicationéſque virtutum & viventi, & mortuo tributæ propè Elogia.
ſunt ſine numero: ſummi Pontifices quantùm eum fecerint, verbis, &
literis, & facto ipſo declaraverunt, dum Eccleſias Germanicas in ea tempo-
rum procella conſervandas ad eum velut communem portum tanto numero
contulerunt; Urbanus Octavus adoleſcenti undecenni commendat Epiſcopa-
tum Paſſavienſem *ob præclaræ*, inquit, *indolis tuæ ad Catholicæ Religionis defenſio-
nem propenſæ argumenta, aliáque inſignia animi, & ingenii ornamenta*: mox aliis
literis *ob præclaras*, inquit, *virtutes, quæ vel in iſta ætate in te elucent, ac pieta-
tem & religionis zelum.* Idem Eccleſiam Argentinenſem etiam in ſpiritualibus
ei regendam committens; *conſideratis*, inquit, *inſignium virtutum donis, quibus
largiter altiſsimus perſonam tuam in iſta adhuc juvenili ætate cumulatè inſignivit.*
Rurſum poſtea, dum eum anno 1638. Epiſcopum Olomucenſem confirmat:
Conſideratis, inquit, *grandium virtutum meritis, quibus largiter Altiſsimus perſo-
nam tuam multipliciter inſignivit.* Innocentius X. in eo laudat *ſpectatum per
omnia Catholicæ Religionis cultum, ejúſque ſervandæ, ac tuendæ accuratum ac ſolici-
tum zelum.* Idem Innocentius aliis ſubindè literis ſtudium itidem ejus in extir-
panda Janſenii ſecta dilaudans: *Inter conſolationes*, inquit, *quibus ob miſericor-
diam ſuam benedictus DEus Pontificatus noſtri tempore nos impertiri dignatus eſt, ea
profectò fuit, cùm fraternitatis tuæ zelum illum vidimus.* Alexander VII. literis
ad eum ſemel, iterúmque datis ſolenni appoſito de eximiis virtutibus ejus,
egregiâque operâ in depellenda ab ovibus hæreſum contagione ſibi redditum
teſtimonium ſignificat. A domeſticis & externis *Angeli* nomen perenne ob-
tinuit: Belgium vix attigit, conclamabatur *Sanctus*. Ipſi religionis hoſtes quem
ſenſum de ſe gererent, Leopoldus exploravit tum, quum Eilenburgi in Miſ-
nia divertens ab adſtantibus urbis primoribus, quibus incognitus erat, quæ-
reret, quid paſſim de Leopoldo ſentiretur: repoſuêre una voce: ab omnibus
æſtimari *optimum, pium, ſanctúmque Principem*. Batavi nomen dedêre *virtuoſi
& perhumani*. Legatus Venetus ad ſuos de ſtatu aulæ Cæſareæ referens, *Prin-
cipem* vocat *eximiæ pietatis, & prudentiæ, experientiæ, fortitudinis, ac magnani-
mitatis*. Excellentiſſimus Hiſtoriographus Comes Franciſcus Chriſtophorus
Kevenhillerus, Eques aurei velleris, ab arcanis Cæſaris conſiliis in ſuis Anna-
libus Ferdinandeis hæc de Leopoldo tum adhuc vivente literis mandavit: *Ti-
mori Domini, & omnibus pariter virtutibus à puero deditus, probitati verò, quam
à Parentibus ſuis hæreditario quaſi jure obtinuit, ita addictus erat, ut etiam in ado-
leſcente nullum vitii, otioſitatis, aut malitiæ appareret veſtigium. Hinc accidit, ut
ſingulari zelo, conſcientiæque puritate, indefeſſo quoque ſtudio, ac præmaturo judicio
concreditos ſibi Epiſcopatus adminiſtraverit. Singulare ſemper parentis ſolatium
extitit, propterea, quòd etiam in gravibus cauſis, ſive publicæ, ſive arcanæ eſſent,
promptiſſimis eum ſibi obſequiis ſtuderet devincire.* Hæc ille; ſed nemo pene fuit
ejus ætatis ſcriptorum, qui mentioni Leopoldi præconium virtutum non ad-
jiceret. Quod quum eo ſuperſtite frequentes feciſſent, tum è vivis ſublato
ruptum eſt multis, præcipue familiaribus ejus, ac domeſticis ſilentium, quo
per modeſtiam Principis ſua omnia ſtudioſè prementis, res ejus admirandas

eatenus eloqui vetabantur. Ex horum oculatis teſtimoniis certatim, ac centuriatim collatis conſcripta eſt Leopoldi vita ab auctore, cujus ſententiam ferè in omnibus, ſæpe & verba deprompſimus; queis conſentanea ſunt ea, quibus viri Principes, ac Epiſcopi præcipuè Belgæ, audita ejus morte ſenſum prodidêre ſuum. Leopoldus Imperator, quum obitum præmaturum Patrui graviſſimè ferret, literis ad Hiſpaniarum Regem, aliósque Principes datis: *unum in hoc*, inquit, *mærore me ſolatur, quòd eundem ob peculiarem ſuum in promovendam Divini Nominis gloriam, & Religionis incrementum, nec non in Reipub. Catholicæ bonum ſemper exercitum zelum æternam vitam ac beatitudinem adeptum eſſe omnino confidam.* Electorum Principum nemo non indoluit, de ſublato Germaniæ vindice, ac religionis aſſertore; Moguntinus præcipuè, qui ingemiſcens, *Principem*, ajebat, *fuiſſe, qui feliciſſimo in ſe nexu conjunxerit virtutes duas perraro aſſociabiles, pietatem & fortitudinem.* Andreas Archiepiſcopus Mechlinienſis in literis anno 1664. die 18. Julii datis inter alias ejus laudes, *præluxit*, inquit, *toti Belgio, præluxit Eccleſiæ univerſæ ad omnem probitatem, & virtutem, tanquam ſalutare aliquod & luci diſſimum ſidus. Timebat nihil, niſi DEum; neque curabat, niſi ea, quæ DEI ſunt. Denique & in caſtris militi, & in toga judici, & in habitu ſacro Præſuli, & in aula ſua domeſticis omnibus, demum ubicunque viſus eſt, dux & auctor ſuit ad virtutem omnem, non tam auctoritate, qua valebat, quàm exemplô, quo volebat omnibus omnia fieri.* Franciſcus Epiſcopus Tornacenſis in literis ſcriptis anno 1663. die 7. Kal. Dec. *obſervari*, ait, *in Leopoldo Guilielmo Principe ſolidam virtutem, pietatémque verè Auſtriacam, & ſummam rerum divinarum curam. Negotia animarum ſalutem ſpectantia, tanquam DEI cauſam, ſolicitè amplectebatur.* Carolus Præſul Gandentis, *obiit ergo*, inquit, *Sereniſſimus, optimúſque Princeps: omnes in eo magnam jacturam, ſed Eccleſia maximam fecit. Fuit enim norma non tantùm Chriſtiani Principis, ſed etiam ſanctiſſimi Præſulis.* Ambroſius Epiſcopus Antverpienſis, *Norma*, inquit, *vitæ fuit Principibus Chriſtianis, ſacris Præſulibus virtutis regula; exercitûs Imperatoribus exemplar fortitudinis: quidquid & magnum, & rarum eſt in ſingulis, in ſe uno complexus. Bellorum, quæ pro DEO, & pro Domo ſua multa geſſit, cura pene perpetua, ſolicitudines Epiſcopales non infregit: Clero ſuo ſic adfuit etiam aliò per bella diſtractus, quaſi apud illum in otio degeret. Nunquam fractus adverſis, imò ne mutatus quidem; Chriſtianè patientis animi, quin etiam ſereni vultus tenore perpetuo, quem nec morborum crebra acerbitas, nec malè affectorum adverſa ſtudia, nec caſus demum ullus detorſit unquam à menſura æqui & boni; quòd omnia in permittentis, & diſponentis DEI ſibi ſemper placita, & ſemper adoranda voluntate collocabat.* Eugenius Albertus Epiſcopus Ruræmundenſis in ſuis anno 1663. Kalendis ita ſcripſit: *Tantus erat virtutum heroicarum fulgor, ut non minùs honorificum ab Adverſariis, quàm ab iis, quibus erat in amoribus, extorqueret elogium. Audivi ego non ſemel, cùm in iis locis verſarer, in quibus diverſarum nationum, partiúmque quamplurimi promiſcuè ac liberè degebant, etiam ab iis, qui tum Belgio bellum movebant, Leopoldi Belgii Gubernatoris, atque adeò hoſtis ſui, laudes pleno ore decantari, æſtimari prudentiam, virtutem amari; eúmque cæteris Principibus, ac belli Ducibus, quod imitari glorioſum putabant, exemplum proponi. Nec mirum; cùm apud omnes paſſim piiſſimi Præſulis, optimi Principis, fortiſsimi Imperatoris, & quod raró etiamnum in hac vita mortali degentibus contingit, viri omnibus numeris perfecti, atque adeò Sancti cognomen, & laudem fuerit adeptus. Ab hac tam incontaminata vivendi ratione, rectéque factorum conſcientia, tanta inerat animo tranquillitas, ut vitæ, necíſque ſecurus, nulla, quibus non raró ſe objiciebat, pericula formidare videretur. Ex eodem fonte profluebat tam admiranda in tanto Principe modeſtia, tam ſuavis omni loco, ac tempore affabilitas, tam grata omnibus comitas; ut, cùm victricia per Belgium arma circumferret, obſeſſorum plerumque civium priùs animos expugnaverit tam benigni famâ nominis, quàm eorum arces, aut oppida armata manu in ſuam poteſtatem redigeret militaris induſtria.*

Sepulchrum. Sed manum aliquando de tabula. Compoſitum eſt religioſiſſimi Principis corpus Viennæ ſolenni Auſtriacorum mauſoleo apud Patres Capucinos; parentatum à Nepote Auguſtiſſimo die undecima Decembris cenotaphio ma-

gnifico

gnifico depictis, & ſuperſcriptis virtutum elogiis; cujusmodi & tumulo ejus, auctore eodem Nicolao Avancino, inciſa ſunt, quorum omnium vicem explere poſſit illa Sapientiſſimi Regum ſententia:

Timenti Dominum bene erit in extremis, & in die defunctionis ſuæ benedicetur.

Cineris amantiſſimi ſui Præſulis oſtentum fuerat conflagratio civitatis Paſſavienſis, quæ eodem anno 1662. die 27. Aprilis, feriâ quintâ poſt Dominicam ſecundam à Paſchate univerſa pene redacta eſt in buſtum: erupit flamma in Xenodochio S. Joannis inter horam primam, & ſecundam pomeridianam, mox adjuta vento totam latè civitatem, usque ad locum vulgò *Orth* dictum, Orientem versùs cum Templis, ac domibus intra trium horarum ſpatium conſumpſit ita funditus, ut reliqui nihil relinqueret. Dolenda maximè ruina Baſilicæ Cathedralis, cujus moles antiqui, & ſolidi operis viſenda cumprimis, penitus tum quidem combuſta: ſed muris igni fatiſcentibus, paulò poſt, nempe die octava Corporis Chriſti etiam fornix corruit. Ex civitate flamma ſerpſit ad pontem Oeni, quo abſumto ad molas vicinas: indè urbem Oenanam pene ultra dimidium depopulata, mox cœnobium Capucinorum cum templo cremavit, & per gradus ad montem divæ Auxiliatricis progreſſa, ſacram ædiculam cum adjunctis habitaculis redegit in cineres: ſacra tamen imago cum theſauro incolumis conſervata. Decanus cum Capitulo Cathedrali res divinas, ſicut & cœtus Conſiliorum omnes, in Templo & Monaſterio Franciſcanorum faciebant: parochia S. Pauli translata ad Eccleſiam S. Spiritus: hæc enim templa duo de omnibus intacta permanſerant. Senſit continuò Clementiſſimi Paſtoris opem afflicta civitas: nam excitandæ ſuis è cineribus Eccleſiæ, ac urbi triginta ſex millia parati æris donavit: pene totidem debitorum millia afflicto populo remiſit. XXXIX. Conflagratio urbis Paſſav. Beneficia Leop. in civitatem & Eccl. Paſſav.

Multa præterea per tempus ſui Regiminis in Eccleſiæ ſuæ commodum impendia fecit: expuncta nomina ter centum millium ab Anteceſſore relicta: ſupra mille ducentos aureos quotannis ad chori ornatum de ſuis impenſa: liberalitate annuâ in Religioſos, viduas, egenos, numerata ſupra ſeptem florenûm millia: juventuti pro palma literaria decertanti præmia quotannis propoſuit. Collegii Jeſuitici Paſſavienſis neceſſitates annuâ ferè beneficentiâ levavit; ædi ſacræ conſummandæ multum æris, & materiæ contulit: addidit ſuburbanum Tuſculum: de aliis quoque ejusdem Ordinis domiciliis, Domo maximè Profeſſorum, ùt vocamus, quàm optimè meritus: quin & novum Sociorum Collegium urbe ſua natali Neoſtadii condidit, transſcripta nobiliſſima penu libraria. Quæ tamen omnia minimè æquabant ſtudium illud, quo univerſum Ordinem perpetuò complexus eſt, labores promovit, résque ejus commodas juxtà, & incommodas perinde duxit, ùt ſuas.

Ex eadem familia conſcientiæ ſuæ moderatores habebat: Martinum Becanum, deinde Joannem Schegam, quo per annos ſeptemdecim uſus eſt, viro, cujus primo congreſſu, ùt ipſe prædicabat, adeò captus eſt, ut neminem aliorum, quos experiundi causâ Societas obtulerat, præ illo deligendum putaret. Modeſtiâ viri & gravitate, præterea ſingulari demiſſione animi cum prudentia, & experientia rerum ſpiritualium mirificè delectatus: eum ab latere dimiſit nunquam, belli præſertim, ùt aliàs diximus: tum in Belgio ſecum habuit; ubi compellatione audiebant pari: hic ſanctus Archidux: ille ſincerus & ſanctus Religioſus: multa florenûm millia per eum Princeps ægris, egenis, Religioſis diſtribuit: ejus inſtinctu venerationem Virginis Immaculatæ in Belgis inſtituit, ejúsque defendendæ juratum inſtitutum in Academias Belgicas omnes induxit.

Suffraganei Paſſavienſes ſub Leopoldo fuerunt XL.

I. Joannes Prenner S. Theologiæ Doctor, Epiſcopus Symblienſis, Epiſcopo Leopoldo à Conſiliis: conſecravit Abbatem Seittenſtetenſem Gaſparem Plautium anno 1610. feſto S. Mathæi. Beneficus in Congregationes S. Spiritus Græcii, & B. Virginis Paſſavii. Obiit anno 1629.

II. Jo-

II. Joannes Bartholomæus Kobaldt Epiſcopus Lampſacenus Officialis nuper Paſſavienſis infra Anaſum: qui expiavit Eccleſiam majorem Maurbacenſem; item ſeptem altaria ibidem conſecravit: demum anno 1640. duas aras ad latera templi noſtri; alteram Sanctis Ignatio & Xaverio: alteram S. Annæ, & Magdalenæ.

III. Nicolaus Aliprandus de Tomaſis, qui jam anno 1641. erat electus Suffraganeus, & Officialis, quem annuæ noſtræ referunt, inſignem orationem eo anno dixiſſe in laudem S. Ignatii in æde noſtra Paſſavienſi.

IV. Udalricus Graperus Epiſcopus Lampſacenus, qui anno 1647. Ordines in Eccleſia noſtra Paſſavienſi adminiſtravit: anno ſequenti Eccleſiam Styrenſis Collegii conſecravit in honorem S. Michaëlis Archangeli. Anno 1652. Eccleſiam noſtram Traunkirchenſem. Anno 1655. Sacellum S. Xaverii in æde noſtra Paſſavii die 8. Decembris.

V. Martinus Geiger Officialis infra Anaſum, conſecratus in Epiſcopum Lampſacenum in Domo Profeſſorum Societatis JESU anno 1658. triduo poſt Kalendas Auguſti. Obiit circa annum 1669.

Adminiſtrator Eccleſiæ Paſſavienſis fuit primùm Marquardus Schwendius Decanus Paſſav. auctor ædis prodigioſæ B. Virginis Auxiliatricis.

Deinde Hector Schad, idem quoque Decanus Paſſavienſis, qui anno 1640. Comitiis Ratisbonenſibus nomine Epiſcopi Paſſavienſis interfuit, vir admodum probus, ſacris commentationibus, & animarum lucris deditus, qui valetudinis ex gravi pleuritide reſtitutæ anno 1662. reum ſeſe apud Indorum Apoſtolum ſtitit.

De quibus id in laudem ſuffecerit, quòd ab Leopoldo delecti ſunt, Vicariorum & Magiſtratuum ſacrorum adeò religioſo arbitro, ac cenſore.

Renovata lis de exemtione Paſſav.

Memorabile ſub Leopoldo Guilielmo, quòd, cùm hactenus ſub ipſo, ejúſque patruo deceſſore toleratum fuiſſet exercitium exemtionis à Paſſavienſibus agitatum, moveri denuo cœpta lis eſt *anno 1651. causáque in Rotam Romanam*, ùt ajunt, *introducta die quinta Maji*, utì refertur in ſummario Salzburgenſi, ubi recitatur Commiſſio ſuper id præſentata Carolo Cerro ſacri Palatii Auditori ſic: *licèt*, inquit, *Archiepiſcopo Salisburgenſi competat exercitium Metropolitanæ jurisdictionis in Epiſcopatu Paſſavienſi, ejúſque Epiſcopum, tanquam ſuffraganeum, & in poſſeſsionem, ſeu quaſi talis jurisdictionis ab antiquo reperiatur, nihilominus modernus Epiſcopus Paſſavienſis prætendere cepit, ſe & ejus Epiſcopatum non eſſe Archiepiſcopo Salisburgenſi ſubjectum, ſed imò exemtum: cùm autem Orator cupiat, judicialiter de præfatis cognoſci, præterea ſupplicat Sanctitati veſtræ, quatenus dignetur cauſam, & cauſas alicui Sacri Palatii veſtri Auditori committere &c. cujus commiſsionis vigore pro parte Archiepiſcopi Salisburgenſis requiſitus idem Carolus Cerrus mandat eundem Dominum Epiſcopum Paſſavienſem Apoſtolica auctoritate citari &c. Datum Romæ anno & die ùt ſuprà.* Subſcriptum *Cicellius Notarius.* Hæc ibi: ſed lis tum quidem in apertum non erupit, réſque in ambiguo relicta, ùt in loco dicetur.

CARO-

EPISCOPUS PATAVIENSIS LXV.
Carolus Joſephus Archidux.

Ferdinando Tertio Imperatore, & Maria Leopoldina Leopoldi Oeniponˈtani filia progenitus, Leopoldi Cæſaris frater ex patre, natus Viennæ annô 1649. die 7. Auguſti ſancto Donato Martyri ſacra, horâ matutinâ; cujus exortum ſecutus eodem die occaſus Auguſtæ matris ſub veſperum, triſtia lætis, ùt aſſolet, miſcente fortuna. Annus erat primus à concluſa Oſnabrugæ pace; idémque initium exciſi funditus in provinciis Auſtriacis Lutheraniſmi; Leopoldo Guilielmo ditiones Belgicas in annum tertium gubernante. I. Natales.

Educatio. Adeò præmaturè ſurrepta matre, etiam Ferdinandum IV. fratrem, Romanorum Regem, annô ætatis quintô amiſit; deinde & patrem annum agens octavum: ab eo poſtremis vocibus commendatus eſt Leopoldo Guilielmo patruo, qui indè patrem ejus egit eò potiſſimùm, ut à teneris pietati, ac divino cultui aſſuefactum Eccleſiarum ſuarum bono formaret. Et reſpondebat indoles ad omnem probitatem, & innocentiam ſuapte genio propenſa: ingenium & mores pientiſſimi patrui hauſiſſe viſus à natura. Capi unicè rebus Deum, ac divina ſpectantibus; ejus argumenti colloquia in deliciis habere. Enitebat ardor veſcentis Angelorum pane, atque in ipſo vultus, ac corporis Angelico prorſus habitu lucebat affectus interior, qui ſpectantibus liquidæ voluptatis ſenſum ingereret. Deiparæ Virgini primulos amorum ſuorum flores devoverat: id pietatis genus velut in gloria ducere, atque omnibus occaſionibus præſeferre. Indè fiduciam ſibi ſumpſit Sodalitas Parthenia Collegii Viennenſis ſub titulo Purificatæ Virginis congregata; ut ei ſeptimum tunc annum agenti Rectoris Mariani clavum, cum aliis id genus inſignibus pompa theatrica ad hoc inſtructa, deferret anno 1656. Rurſus ad annum ſequentem referunt ejuſdem Collegii memoriæ: Feſto S. Xaverii finitis in templo Divinis Principes Auſtriacos adiiſſe ad imaginem Divæ Virginis, cui in Collegii gradibus expoſitæ cultus adhiberi paucis antè fuerat cœptus annis, ubi Sereniſſimus Archidux Carolus Joſephus octo tum annos natus ea alacritate, & gaudio geſtire viſus eſt, ut non gradiendo, ſed ſubſiliendo ad DEI Matrem ire videretur. Pariter ad annum 1658. cùm idem Archidux ad Collegium veniſſet, ab ſtatua modò dicta non receſſiſſe, donec oratione pro hac ætate bene longa de genibus Reginam cœli ſalutaſſet; continuaſſéque eo etiam anno Principis Mariani munus, ac delata præfecturæ ejus inſignia non libentem modò, ac lætum recepiſſe, ſed verbis etiam mirificè benignis uſum adversùs eos, qui deferebant: quæ ſi cui forſitan minus è gravitate hiſtoriæ videantur narrata, illud certè graviſſimum, licet, intelligat, quæ fuerit ſemper Auſtriacorum Principum ad eam pietatem, quam orbis veneratur, ac diligit, inſtituendorum ratio; è qua non exempla modò Sanctimoniæ Catholicæ, ſed in rem quoque publicam bona tanta manaverunt.

Anno 1659. die 24. Decembris traditus eſt curæ Joſephi Comitis de Rabatta; adjuncto literarum præceptore Godefrido Aloyſio Kinner de Löwenthurn juris & Theologiæ Doctori, qui deinde Principem ſuum oratione funebri deflevit, nobíſque ſuppeditavit argumentum eorum, quæ ſcribimus. Is in Principe ſuo prædicat igneam, & in ſublime ſemper aſpirantem ingenii vim: memoriam ad miraculum capacem, vigentémque; judicium acre, maturum, ac prudens; tum ad artium, & ſcientiarum myſteria perdiſcenda tantum ardorem, ac ſitim, ut fatigari, & exhauriri citiùs Magiſtrorum diligentiam, quàm capaciſſimæ ejus mentis deſiderium expleri potuiſſe crederet: hinc in brevi illa, inquit, ætatula, qua vixit, eas jam diſciplinas comprehenderat tenellus Princeps, quæ viris alioqui ætate, prudentiâque provectis negotium conſuevêre faceſſere. Erat in eo peritia latinæ linguæ ad admirationem multorum: uſus item ſermonis Italici expeditus: incredibilis hiſtoriarum amor, earúmque memoria: præterea Arithmeticæ, Sphæræ cœleſtis, Ingenium. Literæ.

Geographiæ, Steganographiæ mira cognitio; artis denique, quæ urbium muniendarum rationem continet, ſtudium ſupra modum eximium. Hæc ille, qui de moribus & inſtituto vitæ hæc inter alia: Adoleſcentem tenellum, ætate debilem, viribus invalidum, ſacro Miſſæ Sacrificio ſemper de genibus (niſi gravis admodum infirmitas impediret) intereſſe conſueviſſe; nec alio, ait, ſitu à me unquam obſervatus fuit; & quidem interfuit tota mente in DEum, & preces converſa. Sacroſancto Epulo frequentiùs amabat accumbere, idque tam intimo pietatis ſenſu, tam tenero mentis affectu, tam Angelica totius corporis compoſitione, ut hæc in Principe meo clementiſſimo pietas, quas propria non poterat, lacrymas mihi non ſemel elicuerit.

Pietas.

Inter pia de rebus, quæ DEum ſpectant, colloquia adeò plerumque tenerrimos inter affectus gaudium animi velut in flammas erupit, ut iis tamquam cœleſti quodam pabulo videretur paſci. Jam verò, quis dignè, ait, explicet Angelicam illam conſcientiæ mentiſque puritatem, quæ candidum innocentiſſimi Principis animum adeò ſibi devinxerat, ut certus ſim, non pro Symbolo (in quo ſæpe oſtentatio partes ſuas habet) ſed pro clypeo incorruptæ puritatis uſurpare potuiſſe illud: malo mori, quàm fœdari. Nunquam enarrare ſufficiam, quanta animi averſione, quóve horrore deteſtatus ſit omne peccatum, quod mortem animæ conciliare didicerat. Adhuc animo inhærent inconſolabiles pene gemitus, & lacrymæ, quas ante altare ſuum proſtratus uberrimè profudit eâ ſolùm causâ, quòd è quibusdam verbis inter familiares jocos prolatis ſuſpicari cœperat, ſe in peccatum gravius incidiſſe.

Pollicebatur hæc indoles ſumma quæque, aliis coronam Polonicam, gubernationem aliis Belgicam, aliis aliud ominantibus, quorum ut fundamentum jaceret Leopoldus Guilielmus, cùm ſpem ſibi vitæ, morbis indomitis inclinari videret, eum anno 1662. vitæ ſuæ poſtremo Teutonicorum Ordini commendatum, in Comitiis Equitum Viennæ coactis Coadjutorem magni Magiſterii renunciavit, ornavítque ſolennibus ejus dignitatis Inſignibus. Præterea Cathedralium Paſſavienſium ſtudia dudum antè præparata iſthuc adduxit, ut eodem anno 1662. die 13. Aprilis Carolus Joſephus annum agens ætatis quartum decimum poſtularetur in Succeſſorem; nominato interim, qui Eccleſiam Vicario nomine gereret, Hectore Schad Capituli Decano.

1662. Fit Coadjutor magni Magiſterii. II. Eligitur in Succeſſorem Eccl. Paſſav.

Concordata, quæ inter Reverendiſſimum & Sereniſſimum Principem Dominum Dominum Carolum Archiducem Auſtriæ, ut futurum Epiſcopum, & Venerabile Capitulum Cathedralis Eccleſiæ Paſſavienſis tempore ſuæ poſtulationis concluſa & ſubſcripta fuêre. 13. Aprilis 1662.

EAdem concordata, quæ ſub prioribus Sereniſſimis Archiducibus Leopoldo & Leopoldo Guilielmo Epiſcopis Paſſavienſibus placita & concluſa fuerunt, modò quoque robur ſuum obtineant, & à futuro Epiſcopo ac Succeſſore obſerventur, moderatis iis, quæ his ſubſequuntur.

I. Et in primis quidem futurus Succeſſor & Epiſcopus ante vigeſimum annum Regimini ſe nullo modo immiſceat, habita circa ætatem ratificatione Sedis Apoſtolicæ; ſed interea per ſuos Officiales Adminiſtratorem, Præſidem Cameræ & Conſiliarium Canonicos, Epiſcopatus quoad temporalia gubernetur, qui omnem operam eò intendant, ut eo usque Epiſcopatus debitis tam propriis, quàm à Capitulo aſſumptis exoneretur, qui tamen à Capitulo tanquam ſupremo Adminiſtratore in rebus arduis & majoris indaginis dependeant.

II. Cùm Eccleſia ſponſa Epiſcopi ex munere & officio ſuo dignas DEO laudes perſolvere, Officia divina obire, atque horas Canonicas in choro decantare ſtipendio plurium perſonarum debeat, pro quorum ſuſtentatione hactenus ex redditibus Cameræ pro Choraliſtis 554. fl. 5. ß. 10. ₰. pro reformatione chori 1500. fl. perſoluti fuerunt, unà cum decimis in Mernpach. Quia verò collectio prædictarum decimarum, Capitulo ſatis difficilis & moleſta

leſta eſt, quæ verò Serenitati ſuæ mediantibus ſuis Præfectis, ſub quorum territoriis ſitæ, facilior copia ſit illas exigendi; ſic futurus Epiſcopus modicum hoc onus ſponſæ ſuæ, unà cum præfatis redditibus, atque ædibus ad has perſonas ſpectantibus in ſe ſuſcipiat, atque illas, quatenus ſub chori nomine comprehenduntur, ſicuti hactenus Capitulum conſuevit, alet & ſuſtentabit, & ſunt Parochus Eccleſiæ Cathedralis, ſex Vicarii, decem Capellani, Cantor, ſex Chorales muſici, miniſtrantes & Sacriſtani, ſalva tamen in hos Jurisdictione Capituli & Decani, ſicuti Art. 42. & 43. veterum Concordatorum continetur, quemadmodum idem in Archi- ac vicinioribus Epiſcopatibus Germaniæ Salisburgi, Ratisbonæ, Friſingæ & aliis obſervatur.

III. Differentiæ concernentes Epiſcopatum Paſſavienſem inter sereniſſimas Domos Auſtriæ & Bavariæ juxta tenorem veterum concordatorum expediantur.

IV. Feuda Eccleſiæ, quæ meritò inter ſumma Epiſcopatus Regalia numeranda, in ſua natura ſerventur. Unde ſua Serenitas feuda caduca & aperta per ſe purè maſculina, non in ſtemmata aut plures lineas ſed in unam ſolùm conferat; multò minùs concedat, ut ad extraneos planè hæredes, vulgò ein durchgehende Lechen transferantur: cùm ſimiles infeudationes alienationem ſapiant, & in magnum præjudicium Eccleſiæ cedant. De cætero quoad feuda in omnibus vetera concordata ſerventur.

V. Et quia paſſim obſervatur, quòd ex locationibus bonorum, vulgò amodiationibus Eccleſiæ commodum non adeò promoveatur, ſed communiter damnum oriatur, ſic ſua Serenitas bona Epiſcopatus non elocabit, & ſi adhuc elocata fuerint, in priſtinum ſtatum reſtituet, illáque idoneis atque conſcientioſis viris, qui facilis conventionis ſint, adminiſtranda committet, qui cautionem perſonalem & pignoratitiam actualiter hìc in Epiſcopatu præſtent.

VI. Non deducat rationes hujus Epiſcopatus ad aliam Reviſionem ſub nomine Buchhalterey vel alio titulo extra Curiam Paſſavienſem, ſed juxta Capitulationem Art. 12. & 13. veterum concordatorum hìc in loco Reſidentiæ ſingulis annis per ſuos Officiales, adjunctis duobus Canonicis ex Capitulo, rationes Præfectorum exigat, atque Paſſavium ad Curiam ſuam quoſdam ſpecialiter ad hoc deputatos, ſi placuerit, mittat, qui pro qualitate rationum vel illa ratificent, vel aliqua decernant, ſicuti eadem praxis paſſim in locis vicinis & in Bavaria in uſu eſt.

VII. Ut plures Canonici ad Reſidentiam alliciantur, ſalubriter cautum & præviſum eſt, ut in defectum reddit
uum illis certæ quædam Parochiæ, nec aliis perſonis conferantur. Ita concordata vetera Art. 19. Item, ut quamdiu præfati Canonici in Eccleſia Cathedrali actu reſederint, ſufficientem habeant hoc ipſo cauſam abſentiæ à ſuis Parochiis Art. 58. Deinde ut in conferendis Beneficiis & Præfecturis, quas per ſubſtitutos Vicarios etiam adminiſtrare poſſent, aliis præferantur Art. 25. noviſſimorum & 5. veterum: ſic ſua Serenitas impoſterum juxta Art. 54. ſe erga ſuos Canonicos magis Patrem quàm Dominum, & his ſe liberaliorem quàm exteris demonſtret; maximè autem Parochias Capitularibus vigore concordatorum debitas, ſi illas vacare contigerit, Capitulo per Conſiſtorium notificet, & quamdiu in Cathedrali actu reſederint & Canonici hujus Eccleſiæ manſerint, adminiſtrare abſentes permittat. De cætero circa jurisdictionalia quoad Vicarios obſervetur, ſicut hactenus practicatum fuit.

VIII. Quas calamitates & pericula Capitulum præteritis his bellis ſingulari devotione & affectu erga Domum Auſtriacam perpeſſum ſit, ac etiamnum in bonis ac proventibus ſuis patiatur, demonſtrat ſatis afflictus ille ſtatus, in quo jam verſatur, & debita, quibus premitur. Quare cùm conveniens ſit hac in parte, quâ gravatur, ſublevari, & conſolatione quadam damnorum ſuorum ad nova ſtudia allici, ſic debita illa Capitularia tempore vacantiæ Adminiſtrationis & Regiminis in cumulum debitorum Epiſcopalium conjiciantur, & ſpacio ſex annorum facta proportione æquali, videlicet annuatim quinque millia ducenti quadraginta quinque floreni, ex illis ducentis millibus jam

pridem conſentiente Capitulo & ſtatibus Epiſcopatus ſuper conſumptionis & contributionis negotium impoſitis extinguantur: penſionibus tamen vulgò Intereſſe dictis, tam reſtantibus quàm currentibus, ex mediis Capitularibus, prout hactenus factum, ſolvendis.

IX. Palàm eſt oeconomias ac bona procul diſſita Capitulo plus moleſtiæ quàm commodi afferre & illis ſolùm utilia fore, qui ibidem alia bona conjuncta & Præfectos habent, qui hiſce rebus perſonaliter intendant. Quòd cùm Capitulum vineas quaſdam & bona zu Stain, Ybbſs, und Cloſter - Neuburg in Auſtria ſita poſſideat, quibus ob loci diſtantiam ita invigilare non poſſit, futuro Epiſcopo verò ob vicina alia bona magis fructuoſa forent, ſic inter illum & Capitulum tractatio de ſuſcipiendis prædictis bonis ineatur, & prævia tranſactione, quatenus nullum damnum Menſæ Epiſcopali exinde infertur, aliud æquipollens ſubſtituatur.

X. Decernuntur Art. 37. veterum concordatorum Canonicis reſidentibus ſpolia demortui Epiſcopi. Quia verò talis caſus, quem divina providentia diu avertat, hìc Paſſavii vix contingere poteſt; ſic ſua Serenitas in defectum hujus aliud annuale quoddam emolumentum Capitulo ex ſingulari gratia aſſignabit, prout id à moderno Epiſcopo laudabiliter præſtitum.

XI. Obſervatum fuit hactenus partim vigore Concordatorum, partim munificentia ſuæ Serenitatis, ut ex Camera à Menſa Epiſcopali pro ſuſtentatione dictorum Canonicorum Reſidentium 3000. fl. Capitulo annuatim ad pixidem perſolverentur, ut Canonici in Eccleſia hac Cathedrali decenter & pro competentia ſtatus vivere, atque eidem ex munere ſuo deſervire poſſint. Quapropter continuare illa ſua Serenitas impoſterum ſit obligata.

XII. Officia illa veterum §. 17. & 20. Art. poſtremorum, ùt ſunt utriusq; Diœceſis Officialis, Præſidis, Conſilii Aulici, Cameræ & Conſiliarii in ordine ad Canonicos ex Gremio ad hæc aſſumendos continuentur, nec illa (cùm ex diviſione & ſeparatione horum Officiorum Eccleſiæ major utilitas reſultet) impoſterum conjungantur.

Tempore vacantiæ & adminiſtrationis in ſingulos annos ex redditibus Cameralibus Epiſcopatus futuro Epiſcopo decem millia florenorum Rhenenſium pendantur.

Cùm hæc concordata rationi, juri, & æquitati, laudabilique conſuetudini hujus Eccleſiæ omnimodè conſentiant; ea vi plenipotentiæ deſuper habita ab Auguſtiſſimo Cæſare Leopoldo tanquam Legatus acceptavi & præſentium tenore accepto. In cujus fidem prædicta concordata ſubſcripſi & ſigillo meo roboravi. David Comes de Weiſſenwolff.

Ego verò infra ſcriptus, tanquam Ser^mi Archiducis Leopoldi Guilielmi ad hunc actum Plenipotentiarius Legatus, hæc omnia ita fuiſſe peracta & concluſa nomine jam dicti Ser^mi atteſtor & fidem facio.

Joannes Kaltſchmidt
Liber Baro ab Eiſſenberg.

Joannes Hector Schad Liber Baro Decanus.
Joannes Comes de Santhilier.
Carolus Ferdinandus Baro de Muggenthall.
Sebaſtianus liber Baro de Potting.
Wolfgangus Gundacharus de Taufkirchen in Guettenburg.
Germanicus Comes à Thurn.
Leopoldus Khuen Comes à Liechtenberg.
Wenceslaus Comes de Thun.

Collationata hæc copia concordat cum vero originali per omnia, in cujus rei fidem ego ſubſcriptus Notarius meum conſuetum ſignetum appoſui 7. Aprilis An. 1663.

(L.S.) Joannes Wolfgangus Landrachinger J. U. D. & Reverendiſſimi Capituli Paſſavienſis Syndicus auctoritate Cæſarea Juratus Publicus Notarius.

Pro

Pro Sede Olomucenſi, & Uratislavienſi paria agitabantur conſilia, quibus interceſſit Leopoldi mors bonis omnibus, ſed Nepoti potiſſimùm acerba, qui eo ùt patre, ùt inſtitutore, ùt ſanctimoniæ, ac fortunarum duce fuerat uſus.

III. 1663. Poſtulatur ab Olomucenſibus & Uratislavienſibus. Valetudo fluxa.

Ab ejus exitu poſtulatus eſt ab Olomucenſibus; deinde & à Uratislavienſibus eo ipſo tempore, quo proximè aberat, ut inter feſtivos ignes ipſe, propter quem accenſi erant, novellus Pontifex extingueretur. Valetudo alioqui tenera, & fluxa purpuraſcentis inſtar roſæ, ùt Annuæ noſtræ loquuntur, flacceſcere videbatur; animadverſa caloris naturalis occulta vis, depaſcens intima: medicorum primæ notæ convocato conſilio ſuſcepta febrientis cura; ſed ita, ut à quarto Nonas Maji ad Idus Junias in pejus variantibus intervallis vergeret: excepit nox, quæ ei penè fatalis fuit: quare cœnobiis Religioſorum, & templis omnibus indictæ preces: tertio abhinc die ſacro Viatico munitus eſt inter adſtantium lacrymas, unctione ſacra tantiſper dilata. Dum hæc aguntur, Apoſtolicus Nuncius Cardinalis Carolus Caraſa Junior, qui Principis periculo vehementiùs angebatur, ſacra Lipſana S. Franciſci Xaverii ſubmittit. Deportata in conclavi fixis æger oculis contemplatus, manibúsque complexus, religione planè ſingulari admovens pectori, partique affectæ, hunc Sanctum, ait, non dimittam: ita planè factum, annuente ipſo, neque citiùs gratum repetente munus Cardinale: rogat indè, quid Sancto vovendum? reſpondet, qui aderat è Profeſſorum Domo Præpoſitus, paucis eſſe opus ad eum demerendum: Orationem Dominicam unam ſufficere: hanc æger procumbentibus in genua cæteris omnibus, cum Salutatione Angelica, & oratione de S. Xaverio recitat, additque ſe Illum eligere ſuæ Patronum aulæ, & ſtatim ejus honoribus ter Miſſæ Sacrificium fieri jubet; lectione ſelectorum ejus miraculorum ad fiduciam in eo habendam excitatus, ſub meridiem ſacrum pignus operimentis exactè ſecum contegi fecit, atque ſtatim reſolutus in ſomnum eſt horarum bene duarum, & dimidiæ, non abſque ſudore ſalutifero. *Reſtituitur.* Evigilans cibum (quem hactenus nauſeaverat) appetere cœpit: hinc omnes in ſpem erecti proferendæ vitæ, apertiùs didicerunt in humanæ opis defectu adeſſe divinam: novas quotidie deinceps acceſſiones valetudo cepit, donec eâ tandem integrâ quarto idus Julii foras egreſſus Auguſtam Imperatricem cum ſororculis extra urbem in ejus viridario, & in reditu Auguſtiſſimum fratrem ex variolis decumbentem inviſit. Die S. Annæ ſolenni ſub ſeptimam matutinam ſacellum S. Xaverii in templo Profeſſorum, votum ſoluturus cum tota acceſſit aula; ibidem ante Divi aram è manu celebrantis ſacra ſynaxi refectus eſt, ea vultus & corporis conformatione, ac modeſtia, ut nemo non Angelum diceret: indè largam in egenos diviſit ſtipem, & iis Sacerdotum externorum, qui ad Sancti altare Miſſæ Sacrificium obtulerant, litrum ſe dignum dari voluit. Quoniam verò propter imminens belli periculum, & circumlatos ubiq; ab Turcis, ac Tartaris terrores migrandum paulo pòſt ad tutiora fuit, refugii locus delectus eſt Lincium, quò cùm Archidux veniſſet, eâ copiâ uſus eſt ad inviſendam ſedem Paſſavienſem, unâque Virginem Auxiliatricem ibidem celeberrimam. *Paſſavium inviſit.* Exceptus eſt Paſſavii occurſu admodum læto, feſtóque, applaudentibus tormentis æneis, magnifico Cleri, Procerum, civiúmque comitatu, in urbem ceu terræ Princeps, & Epiſcopus deductus. Et hic cernere licuit in tenello pectore animum excelſum, humanæq; pompæ faſtidium planè Leopoldinum: eodem námque veſpere omnem illam magnificentiæ ſpeciem, gratulantibus cæteris, ipſe familiares inter riſus explodere viſus eſt. Patuit autem, quo gloriaretur: ad Virginem prodigioſam ſeſe ſtitit ſupplicem, ad ejus aram ſacroſancto paſtus cibo, inter liquidiſſimos ſuaviſſimæ pietatis affectus, quos adſtantium expreſſæ gaudiô lacrymæ condiebant; uti ſcribit laudatus aliàs Orator funebris.

IV. 1664. Solicitudo Officii Canonici.

Hoc veluti penſo Divæ Virgini ſibi adeò dilectæ, in terris perſoluto reverſus Lincium languido corpuſculo vitam ad initium ſequentis anni 1664. toleravit; erat tamen laboranti ea animi religio, ut impetrari de eo vix poſſet, quo laborem Officii Canonici temperaret: de quo juverit audire rurſum præceptorem ejus oculatum horum omnium teſtem: In horis, inquit, quas Canonicas

nonicas vocamus, ex quo obligationem ſuam cœpit animadvertere, DEO quotidie perſolvendis quæ non optimi Principis cura? quæ ſolicitudo? non hic ille excuſationem à debito quærere, imò ne legitimam quidem, niſi ratione convictus, ſatis admittere; & hoc unico negotio (quod non ſemel obſtupui) Excellentiſſimi ſui Domini ſupremi Præfecti, cujus conſiliis imò nutibus in cæteris promtus obſecundabat, auctoritati non acquieſcere, niſi Patris Confeſſarii vel meus ſuperveniret aſſenſus. Nunquam abſque ingenti animi gaudio meminero, quàm pia ſolicitudine die Sanctis Fabiano & Sebaſtiano ſacra, quæ octiduò mortem præceſſit, innocentiſsimus Princeps ad horas ſecum dicendas me quaſi reluctantem, debilitatémque oculorum in ipſo cauſantem impulerit; qua voluptate perfuſus exultaverit, quod iterum officio ſuo fungi liceret. Cupiebat animatus hoc primo ſucceſſu, eodem mox veſpere pro die ſequente S. Agnetis, idem penſum abſolvere; verùm oculi negabant Officium. Ita ille, qui & tolerantiam ejus in tormentis illis affecti corpuſculi prædicat; nullam, ait, fuiſſe unquam acerbiſſimorum dolorum, quibus interdum cor, interdum caput opprimebatur, atrocitatem tantam, quæ conſuetam menti ſerenitatem adimeret: urebat ſitis intoleranda, quam tamen, ut potu ne reſtingueret, acquieſcebat rationi: remedia quantumlibet aſpera, quæ ars medica applicabat, promtus admiſit.

Tolerantia.

V. Itaque ſexto Calendas Februarias ſeu 27. Januarii ſub noctis ſilentium ſolitis convulſionibus agitatus horam ſupremam vixit, innocentiæ & morum probatiſsimorum exemplum, juventutis Princeps, orbíſque meritò delicium, uti Annuæ noſtræ loquuntur. Cadaver ſecundo Danubio deportatum Viennam, ibidem Nonis Februarii exceptum eſt, delatúmque inter veſpertinas tenebras ad Divi Stephani, indè ad paterni corporis exuvias ad Patres Capucinos. Ei lacrymæ omnium parentarunt, cùm ob detrimentum publicum, quod Auguſta Domus, atque Eccleſia cumprimis, in cujus ſpem magnam adoleſcebat, accepit; tum ob recordationem innocentiæ, modeſtiæ, affabilitatis, clementiæ, miſericordiæ, ejúſque modi virtutes: ad quas eum natura ipſa, & indoles formaverat. Sub extremum vitæ applicabantur ei columbæ; quod occaſio opportuna fuit elogiorum ejus ſcriptoribus, alludendi ad ingenium ejus innocentiſſimum, & columbinum. Extat elogium ſepulchrale, quod ejus memoriæ condidit Joſephus Comes de Rabatta, ejuſdem Aulæ Præfectus, cujus partem aliquam hìc adponimus:

Obitus.

Sepultura.

Hic requieſcit
Sereniſſimus & Reverendiſſimus Princeps
Dominus Carolus Joſephus
Naſcendi conditione Archidux Auſtriæ.
Dignitate Epiſcopus, & Ordinis Teutonici Magiſter.
Innocentiâ Angelus.
Vitæ probitate Sanctus.
Virtute Adultus.
Amor omnium.
Ei me
Auguſtiſſimus Imperator Leopoldus
Aulæ Præfectum dedit.
Amor Patrem.
Cura Nutritium fecit.
Nutrivi annis quatuor.
Sed eheu! brevi.
Mitiſſimus Princeps
Qui nec iraſci quidem noverat
Intra Columbarum agmen
Dignum innocentiâ Comitatum
In Cœlum avolavit.
Princeps
Qui neminem, niſi moriendo offendit.

Wences-

EPISCOPUS PATAVIENSIS LXVI.

Wenceslaus.

E Vetuſtiſſima, & nobiliſſima gente Dominorum, indè Comitum de Thun, faſgo, togâque, ac præſertim ſacris Infulis etiam Archiepiſcopalibus hactenus geſtis illuſtriſſima: orbi datus circa annum 1629. parentibus Joanne Sigismundo, & Anna Margarita Comite de Wolkenſtein: frater natu minor Guidobaldi Archiepiſcopi Salisburgenſis, ejusdémque Cardinalitiâ purpurâ inſignis: præterea Joannis Erneſti natu minoris, qui à Guidobaldo thronum Salisburgenſem inſcendit. I. 1664. Natales.

Wenceslaus Canonicus primùm Salisburgenſis creatus eſt annô 1642. ætatis tertio decimo. Subinde & Canonicus Paſſavienſis: demum anno 1663. Collegii Salisburgenſis Præpoſitus: vir & ſpecie corporis, & animi, ac doctrinæ, prudentiæque dotibus egregius; ob quas anno 1664. legatus eſt Eccleſiæ Paſſavienſis nomine ad Comitia Circuli Bavarici Ratisbonæ coacta; cùm ſub idem temporis intellecto Caroli Joſephi Archiducis obitu revocatus eſt à Capitulo ad electionem novi Præſulis, quæ conſpirantibus omnium ſuffragiis in ipſum cecidit die 27. menſis Martii; anno ætatis quinto, & trigeſimo. Dignitates factæ. Electio in Epiſcopum.

Anno 1664. ad finem vergente Salisburgi apud fratrem Archiepiſcopum verſatus eſt: ibi Caraſam Cardinalem, qui apud Cæſarem Leopoldum Apoſtolici Nuncii vices obierat, in Italiam revertentem in vico Neoforenſi, prope Salisburgum, dum Archiepiſcopus honoris causâ obvius excipit, ipſe fratrem affectatus eſt.

Anno 1665. menſe Julio accepit ab urbe diploma Confirmationis. Memorabile quod refertur in ſummario Salisburgenſi: proviſionem de Eccleſia Paſſavienſi tunc factam cum clauſula: de qua non liquet, ſitne alicui Archiepiſcopo ſuffraganea, an Sedi Apoſtolicæ ſubjecta: quæ clauſula pariter deinde facta in Succeſſore Wenceslai: quo liquet cauſam illam in Curia Romana nuper motam, nondum fuiſſe perductam ad liquidum. II. 1665. Confirmatio.

Ad eundem annum gloriantur Annuæ noſtræ Paſſavienſes, Celſiſſimum Principem feſto die S. Ignatii, non Miſſarum modò ſolemnia, ſed primas quoque veſperas, Archidiaconum agente Epiſcopo Principe Lavantino, quatuor item è Canonicorum Cathedralium Collegio functiones reliquas ad aram obeuntibus, ceciniſſe: idem poſtea Decembri menſe præſtitiſſe ſolemni die S. Indiarum Apoſtoli, quas gratiæ benevolentiæq; ſignificationes Patres per ſingulos Rectionis ejus annos (ſi poſtremum excipias) experti ſunt.

Eodem anno Sebaſtiano Comiti de Pötting ad Lavantinam Sedem promoto Confirmationem & Conſecrationem Archiepiſcopi Salisburgenſis nomine impertiit.

Anno eodem 1665. Leopoldus Cæſar, pro jure tunc ſibi competente die decima menſis Auguſti Wenceslaum præſentavit ad Epiſcopatum Gurcenſem, æſtimatione primùm viri, deinde eâ præcipuè causâ motus, uti jacturas Paſſavienſis Eccleſiæ, quas per incendium nupernum fecerat, ob quas annuis etiam proventibus evaſerat reddendis, ac oneribus Imperii ſuſtinendis impar, eo ſubſidio levaret. Additur ei Epiſcopatus Gurc.

Annis ſubſequentibus facundi identidem ſunt Annales noſtri pietatis ejus teſtes, dum & in ſolennitatibus Antecineralibus, & Euchariſticis, & Indigetum noſtrorum aut ſacris operatum in odeo noſtro, aut certè cultum publicum præſentiâ ſuâ honeſtaſſe commemorant, ac cæteroqui in Cathedrali rem divinam, Concionúmque frequentiam exemplò egregiè promoviſſe.

Anno 1667. indeptus eſt ab Alexandro Septimo Papa privilegium bulla ſignatum, condendi teſtamentum pro arbitrio de re omni pecuniaria, mobilibus, ſupellectilibus, libris, aliiſque per aut citra curam animarum quæſitis, ſacris juxtà profaniſque bonis. Datum Romæ ad S. Mariam majorem ſub annulo piſcatoris die 10. Februarii. 1667. Obtinet privilegium condendi teſtamentum.

Anno

1668. Anno 1668. defuncto fratri Cardinali, & Archiepiſcopo Salisburgenſi ſolennes inferias in Baſilica ſua fecit; ejúſque laudes pro pulpito exornari voluit.

III. *Propugnat exemptionem Paſſav. Tranſigit cum Prælatis Auſtriacis.*

Cum eodem tamen fratre ſuo Guidobaldo aſſiduas exercuerat lites in cauſa vulgò nota Exemptionis, erátque multorum opinio fore, ut amplos faceret in ea re progreſſus, niſi conſiliis interceſſiſſent fata.

Lis etiam fuerat cum Prælatis ſuperioris Auſtriæ de jurisdictione in parochias, & beneficia Monaſteriis unita, aut jure patronatus ſubjecta: deque aliis juribus epiſcopalibus in perſonas, & loca Regularium: quæ arbitro Cæſare diſcuſſa, ac terminata per Receſſum, ùt vocant, à Commiſſariis Cæſareis ſubſcriptum, & obſignatum Viennæ in Aula Cæſarea die 18. Auguſti anno 1668. articulis omnino ſeptemdecim comprehenſum; qui quamvis ad manum ſit, nihil tamen admodum eſt, quo movear ad eum huc inferendum.

1669. *Item cum Præfectis ærarii Auguſti.*

Transactionem fecit cum Leopoldo Cæſare, ejúſque rei ærariæ præfectis anno 1669. die 25. Septembris; qua decretum, uti fas ſit Eccleſiæ Paſſavienſi quotannis numerum ſex millium urnarum vini è fundis propriis æquè, ac vectigalibus, nec non decimis redacti citra teloniun, aut aliûs oneris impoſitionem evehendi ex Auſtria; ídque ſic, ut pro modo vindemiæ divitis, aut malignæ dimenſum illud addendo, vel demendo redintegrare liceat: ídque diploma à Succeſſoribus etiam Auguſtis confirmatum fuit.

1671. Anno 1671. quo Franciſcus Borgia, Gandiæ Dux, deinde Societatis JEſu Generalis, Divorum cœtui adſcriptus eſt, eáque propter ſolemniſſimi agitarentur ab univerſo Ordine triumphi, non defuit Princeps, qui die 26. Septembris è Cathedrali Baſilica cum univerſo Canonicorum Collegio, & Clero; præterea ambabus Divi Franciſci familiis ad Oratorium noſtrum ſolemni pompâ proceſſit, diviníſque interfuit. Ab hoc tamen anno fama fuit Jeſuitis non optimè voluiſſe: quòd Concionatorem ejus Ordinis è templo Cathedrali miſſum fecerit: quòd fabricam Collegii, & templi præceptô ſuſpenderit; prædium quoddam Patrum ſub haſta venundederit, atque hæc ob litem de jurisdictionis modo in parœcias Traunkirchenſes. Sed hoc equidem non extinctio erat benevolentiæ multis cæteroqui argumentis per annos complures conteſtatæ, ſed quædam, ut ita dicam, eclypſis anni vix unius; reddito ſub extremum ſole gratiæ ſuperioris.

IV. *Memorandus ob res quatuor.*

Quatuor præcipuè rebus præfecturæ ſuæ nomen inſigne reddidit, memoriámque vigentem apud poſteros habuit: primùm exacta juſtitiæ bilance: deinde ſolertiâ rei œconomicæ: ad hæc magnificâ ædificiorum ſtructurâ: poſtremùm aulæ ſuæ modo ad amuſſim exacto.

Reparat Baſilicam Paſſav.

Acceſſerat ad clavum eo tempore, quo ob nuperum incendium Baſilica Cathedralis, ac palatium epiſcopale, cum ædibus civitatis penè omnibus jacebat in ruinis. Nulli ſuppetebant, quos habitaret, lares; nulla ſacris agitandis Eccleſia: neque ſacri Inſtrumenti, neque profani vel pilus. Ærarium funditus inane, quin multis nominibus per Deceſſores accumulatis gravatum.

His tamen nihil animo fractus decrevit omnium primum ſuſcitare è cineribus Cathedrale templum, ſtructorem Architectonicæ peritum evocavit ex Italia *Lorago* quendam Mediolanenſem, è cujus idea novam penitus ſtructuræ formam molitus eſt; ocyúsq; conſtituit comportari materiam: navigia ſalinaria, dum è Bavaria reverterentur, juſſit onerari ſaxis quadratis, cujusmodi in oppido Kelheimb, & Wünzern ſecantur. Ea Paſſavium advecta in eum locum, quem vulgò equorum hauſtrum appellant, machinarum ope è navibus egeſta. Quibus ad normam cædendis, componendíſque conſtitutæ centum & ampliùs operæ talium rerum artifices, primum ipſe lapidem immiſit in chori parte palatio proxima; ſtrenuóque conatu magnificam molem, quæ hodieque viſitur, adusque fornicis ſupremam propemodum Commiſſuram perduxit: cùm ecce tibi! per incuriam Architecti, fulcris & ſubſcudibus ob incumbens pondus ſuccreſcentibus opus omne interius, quod à teſtudine coronaria muros principes usque pertinebat, horribili ruina repentè concrepuit: neque Antiſtiti vita in id ſuffecit, ut fabricam ex integro recreatam videret; aut

alia

Multa egregia molitus.

alia perficeret, quæ magnificè próque ſe, próque civibus moliebatur. Palatium repurgare exorſus eſt, at non ultrà, quàm ut partem modò aliquam in uſum habitandi redigeret, potiſſimâ cineribus derelictâ. Et cogitationem ſuſceperat egregiam, Urbanorum quoque domicilia ſumptibus reficiendi ſuis, pacto redhibitionis. Quin ad ornamentum, commoditatémque urbis meditabatur ſtruere ſuggeſtum circùm latera flumentana undequaque pertinentem, quo circumiri civitas pedibus, vehiculíſque poſſet. Alia quoque conſilia in florem evehendæ coquebat urbi: verùm præcidit hæc omnia mors in herba.

Fertur inter dextellas ejus œconomicas etiam hæc: ſi quem excelſi Ordinis virum peregre per urbem commeaturum proſpiceret, recipiebat ſe ut plurimùm ad arcem ſuam Wolfſteinenſem, quippe evitandis hoſpitii ſumptibus, quos ipſa temporis neceſſitas in uſum publicum rectiùs collocari ſuadebat. VI.

Modus aulæ.

Aulæ Epiſcopalis id adhuc temporis arctus admodum erat modus, adeò ut qui tubâ canerent, duo eſſent, non ampliùs: ſervorum familiarium numerus non plus, quàm ſex: à conviviis publicis abeſſent fœminæ; quem ritum ſic obſervabat, ut ne nepotibus quidem ſuis ad Comitatum muliebrem hoſpitium in palatio daret, ſtatuebátque univerſim, contubernium mulierum perſonis ſacris multum adferre periculi, parùm decori.

Comitium aulicum conſpicua nobilitate conſtabat; uti & Collegium Capitularium, in quibus numerabantur ſequentes: Slabata, Puchaim, Thurn, Preyſing ſenior Epiſcopus idem Chiemenſis, Herberſtein, Loſenſtein, Khun Decanus Capituli, Töring, Athemis, Dux Neoburgicus Eleonoræ Imperatricis frater, pòſt magnus Equitum Teutonicorum Magiſter, Epiſcopus Uratislavienſis, ac demum Archi Præſul Trevirenſis, Preyſing junior.

Conſtituit Officia publica.

Officia juris dicundi, rémque ſcriniariam, in quibus procurandis antea ſolius Præſidis, aut Cancellarii potiſſimæ pártes fuerant, in hunc ordinem, qui modò viget, redegit; negotiis à cognitione ſummaria ad gradariam traductis.

Ad ſubſellia publicorum munerum, & conſiliorum evecti tum erant ejuſmodi, quibus propria dexteritas plus, quàm aliud aliquod nomen privatum, aut clientelare ſuffragabatur. Præcipuus aulæ genius erat Mathias Egerman; cui quantum Wenceslaus tribueret, colligere eſt ex epitaphio, quod ei mortuo ſcripſit; hodiéque legendum proximè Urbani Epiſcopi & Lambergii Cardinalis ſacellum in hæc verba:

Hìc ſitus eſt

„ Prænobilis ac ſtrenuus Dominus Mathias Eggerman ab Eggerburg Re-
„ verendiſſimi, ac Celſiſſimi Principis, ac Domini Wenceslai Epiſcopi Paſſa-
„ vienſis, & Gurcenſis &c. &c. Conſiliarius, Cameræ Præſes, & Præfectus
„ in Wolfſtein: vir ſapiens, temperans, juſtus, quem rara ingenii felicitas,
„ & indefeſſa in laborando ſedulitas ex parvis initiis in eam dignitatem extu-
„ lêre, ut inter præcipuos aulæ Miniſtros honoraretur. Tantum juvat inge-
„ nio junxiſſe laborem, virtutémque. Is cùm Epiſcopali huic aulæ fidem &
„ induſtriam ſuam incorrupta vitæ integritate, & dexterrimo rerum gerenda-
„ rum uſu pro virili conteſtaretur, ſervus bonus & fidelis, præmaturo & præ-
„ cipiti fato ex hoc ſeculo avocatus ad immortalitatem, animam Creatori ſuo
„ reddidit VI. Novembris A. M. DC. LXXI. vixit annos 50. & menſem unum:
„ cujus æternæ memoriæ præmemoratus Revd^mus^, & Cel^mus^ Princeps hoc
„ monumentum F.F.

Primus adſciſcit cuſtodes corporis.

Wenceslaus primus omnium ab Auguſtiſſimo Leopoldo Cæſare impetravit veniam habendi ſatellitium armigerorum ad cuſtodiam corporis; quem numerum inchoavit ipſe quidem; non complevit: nam paucos modò aliquos ab eo conductos conſtat, eóſque nondum inſtructos bipennibus, cujuſmodi genus armorum ab ætate primùm ſucceſſoris ejus Sebaſtiani viſuntur. Res inſignes duas ab oppidanis juxtà, ac provincialibus ſibi ſubjectis impetraverat: ut amaretur idem majorem in modum, idémque timeretur. Habebat in more quotannis Magiſtratum Urbanum accipere convivió: cùm aliquando evenit, ut epulo jam ſoluto juberet omnes clauſis palatii foribus attineri (litis enim quidpiam inter ipſum, & civitatem gliſcebat) dabátque eo facto docu-

mentum dominatus abſoluti, quóſque ad fines auctoritas proferatur ſua; quam à Majoribus traditam ſuo etiam ævo ſartam, integrámque vellet.

VII. 1673. Obitus. Vigebat adhuc annis, ipſo propemodum ætatis flore; cùm eum labores renum ſub principium anni 1673. ſolitô vehementiùs affligtare cœperunt. Medicorum conſilium erat, uti digerendo malo, equeſtri motu exerceret corpus; id ille cùm inſtitueret exequi, illico ſellam deſerere cruciatu coactus eſt; tum equo, quem in deliciis habebat, ſe fulciens, atque ad præſentes converſus, hoc poſtremum eſt, inquit, quo Candicanti huic meo operam dedi; vos ei paſtum etiam deinceps favete. Indè genialibus relegatis ad curam animæ ſe vertit: tum cernere erat optimi Principis mentem: nam evocato Collegii Jeſuitici Rectore, ſtudiíque ſignificationibus bene multis appellato, jurisdictionis tuendæ zelum, quem propoſitum habuiſſet, nudavit, demúmque arrepto manibus Crucifixi ſimulacro; tu verò, inquit, ſic habe, me & vivere, & mori tui Ordinis amicum; quem in hæc ſanctiſſima Domini vulnera commendo. Ita benedictionem eidem impertiens orat, utì Concionatorem ſibi luctæ ſupremæ comitem concederet: quo imperium exoſculante Sacerdos, quem petierat, morienti biduum, totidémque noctes conſtanter adfuit, ſanctéque compoſitum æternitati transmiſit, die ſexta Januarii: Corpus honeſtiſſimis exequiis deportatum ad cryptam epiſcopalem, ibidémque depoſitum ſubtus aram majorem: Epitaphium in marmore, quod dextra chori parte ſitum eſt, cælavit Joannes Seiz Phidias Paſſavienſis nongentorum propè florenorum mercede. Additum opus picturatum. Inſcriptionis tenor his verbis conceptus eſt:

Siſte gradum Viator, Wenceslaus ex S. R. J. Comitibus de Thun, Epiſcopus Paſſavienſis, & Gurcenſis, S. R. J. Princeps, Præpoſitus Salsburgenſis, hic quieſcit, Princeps excelſi animi, magnæ prudentiæ, indefeſſi laboris, & probatæ vitæ; de Eccleſia, totâque Diœceſi præclarè meritus, quam Eccleſiaſticæ diſciplinæ legibus, exemplisque firmavit. Curiam Epiſcopalem incendiô deformatam reſtituit; Baſilicam Cathedralem cum Turribus eodem infortunio penè collapſam ex fundamentis eleganti ſtructura reædificare cœpit; opus in inſignem altitudinem jam aſſurgens, relinquere imperfectum mors præpropera coëgit: Eccleſiaſticæ libertatis, Juriúmque Epiſcopalium ſtudioſiſſimus Aſſertor, Pacis tamen amans, omnem diſſidii fomitem extinxit; cujus vita exemplo, magnanimitas in morte admirationi fuit. Huic Januarius æternitatis Januam aperuit, dum è vita decederet VIII. Idus ejusdem, annô ſalutis M. DC. LXXIII. ætatis ſuæ XLIII. Regiminis IX. Tu pro DEO, & Eccleſia in vita indefeſſo fave, & vove poſt mortem requiem æternam.

VIII. Lis de Teſtamento. Conſtituerat ſibi diem anniverſariam celebrandis funeribus, conſtituto cenſu annuo centum & tredecim florenorum in præſentes diſtribuendo. Tabulas etiam ſupremas condidit è privilegio nuper obtento: verùm oborta lis, quæ plures tenuit annos: partem alteram faciebant fratres Wenceslai, nempe Joannes Erneſtus, Archiepiſcopus Salisburgenſis, & Michaël Oswaldus: indè pugnabat Joannes Joachimus Ignatius Comes ab Aham Canonicus Paſſavienſis; delata res ad forum Romanum per viam commiſſionis coram Alexandro Benincaſa ſacri Palatii Apoſtolici Auditore agitata, ſententiam retulit irritantem, die undecima Januarii An. 1690. Pontificatûs Alexandri VII. anno primo.

Transactio ejus cum Canonicis de ſpoliis. Memorabilis eſt transactio, quæ inter Wenceslaum, & Capitulares ad perpetua utriusque partis ſucceſſorum tempora convenit mutuis tabulis, diplomate pariter Pontificio approbata & roborata; qua refixo & abolito jure, & conſuetudine *ſpolii*, ùt appellant, ſeu ſortitionis veſtimentorum epiſcopalium ab obitu Epiſcopi relictorum, conſtituta fuit certa pecuniæ dos Canonicis actualibus viritim quotannis pendenda, illis qui liturgiæ anniverſariæ electionis Epiſcopi interfuerint; iis tamen minimè præteritis, qui per ægritudinem, aut negotia Epiſcopalia, vel Capitularia abfuerint. Ejus penſionis modus tum quidem erant floreni triginta pro ſingulis; verùm à Succeſſoribus Epiſcopis ſumma univerſim conſtituta in annos ſingulos millies florennûm, ex ærario Epiſcopali numerandorum.

Neque illud prætereundum, quod in Annalibus noſtris refertur, res ominis haud omnino contemnendi: Presbyter erat, qui in hoſpitio inſidens ſellæ

in

in medio cubiculi, effigiem Wenceslai recèns defuncti ſuperiore loco poſitam contuitus his eum affatus: quid jam habes, inquit, Wenceslae, quòd pluribus moleſtum te dederis? vix abſolverat, cùm imago ex edito ruens in menſam ſubjectam, calices vitreos illic poſitos omnes comminuit: exborruit homo, ſanctè ſpondens, ſe deinceps in Sanctos Domini verba neutiquam miſſurum.

Wenceslai Suffraganeus fuit Martinus Geiger Epiſcopus Lampſacenſis, vir & doctus, & pius, & functionum Epiſcopalium adminiſter admodum ſolers; ut qui multorum millium numerum diverſis in locis chrysmate Confirmationis inunxerit: obiit circa annum 1669. ei ſubrogatus eſt Jodocus à Brendt dictus Höpffner, Leopoldi Guilielmi Archiducis quondam Conſiliarius intimus & Officialis Patav. ac Præpoſitus in Matſee cum titulo Epiſcopi itidem Lampſacenſis; vir ætate, literis, & Officiis, quibus perfunctus eſt, celebris; qui ùt ipſe ſacris commentationibus mentem ſæpius excolebat, ita idem ut ab aliis fieret, exiſtebat auctor. Suffraganeus.

EPISCOPUS PATAVIENSIS LXVII.

Sebaſtianus.

CLariſſima gens primùm equitum, deinde Baronum, poſtremò Comitum de Pötting prope Murſtetten in ſylva Viennenſi, quarum utraque in hujus familiæ patrimonio fuerat. De Eccleſia cumprimis Paſſavienſi præclarè merita, ùt cujus gentiles eam penè jam à ſeculo per omnes Capitularium dignitatum gradus illuſtrârint. I. 1673. Genus.

Sebaſtianus juventutem in obſequiis Leopoldi Guilielmi Archiducis poſuit, ſéque in eo gymnaſio virtutis adeò probavit, ut Collegio primùm Cathedralium adlectus, indè Capituli Cellerarius (cujus Officii proventibus tunc ſolus Ordo procuratorius, deinde verò, hodiéque Canonici in commune fruuntur) denique Præpoſitus crearetur. Adoleſcentia.

Anno 1665. nominatus eſt ad Cathedram Lavantinam, à Wenceslao, uti diximus, inauguratus. Epiſcopus Lavant.

Enitebat in eo mens rerum grandium capax, intellectus in longum proſpectans; præterea liberalis, & Principe dignus animus; par erga quosvis humanitas, ſtudiúmque adversùs omnes benignum, quo nomine voluntates Ordinum omnium ſibi mirificè devinxit, erátque votum univerſi populi commune & ardens, eum Pontificem depoſcentium: quòd verò fidem, & obſequium Auguſtiſſimæ Domui devotum omnibus præ ſe tempeſtatibus ferret, apud Leopoldum Cæſarem gratiæ locum obtinebat in paucis; qui idcirco Paſſavium ablegavit Wolfgangum Comitem de Oetting cum literis commendatiis, quarum autographum ad Franciſcum Leopoldum Guiliemum Comitem Slawata Canonicum Patavienſem ſic habet: Dotes. Commendatio Cæſaris.

Chare Comes Slawata: neceſſarium duxi ad imminentem novi Præſulis electionem mittere Legatum Wolfgangum Comitem ab Oetting Conſiliarium Imperialem aulicum, Cubicularium meum, cui mandavi, utì ſeſe ſpeciatim apud vos inſinuet, vobisque nomine meo propoſitionem faciat de rebus nonnullis, quas ex ipſo uberiùs intelligetis. Peto ut eum non audiatis modò benevolè, & quibus dixerit, habeatis fidem; verùm etiam ſtudium veſtrum eum in modum declaretis, quem fiducia in vos mea deſiderat. Datum in Civitate mea Vienna die 7. Februarii Anno 1673.

Leopoldus.

Has literas ſibi die 20. Febr. hora decima ante meridiem redditas idem Comes Slawata in tergo epiſtolæ adnotavit.

Nec ſine cœli ſuffragio ad Thiaram Paſſavienſem Sebaſtianus deſtinatus videtur, id quod omine quodam non vano innotuit. Erat inter ejus urbis cives nonnemo, qui elato Wenceslao, uti periculum de futuro Principe faceret, deſcripta Candidatorum nomina conjecit in urnam: tum pueris innocentibus adhibitis, ut nomen aliquod ſortirentur, juſſit: eductum mox prima ſorte nomen Sebaſtiani: placuit aleam repetere: & altera ſors Sebaſtianum edidit: Omen Electionis.

edidit: ſic tertiùm, ſic quartùm, ſic demum ſeptimùm iterata miſſione prodiit idem identidem Sebaſtianus; ut planè appareret manum doli neſciam Numine aliquo fuiſſe gubernatam.

Convenerant Capitulares die octava menſis Martii: ubi rogatis ſententiis, priusquam ad electionem procederent, iteratas condidêre leges bene multas, quibus Pontificem, quicunque legeretur, in anteceſſum adſtringendum putaverunt; quarum tenor eſt, qui ſequitur:

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis Amen.

II. Leges Epiſcopo eligendo præſcriptæ.

ANno reparatæ ſalutis humanæ milleſimo, ſexcenteſimo ſeptuageſimo tertio, Indictione Romana undecima, die octava menſis Martii, horâ circiter nonâ, ſummum Pontificatum gerente ſanctiſſimo in Chriſto Patre Clemente decimo, ſede Paſſavienſis Eccleſiæ vacante, infrà ſcripti Illmi & Revmi Dni Dni Sebaſtianus Comes de Pötting Præpoſitus, & Epus Lavantinus, Leopoldus Comes de Khuen Decanus, Wenceslaus Guilielmus Comes de Hoff-Kirchen Senior, Epiſcopus Seccovienſis, Carolus Ferdinandus Comes à Muggenthall, Germanicus Comes de Thurn, Joannes Franciſcus Ferdinandus Comes ab Herberſtein, Joannes Franciſcus Adamus Comes à Töring, Hermannus Mathias Comes ab Athimis Cuſtos, Franciſcus Guilielmus Comes Slavata, Jaroslaus Franciſcus Ignatius Comes à Sternberg, Joannes Erneſtus Comes de Thun, Franciſcus Comes à Loſenſtein, Joannes Fridericus Ignatius Comes Preyſing, Wikhardus Ignatius Guilielmus de Salm, Georgius Fridericus Comes & Dominus de Salburg &c. totum Capitulum Peremptoriale Eccleſiæ Patavienſis repræſentantes, in loco Capitulari nonnullas obſervationes & concordata, ad quorum obſervationem futurus Epiſcopus è gremio eligendus vel poſtulandus inviolabiliter obligetur, decreverunt & ſtatuerunt, prout eorum tenor hìc ſubſequitur.

I. *Primò* eligendus vel poſtulandus In antiqua ac vera Religione Chriſtiana in ſancta Catholica, ac Apoſtolica Eccleſia & fide, quæ hactenus in toto orbe terrarum à temporibus Apoſtolorum continua ſucceſſione floruit & maximè in obedientia ſummi Pontificis & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ juxta formulam profeſſionis fidei, à Pio IV. ſummo Pontifice, feliciſſimæ recordationis ex decreto Concilii Tridentini editam, per DEi gratiam conſtanter ſe permanſurum juret, ac promittat: ſuæque ſponſæ id eſt Eccleſiæ decorem, & totale complementum à ſuo Anteceſſore omni diligentia inchoatum, & majori ex parte, refectum qua poterit poſſibilitate & induſtria promovebit. Curet etiam, ut omnes Conſiliarii, Præfecti, Officiales, & familiares eandem ſecum fidem amplectantur, & retineant, ne ullos libros, aut ſubditos hæreticos in civitate Paſſavienſi aut aliis oppidis & locis ad Eccleſiam Paſſavienſem pertinentibus toleret; ſed contra hujusmodi ſeductores, librorum venditores ac quosvis hæreſim profitentes juxta Canonicas Sanctiones ſummorúmque Pontificum tam antiquorum, quàm modernorum decreta ac condignas pœnas procedat, & procedi faciat, ſervitoréſque de hæreſi ſuſpectos ab Officiis removeat, niſi ſub ſpe eos imbuendi ad veram Catholicam fidem amplectendam ſint tolerandi.

II. Deinde idem in ſpatio unius anni à die adeptæ poſſeſſionis computando, munus Conſecrationis Epiſcopalis abſque ulteriori dilatione recipiat, publicéque Miſſam celebret, & ſi contingat Electum vel poſtulatum aliquem habere defectum, cujus ratione à recipiendis Ordinibus, & munere Conſecrationis prohibeatur, tunc unà cum confirmatione etiam diſpenſationem de tali defectu apud Sedem Apoſtolicam impetrabit.

III. Et quoniam Eccleſiæ tam in ſpiritualibus quàm temporalibus multa damna, atque incommoda ex abſentia Epiſcopi plerumque oriri ſolent, tenebitur Epus vi juramenti, ac juxta ſummorum Pontificum decreta in loco reſidentiæ ſuæ ſolito actualiter reſidere. *Si verò ob urgentes cauſas ultra tempus*

à jure

Digitized by Google

à jure expreſſum præſens eſſe, vel perſonaliter reſidere non poſſit, id non niſi de beneplacito & ſcitu Capituli fiat.

IV. Intra annum à die datæ poſſeſſionis inſignem aliquem & doctum Theologum, vel Canoniſtam religione Catholicum, competenti ſalario, & ſine diſpendio Capituli conducet & ſuſtentabit, qui ſi neceſſitas poſtulet pœnitentiarium agere, aut alia munia Eccleſiæ obire queat.

V. Officiales duos ſeu Vicarios Generales, ſcilicet unum Paſſaviæ, & alterum Viennæ conſtituet ex Capitulo, ſi qui ſunt, qui fungi his Officiis velint; ſin minùs, alias quaſpiam perſonas Eccleſiaſticas doctrina & vitæ integritate conſpicuas. Conſilia Eccleſiaſtica quoque tam hic Paſſaviæ, quàm Viennæ, quantum fieri poteſt, ex perſonis Eccleſiaſticis conſtituat.

VI. In benedictionibus & infulationibus Prælatorum ſemper vocet aliquos Canonicos Capitulares, quos voluerit, pro decentia & honore ipſius Epiſcopi: & obſervetur, ut hic actus, ſi Epiſcopo placuerit, in Cathedrali fiat; ſi autem in alia Eccleſia functio quæcunque ſit peragenda, is Canonicos invitabit, qui ab Epiſcopo gratiam impetraverit. Cùm verò feſta Revmi celebrantur, liberum erit Epiſcopo, an in quolibet actu iis, qui in altari miniſtrârunt, juxta morem Archiepiſcopalis Eccleſiæ Salisburg. & Cathedralis Olomucenſis aliquid pendere velit.

VII. Inſtituat quoties commodum, & neceſſarium, Viſitationem Generalem Cleri Diœceſeos, atque curet, ut inceptæ jam Viſitationes ad finem deducantur, imò etiam ſynodum, ſi ipſi viſum fuerit, cogat.

VIII. Immunitates & præcipuè Juriſdictionem Eccleſiaſticam Diœceſis Paſſavii pro virili ſua defendet & tuebitur; nec conſentiet unquam, ut præſens Eccleſiæ Paſſavii ſtatus in religionem ullam vel regularem, vel militarem mutetur. Communi quoque Clero coram illo negotia habenti, ſe benignum & gratioſum exhibeat. Nullis etiam quorumcunque Ordinum Religioſis in civitate Paſſavii vel propè, locum concedat ad ædificandum Monaſteria, Eccleſias, ad habendum & poſſidendum domos, & alia loca, ſeu Oratoria privata, niſi de Capituli peremptorii conſilio & conſenſu.

IX. Bona immobilia quæcunque Epus, item cenſus, redditus, & proventus inſuper & bona mobilia pretioſa, ſine Capituli peremptorii ſcitu, conſilio, & expreſſo conſenſu non poſſit vendere, permutare, donare, aut quovis alio titulo alienationis in alium transferre; ſed ſi Epus caſtra, ſeu bona Eccleſiæ Paſſavii pro utilitate & neceſſitate voluerit, aut debuerit alienare, ſeu impignorare, nec non alicui bona, aut Officium aliquod ad dies vitæ concedere; impignoratio ejusmodi, aut conceſſio effectum nullum habeat; multo minùs ſigillo Capitulari confirmetur & corroboretur, niſi illa cum præſcitu & conſenſu Capituli peremptorialis fiant; ita tamen, ut hujusmodi contractus utilis videatur Eccleſiæ, ſalva in omnibus conſtitutione Paulinâ. Attamen quia paſſim obſervatur, quòd ex locationibus bonorum vulgò amodiationibus Eccleſiæ commodum non adeò promoveatur, ſed communiter damnum oriatur; ſic bona non elocabit Epiſcopus: ſed ſi quæ adhuc elocata fuerint, in priſtinum ſtatum reſtituet, illáque idoneis, atque conſcientioſis viris, qui facilis conventionis ſint, adminiſtranda committet, qui cautionem perſonalem, & pignoratitiam actualiter hic in Epiſcopatu præſtent.

X. Cùm primùm fieri poterit, de omnibus bonis mobilibus Paſſaviæ, atque in Arcibus, Caſtris, & Domibus ubilibet conſtitutis, & ad Epum pertinentibus per Canonicos tam ab ipſo, quàm à Capitulo deputandos, ſufficiens & plenum inventarium conficiat, atque confici faciat; quod exinde dupletur, & in formam authenticam redigatur, atque ſigillo Epiſcopi & Capituli roboretur; quorum unum ipſe retineat, & alterum ad manus Capituli tradat.

XI. Pari ratione in ſpatio unius anni à die Poſſeſſionis adeptæ aſſignare teneatur Capitulo Urbarium authenticum omnium & ſingulorum bonorum, immobilium, decimarum, proventuum, cenſuum atque reddit, ad Epiſcopatum quomodolibet ſpectantium, & ubilibet locorum conſtitutorum, ſigillo quidem ſuo roboratum, quod per Canonicos à Capitulo deputandos, ad anti-

quà & nova, quæ adſunt, Eccleſiæ Urbaria conferatur, revideatur, & iis conformetur.

XII. Si Capitulum aut perſona aliqua Capitularis velit impignoratas res Eccleſiæ ſuper Caſtris, Teloniis, aut aliis obventionibus Epiſcopatus ab extraneis redimere, in quibus locus eſt redemptioni, permittat hoc Epus, & ut fiat effectualiter, diſponat, ita tamen, ut illa bona ſemper poſſint per Epum ſoluto eodem pretio redimi.

XIII. Singulis annis adjunctis ſibi à Capitulo duobus Canonicis ab omnibus Officialibus ſuarum Adminiſtrationum & Officiorum diligenter exigat rationem, niſi urgentiſſimæ cauſæ, de quibus Capitulo vel deputatis conſtare debet, impedirent, ut ratio ad alterum annum differatur. Prout etiam ad requiſitionem Capituli ſingulis annis perceptorum, & expoſitorum ſummariam reddat rationem, præſentibus duobus Canonicis à Capitulo deputatis, qui deinde ſtatum rei ad Capitulum referent. Quod ſi minùs bene adminiſtraverit rem domeſticam, Capitulúmque eum admonuerit, ejusmodi admonitionem benignè accipiat, malámque adminiſtrationem emendet.

XIV. Quidquid in Urbe pro confirmatione aliisque neceſſariis nec non pro impetrandis ab Imperatore Regalibus expendendum erit, impenſis Menſæ Epiſcopalis, ac ſubſidii charitativi prout moris, & absque jactura rerum Capitularium expediat.

XV. Inſuper concordata ante publicationem de ſua perſona facienda ſubſcribet, & confirmabit, eadémque firmiter & inviolabiliter ſervabit, & cum effectu omnia & ſingula in iis contenta adimplebit, dolo, fraude, & alia quavis calumnia ceſſantibus, omníque exceptione, diſpenſatione, aut interpretatione ſemota, juxta tenorem præſtiti Juramenti; nec ſi Capitulum efflagitaverit, confirmationem dictorum concordatorum propriis impenſis impetrare recuſabit.

XVI. Diligenter etiam obſervet, obſervaríque curet concordiam factam per Duces Bavariæ inter Revmum Dominum Erneſtum Adminiſtratorem & cives Paſſavienſes.

XVII. Ad Officia ùt ſunt utriusque Diœceſis Officialium ſupradictorum Præſidis Conſilii Aulici, Cameræ, & Conſiliarii, in Ordine ad Canonicos ex gremio ad illa aſſumendi ſunt: ſeniores tamen, ſi apti, junioribus præferendi, dato iis competenti ſtipendio, aut alio modo contentatis, neque (cùm ex diviſione & ſeparatione horum Officiorum major Eccleſiæ utilitas reſultet) impoſterum conjungantur. Hinc cùm Epus Paſſavienſis pro tempore eligere voluerit Judicem, Mgrum civium & ſenatum; nec non recipere juramentum fidelitatis à ſuis civibus & ſubditis, id ex hactenus laudabili conſuetudine fieri debet præſentibus duobus Canonicis Capitularibus, aut à Capitulo ad hoc deputatis; ſic ut fidelitatem jurantes diſcant agnoſcere Superiores, & Dominos ſuos vacante ſede, qua tamen in re Capitulum præſentiam ſuam, aut deputatorum non deneget. Nam ſi venire recuſaverit, nihilominus Epiſcopo ad electionem, & juramenti receptionem procedere liceat. Neque etiam requirat Epus, vel cogat Decanum per Capitulum electum, ut confirmationem ab eo recipiat, ſed ipſo facto pro antiquiſſima conſuetudine per electionem Capituli confirmatus ſit.

XVIII. Sinè conſenſu, & præſcitu Capituli æs alienum non contrahat, & annuatim exactiones impoſitas quas ſteuras appellant, integras perſolvat; nec in futurum tempus ſolutionem differat; neque pro ullo alio unquam fide jubeat.

XIX. Sunt etiam nonnullæ exactiones dictæ die Conſumptions Geföhl; ex quibus Epus debita Capituli integraliter ſolvet; & cùm ad bujusmodi ærarium una clavis Capitulo competat; ſingulis annis ii, qui nomine Capituli ad aſſumendas rationes fuerint deputati, etiam quintam partem recipient, quæ ad ſolvenda debita Capitularia ſine mora erit applicanda.

XX. Cùm Canonici in ipſa Eccleſia Paſſavſi Matre noſtra reſidentes ſint, tanquam Eccleſiæ ſenatus, & membra Capitis ſcilicet Epiſcopi, cui ex Officio

Officio ſedulò aſſiſtere debent: ut ita ad hoc tanto magis alliciantur, Electus vel poſtulatus non modò ad pixidem Capituli ſingulis annis 3000. fl. perſolvet, atque ut horum trium millium florenorum ſolutio futuris perpetuis temporibus etiam apud ſucceſſores in Epiſcopatu ſuam ſtabilitatem habeat, conformationem deſuper à Sede Apoſtolica impetrabit: ſed etiam quaſdam Eccleſias Parochiales, ſi vacaverint, videlicet Hoff-Kirchen, Tauff-Kirchen, ad flumen Tradnach in Auſtria, Aſpach, Maur-Kirchen, Altheimb, Pfarr-Kirchen, Pichel, Waizen-Kirchen, & Gapelzhoven, quarum nulla ultra diætam Paſſavio diſtat, ſemper Canonicis reſidentibus conferat, ita tamen, uti ſuprà dictum, ſeniores, ſi apti ſint, Junioribus præferantur; nec aliis de præfatis Eccleſiis provideat; multo minùs ſteuras, Cathedraticum aut quodcunque ſubſidium Charitativum ab iis ratione dictarum Eccleſiarum exigat, non obſtantibus quibuscunque conſtitutionibus imperialibus; imò potiùs juxta antiquam conſuetudinem, ſicut à noſtris Senioribus & Anteceſſoribus felicis recordationis percepimus, infra menſem à die Confirmationis, vel Conſecrationis ſuæ det facultatem, ſi ei ita viſum fuerit, toto tempore regiminis ſui, citra revocationem duraturam Decano & Capitulo concedendi curam animarum, Vicariis ſive Procuratoribus & Divinorum Cooperatoribus Eccleſiarum, quas Præpoſitus, Decanus, ſingulique Canonici ipſius Eccleſiæ N^{ræ} Paſ^{vi\^s} obtinent. Inſuper futurus Ep^{us}, cùm nemo ſit, qui ignoret, quæ damna Capitulum in proximè præteritis bellis ſit perpeſſum, itaque feudum aliquod devolutum mera benevolentia & paterno affectu ductus Capitulo ſuo attribuere non gravabitur, quod præſertim aucto & creſcente reſidentium Canonicorum numero, fertili ſubſidio veniat.

XXI. Omnes differentias, quæ vertuntur in cauſa Umgeldt vulgò vocata, nec non confinium, cum conſenſu & conſilio Capituli expediat.

XXII. Feuda quæcunque aperta, vel ad Eccleſiam devoluta, ad quasvis preces etiam Imperatoris, Regum, Principum, & aliorum nemini conferat, niſi priùs habito Capitulari Conſilio, & ſubſecuto ejusdem aſſenſu, pecuniáſque in hoc caſu percipiendas & perceptas, in nullum alium uſum quàm in ſolutionem debitorum, ac redemptionem impignoratorum bonorum ipſius Eccleſiæ impendat.

XXIII. Et ſi quidem feuda Eccleſiæ, quæ meritò inter ſumma Epat^{us} regalia numerantur, in ſua natura ſervanda ſunt, unde futurus Ep^{us} feuda caduca & aperta, per ſe purè maſculina, non in ſtemmata, aut plures lineas, ſed in unam ſolam conferat; multo minùs concedat, ut ad extraneos planè hæredes vulgò in durchgehende Lehen transferantur, cùm ſimiles infeudationes alienationem ſapiant, & in magnum præjudicium Eccleſiæ cedant.

XXIV. Electus, vel poſtulatus renunciabit pro ſe, & ſucceſſoribus ſuis omni juri feudali, quod Ep^{us} hactenus in quibusdam bonis, ac Decimis competit, & Capitulum jure feudi poſſedit; concedens venerabili Capitulo ſuo illis uti, & frui, ùt aliis ſuis bonis propriis, & allodialibus.

XXV. Inſtrumenta bellica, ùt ſunt Bombardæ, pulveres & alia bellico uſui deſtinata, nullo modo alienet, ſive diminuat, ſine expreſſo conſenſu Capituli.

XXVI. Deſtructas & ruinoſas Arces, ad admonitionem Capituli, quantùm neceſſitas poſtulaverit, & fieri poterit, reparet, atque ædificia ſic refecta, ſarta tectáque conſervet.

XXVII. Ep^{us} non aſpiret, vel aſſumat altiorem etiam Cardinalatus dignitatem, ſine præſcitu Capituli & Bulla Pontificia, qua cautum ſit, ut per haſce dignitates poſt ipſius obitum, quoad eligendi liberam poteſtatem Capitulo minimè præjudicetur. Item non reſignet, cedat, permutet, vel aliquid de Ep^{atu} reſignando diſponat, nec in Coadjutorem conſentiat, aut pro aliquo ullo unquam tempore intercedat, inſcio, & non conſentiente Capitulo peremptoriali; ſed eidem omnem diſpenſationem permittat; econtra verò, nec Canonici per clandeſtinam praxim pro Coadjutore vel pro Epiſcopo futuro vivente adhuc moderno confirmato, inſcio vel nolente ipſo, aliquid moliantur.

XXVIII.

XXVIII. Capitulum Paſſavienſe, & Mag$^{r.}$ Pontis & Leproſorum per civitatem Paſſavienſem ſint liberi ab omni exactione Datiæ, quæ Umgeldt, & Anſchlag vulgariter nuncupatur, adeò quòd de vinis ſuis, & bonis, quæ eos ſucceſſivè educillare, & vendere contingeret, nullatenus quidquam ſolvere teneantur, in cujuscunque poteſtate jus exigendi, ſeu recipiendi ejusmodi exactionem exiſtat in futurum; ita quòd liberè eadem vina educillare, ſeu alia utì bona ſua vendere poſſint & valeant cuicunque vel quibuscunque, etiam extra Civitatem Paſſavienſem, prout eis videbitur expedire, absque exactione prædicta, & omni impedimento. Non minùs ſinguli Canonici imò quicunque Beneficiati, & Clerici Civitatis Paſſ^{is} & ſuburbium ejusdem, de vinis & frumentis, quæ eos, & aliquem eorum in uſum domus ſuæ comparare contigerit, ſeu qualitercunque illa acquiret, à dictis exactionibus Umgeldt, Aufſchlag, pro tempore & quibuscunque illa aliis exactionibus per Civitatem Paſſavienſem ubilibet impoſitis, ſeu imponendis occaſione victualium hujusmodi liberi ſint omnino, & exempti, prout etiam jure communi cautum eſt. Sicut etiam Mg$^{r.}$ fabricæ à ſolutione annua quadraginta florenorum Rhenenſium olim ſolvi conſuetorum, ratione proclamandi mandata liber eſto; ſi tamen Ep$^{us.}$ neceſſitate poſtulante, & annuente Capitulo exactiones, ſteuras, ſeu ſubſidia qualiacunque Clero imponere compulſus fuerit, pecunias indè collectas non niſi in deſtinatum finem adhibito in omnibus Capituli Conſilio convertat, neque ut aliter fiat, Capitulum ipſum unquam conſentiat.

XXIX. Ep$^{us.}$ non ſerviat regibus, aut qualibuscunque Principibus ſine ſcitu, & expreſſo conſenſu Capituli.

XXX. Si futurus Ep$^{us.}$ per omnes Canonicos non fuerit concorditer electus, erga hos, qui eum non elegerint, nullas inimicitias exerceat, nec alias moleſtias directè aut indirectè quovis quæſito colore vel ingenio inferat, vel inferri faciat.

XXXI. Quoties contigerit Electum, vel poſtulatum pro quibuscunque negotiis tractandis ad Capitulum legationem aliquam mittere, non committat negotium D^{no} Decano, ſed aliis ſuis Conſiliariis Canonicis ſive ſecularibus.

XXXII. Neutralem ſe gerat erga Domum Auſtriæ, Bavariæ & regnum Bohemiæ, quantum fieri poteſt, præcipuè verò ſi differentiæ aut controverſiæ inter D^{nos} præſatos ortæ fuerint, niſi de conſenſu Capituli aliud conſuetum videatur.

XXXIII. Ep^{us} non ineat fœdus ſive ligam cum aliquibus Principibus, D^{nis} & Potentatibus, & aliis quibuscunque, quocunque nomine vel titulo vocentur, ſine Capituli peremptorialis Conſilio, voluntate, beneplacito, & expreſſo aſſenſu; & econtra Capitulum ſine Epiſcopi conſenſu expreſſo ſimilia quoque non tentet.

XXXIV. Spolia quod attinet, ſive diviſionem veſtimentorum, quæ juxta anteriora concordata mortuo Epiſcopo inter præſentes Canonicos fieri ſolebat, conveniet hac in parte Electus, vel poſtulatus cum Capitulo, & ſuper hac conventione impetrabit Confirmationem Apoſtolicam. Cum Capitulo pariter aget de iis, quæ durante ſuo regimine ad liberam ſuam diſpoſitionem annuatim pertineant.

XXXV. Si verò contingat illum decedere ab inteſtato, omnia mobilia, etiam qualitercunque pretioſa poſt mortem ſuam relicta remaneant apud Eccleſiam ipſam Paſſavienſem, exceptis iis ad liberam ipſius diſpoſitionem annuatim à Capitulo relictis, item Patrimonialibus, induſtrialibus ante adeptum Epiſcopatum acquiſitis, aut poſtea per hæreditatem vel alio quocunque modo ad eum devolutis, de quibus ipſi libera teſtandi, & diſponendi facultas eſto. Teſtari autem illi aliter non liceat, niſi de conſenſu Capituli peremptorii & ſecundùm Canonum inſtituta.

XXXVI. Inſuper cùm Eccleſiaſtica Sponſa Epiſcopi, ex munere & officio ſuo dignas DEO laudes perſolvere, Officia Divina obire, atque horas Canonicas in choro decantare, ſtipendio plurium perſonarum debeat, pro

quorum

quorum ſuſtentatione hactenus ex redditibus Cameræ Epalis pro Choraliſtis 554. fl. 5. ß. 10. Pf. pro reformatione chori 1500. fl. perſoluti fuerunt, unà cum Decimis in Mernbach: quia verò collectio prædictarum decimarum Capitulo ſatis difficilis, & moleſta eſt; quæ verò Epiſcopo mediantibus ſuis præfectis, ſub quorum territoriis ſitæ, facilior copia ſit illas exigendi, ſic modicum hoc onus ſponſæ ſuæ unà cum præſatis redditibus, atque ædibus ad has perſonas ſpectantibus in ſe ſuſcipiat, atque illas, quatenus ſub Chori nomine comprehenduntur, ſicut hactenus Capitulum conſuevit, alet, & ſuſtentabit, & ſunt (præter Confeſſarium Cathedralis Eccleſiæ ordinarium ex Ordine S. Franciſci ad S. Annam hìc Paſſaviæ, cujus monaſterio etiam ſicutì hactenus Capitulum, ita poſthac Epus dabit quotannis duodecim urnas vini, cum una ſcapha tritici) Parochus Eccleſiæ Cathedralis, ſex Vicarii, decem Capellani, Cantor, ſex Chorales, Muſici, Miniſtrantes, & Sacriſtani. Inſuper ſubminiſtrabit Epcus ex ſuo vinum tam pro Miſſarum Sacrificiis, quàm alios in uſus pro Divinis neceſſarium. Quousque verò non conſtiterit, qui bona illius fundationis poſſideat, ex quibus quadrageſimali tempore pro more antiquo viginti quatuor perſonæ im Kellerhoff fuerint alimentatæ, vulgò die Faſten-Suppen genandt, interea Capitulum hosce ſumptus feret. Et quamvìs omnis Jurisdictio ordinaria per totam Diœceſim Epiſcopo in Clerum ex diſpoſitione juris communis competat, ex quadam tamen hactenus obſervata conſuetudine Epus pro tempore exiſtens indulgeat jurisdictionem hujusmodi Venerabili ſuo Capitulo in Præpoſitum, & Decanum; nec non in perſonas ſingulorum Canonicorum Decano ſuo; & nomine Capituli in Vicarios Cathedralis Eccleſiæ, plebanum, ſubcuſtodem, oblajarios, & beneficiatos quoscunque, licèt alibi etiam extra Eccleſiam Cathedralem habeant beneficia, Chorales, Præbendiſtas Eccleſiæ Paſvii tam præſentium quàm abſentium, ita ut Epus ſibi in easdem perſonas nullam jurisdictionem per ſe vel alium exercendam aſſumat, neque contra eos in ſpiritualibus, & temporalibus procedat, niſi in criminalibus criminaliter intentatis, ubi ad privationem officii vel beneficii procedendum eſſet. Eandem jurisdictionem ordinariam concedat Epus Capitulo, & Decano reſpectivè in bona decedentium præfatarum perſonarum. Verùm inſtitutiones ſeu proviſiones quorumcunque beneficiorum in Eccleſia Cathedrali Paſvi fundatorum ad Epum ſpectantium nullo modo per præmiſſa cenſeantur Epiſcopo ademptæ, ſed quoad Paſtores ſeu plebanos, Vicarios perpetuos, vel temporales ac Proviſores, nec non Cooperatores, ac Capellanos Eccleſiarum Capitulo incorporatarum ubicunque locorum ſitarum attinet, omnem jurisdictionem, cognitionem & coërcitionem Capitulo liberè relinquet. Hujusmodi tamen Paſtoribus, Vicariis, ac Cooperatoribus, ubi ſe gravatos exiſtimaverint, integrum ſit, ad Epum provocare. Quòd ſi in literis incorporationis majus jus Capitulo, quàm in præmiſſis eſt expreſſum, fuerit conceſſum, dummodo de eo legitimè conſtiterit, uti eo ſit ipſi pariter indultum. Similiter familiares Præpoſiti, Decani & ſingulorum Canonicorum, nec non Vicariorum & Beneficiatorum, Præbendiſtæ, Æditui, ac alii Capituli & Eccleſiæ ſervitores in cauſis civilibus ad examen judicis civitatis minimè pertrahantur, ſed Jurisdictioni Decani pro tempore exiſtentis ſubſint: qui tamen Decanus debet ſibi aliquem Canonicum adjungere, cujus conſilio de cauſis cognoſcat: ídque locum habet in omnibus, niſi eſſent aliqui ſpecialiter privilegiati, utì eſt Magr. Pontis.

XXXVII. Cùm ardua utì de ſtatu Eccleſiæ, de hoſtibus arcendis, tuendis ſubditis, & hujusmodi fuerint tractanda negotia, Capitulum per Revmum convocari debet. In ea tamen conſultatione, & tractatione voces non colligantur eo præſente, ſed ſeparatim in conſeſſu Capitulari; & quidquid capitulariter concluſum fuerit per unum ex Canonicis Epiſcopo inſinuetur.

XXXVIII. Epus ad loca remotiora ad aliquod tempus ob quascunque cauſas Paſſavio diſcedens, unum, quem voluerit ex Capitulo in Locumtenentem, & non alium conſtituat.

XXXIX. Cùm olim in magnis feſtivitatibus præſertim Paſchæ, Aſcenſionis D^ni^, & Pentecoſtes Ep^us^ ad oſtendendum paternum erga ſuos Canonicos animum & Clerum chori poſt auream novam (uti vocant) ex laudabili conſuetudine vocârit ad collationem, impoſterum omittatur, & loco ejus quavis vice præſentiæ 10. fl. diſtribuantur,

XL. Item Ep^us^ cuique Canonico, qui uni ex duobus peremptoriis præſens interfuerit, cervum in æſtate & cervam in autumno tradi curabit.

XLI. Conſtat etiam multitudinem privilegiorum, libertatum, & immunitatum hactenus ab Epiſcopis civibus liberaliter conceſſarum, iiſdem occaſionem inſurgendi contra Ep^um^ dediſſe: poſt hac igitur ex antea actis cautior factus, nulla alia nova Privilegia, libertates, immunitates, levandæ pecuniæ cauſa, civitati & civibus ipſis pro parte, vel in totum perpetuis temporibus elargiatur & cedat ultra ea privilegia & immunitates, quæ priùs civitati & civibus ipſis per ſæpe dictos Dominos Epiſcopos Anteceſſores conceſſa ſunt, & quæ civitati ipsiſque civibus per Ill^mos^ Principes & Dominos Dominum Wilhelmum, & Dominum Ludovicum Comites Palatinos Rheni, & utriusque Bavariæ Duces per ſuas Ill^mas^ Celſitudines publicatæ fuerunt.

XLII. Immunitates, Jura, & Privilegia Colonis Dominii in Caſtro Ratzmanſtorff, qui Biſthumber & Schlöſſer appellantur; & civibus in Windorff; item illis quoque qui vulgò Stephaner vocantur, vigore antiquorum concordatorum integra & ſalva permaneant; & quia horum poſtremorum Jura à Ducibus Bavariæ ab aliquo tempore impugnantur, iisq; ſubtracta ſunt, omnem adhibeat operam Electus, vel poſtulatus, ut cuncta in antiquum ſtatum reponantur, & reſtituantur.

XLIII. Epiſcopus ſeminarium ſecundùm formam à Concilio Trident. præſcriptam, quoad fieri poteſt inſtituat. Interim tamen usque ad inſtitutionem prædicti ſeminarii, cùm magna ubique ſit penuria Sacerdotum, & charitas multorum refrixerit, paucique ſint, qui pauperum ſcholarium curam ſuſcipiant, teneatur electus vel poſtulatus viginti quatuor Scholares alere, illiſque de alimentis ſingulis diebus providere, quemadmodum etiam priores felicis recordationis Epiſcopi jam defuncti fecerunt, qui omnes Choro & Eccleſiæ diligenter inſerviant, & Decani jurisdictioni in Choro ſubjiciantur. Ut autem hujusmodi numerus completus maneat, allaborabit Electus, ut omnes tam inferioris quàm ſuperioris Auſtriæ penſiones etiam regularium Eccleſiarum diligenter exigantur, & à Regente ſingulis annis omnium expenſarum, & perceptorum rationes tradi, & à quibusdam deputatis examinari curabit.

XLIV. Epiſcopus non det facultatem, nec Officiali, nec Decanis ruralibus in diſtrictu Officialatus ſupra Onaſum decidendi ſive judicandi cauſas matrimoniales, quandoquidem cognitio earundem ad Decanum Eccleſiæ Paſ^vis^ pertinere dignoſcitur.

XLV. Ad Decanum quoque ſpectat traditio poſſeſſionis omnium Beneficiorum quocunque nomine vocentur, & cujusque illa ſint collationis in Eccleſia Cathedrali & ejus ambitu conſiſtentium, nec non Eccleſiarum S. Pauli, & S. Ægidii: atque in ea Electus, vel poſtulatus Decano nullum faciat impedimentum.

XLVI. Epiſcopus tempore Peſtis, nec non aliis omnibus Capituli neceſſitatibus, invaſionibus atque bellis eidem manum efficaciter porrigat defenſivam; Caſtrum unum vel plura Capitularibus pro hujusmodi ſecuritate, & defenſione aſſignando, quæ illis ſemper ad certum refugium mandato Epiſcopi pateant.

XLVII. Idem Ep^us^ jus integrum permittat Capitulo, in collatione Eccleſiæ S. Pauli & aſſumptione Cuſtodis; ſimiliter in receptione Canonicorum menſe Capituli, ita ut nec directè nec indirectè Capitulum ullo modo compellat, ut præter ſuam voluntatem aliquem recipiat, imò nec indultum ullum ſeu jus diſponendi de Canonicatibus, præbendis, ac aliis quibuscunque Beneficiis ipſius Capituli à Sede Apoſtolica, vel alibi impetret, aut impetratis ſeu im-

impetrandis, quibus ordinaria Capituli collatio in menſe Capitulari impediatur, quovis modo utatur.

XLVIII. Quandocunque Capitulum, aut ſingulares ejusdem perſonæ habuerint, vel in Cancellaria D^ni^ Ep^i^, vel apud ejus Officiales negotia quædam, in quibus literæ expediendæ ſint, ejusmodi ipſis ſemper gratis, & absque ſolutione alicujus taxæ aliàs ſolvi conſuetæ expediantur.

XLIX. Ep^us^ nullum poſthac Caſtellanum, vel Præfectum recipiat, vel ei fortalitium & caſtrum, aut Præfecturam committat, niſi idem Caſtellanus ſeu Præfectus literis patentibus ſuo ſigillo, aut alio authentico ſignatis ſe obliget, atque in manus Epiſcopi, vel cui id ille commiſerit, in præſentia duorum Canonicorum Capitularium debito juramento fidelitatis ſe adſtringat, nimirum ſe fidelem, & obedientem futurum ipſi Epiſcopo, eo autem defuncto, Decano & Capitulo, & ei, qui per ipſum Capitulum concorditer & à majore parte fuerit canonicè Electus, ùt moris eſt, qui etiam Decano, & Capitulo ſpecialem obligationem literis patentibus modo prædicto ſigillatis, & Germanica Lingua conſcriptis dabit. Forma autem obligationis de verbo ad verbum ſic ſe habet:

Ich N. zu N. Bekenne, als der Hochwürdigiſt Fürſt, und Herr N. mein gnädigſter Herr mich zu Sr. Fürſtl. Gnaden Pfleger aufgenommen, und mir Sr. Gr. und deſſen Stüfft, Schloſs, und Herrſchafft N. zu verwalten anbefohlen hat, vermög meines von Sr. Fürſtl. Gnaden deſtwegen gegebnen Beſtands; herentgegen ich dann Sr. Fürſtl. Gnaden Pflichtung gethan Innhalt meines Revers, ſo ich Sr. Fürſtl. Gnaden gegeben, in welcher meiner Pflicht unter andern beſtättigt, daſs nach Sr. Fürſtl. Gnaden Todt, den GOtt lang verhüten wolle, ein Capitul zu Paſſau, oder den von dem mehrern Theil zum Biſchoff erwählet wird, ermeldtes Schloſs ein offenes Hauſs gegenwärtiglich ſoll ſeyn; wann und alsofft ſich auch begäbe, daſs (wañ kein Biſchoff wäre) ein Hochwürdig Thum-Capitel in das allbereit meiner Verwaltung Schloſs Leuth zu legen nothdürfftig wurde, daſs ich darein kein Irrung thue, doch daſs ſolches ohne mein Coſten und Entgeldt beſchehen ſolle, auch ſonſten getreu und gewärtig zu ſeyn, derſelben und des Stüffts Frommen in allen Sachen zu befördern, Schaden zu warnen, und zu wenden, auch mich in allweg halten, wie ein getreuer Diener ſeiner Herrſchafft zu thun ſchuldig, und pflichtig iſt. Getreulich und ohngefährlich, daſs ich obbenanter N. demnach bey meinen wahren Treuen an Aydsſtatt, alles das hieoben bemeldt iſt, wann ſich der Fahl obgedachtes meines Gnädigſten Herrn Ableibung begäbe, und ich dieſelbe Zeit mit ermeldtem Pfleg-Ambt, und dem Stüfft noch verbunden wäre, gegen einem Hochwürdigen Thumb-Capitul, oder ermeldten Biſchoffen vermög meines Beſtands-Brief getreulich zu vollziehen, gelobe, und verſprüche; des zu wahren Uhrkundt, gib ich mehr gedacht meinem Gnädigen Herrn einem Hochwürdigen Capitul dieſe Bekanntnuſs mit meinem eignen Inſigl verfertigt. Gegeben und geſchehen. &c.

L. Et quia ibi debet major cuſtodia eſſe, & arctior obligatio, ubi majus periculum Eccleſiæ imminere poteſt, aliàs à Majoribus eſt obſervatum, quicunque Epiſcopus vel Coadjutor Caſtellanum Arcis S. Georgii ſupra Civitatem Paſſavienſem vulgò Oberhauſs vocatæ acceptaverit, tunc poſſeſſione ſive cuſtodia arcis habita, idem Caſtellanus præſente Epiſcopo vocata univerſa familia ipſius Caſtellani, duobus Canonicis ad hoc à Capitulo deputatis, ultra præmiſſa jurare debet, ſe defuncto Epiſcopo neminem in arcem intromiſſurum; niſi Decanum & Capitulum vacante ſede, & deinde eum, qui per ipſum Capitulum, aut à majori parte Canonicorum fuerit Electus. Alias inſcriptiones in morem aliorum Caſtellanorum nihilominus dare ſimiliter teneatur.

LI. Cùm Eccleſiam S. Ægidii trans pontem Oeni vacare contigerit, Capitulum eandem uni ex Canonicis Capitularibus conferat, cui Epiſcopus exinde pontis atque leproſariæ officia pariter conferre teneatur. Poſtquam autem ſecundariò vacaverit, cui Canonico Epiſcopus commiſerit & contulerit

Pontem, eidem Capitulum Eccleſiam quoque ſine refragatione conferat: qui modus alternationis amodo perpetuis futuris temporibus obſervetur.

LII. Teneatur etiam Electus ſeu poſtulatus oblajario Capituli ſingulis annis ex redditibus Menſæ Epiſcopalis ſolvere ſex florenos, & quatuor ſolidos denariorum uſualis monetæ, tres ad hiſtoriam in Octava omnium Sanctorum, reliquos tres, & quatuor ſolidos ad anniverſarium fundatum à Balthaſare de Starnberg.

LIII. Quia ad Capitulum ſpectat proprietas & poſſeſſio areæ (quam vulgariter den Hoff und Wöhr vocant) videlicet ab aquilone versùs Danubium ab Oriente ad portam Palatii Conſulis, ubi jacet lapis ſanguinis, aliàs Wechslſtain, versùs Occidentem uſque ad urbis murum, qui die Wöhr appellatur, versùs auſtrum ad flumen Oeni, idcirco intra eundem ambitum nemo quidquam diſponere aut ordinare, niſi ſecundùm beneplacitum, & voluntatem Capituli præſumat, ùt habetur ex privilegiis & donationibus bonæ memoriæ quondam Conradi & Bertholdi Paſſav[is] Eccleſiæ Præſulum.

LIV. Ad eundem modum, cùm Canonici Eccleſiæ Paſſav[is] in ſuis curiis, quas inhabitabant, nec non in ædibus Capitularibus & Kellerhoff, ac aream, quam vulgariter den Herrn-Hoff und Wöhr vocant, ſint ſpeciali immunitate & libertate privilegiati, adeò ut nemini liceat, neque juſſu Epiſcopi, nec ſuorum Conſiliariorum, aut Miniſtrorum ipſius, nec etiam per Judicem civitatis, aut civis Paſſ[vis] aut per quamcunque aliam perſonam capi, detineri, aut aliàs in rebus & perſonis moleſtari, niſi de expreſſo conſenſu Capituli; hoc privilegium impoſterùm quoque inviolatum ſemper conſervetur.

LV. Epiſcopus pro tempore non ſolùm cauſas contra Capitulum nulli committat, ſed eaſdem in propria perſona audiat, & decidat, niſi peregrè & longe abfuerit: tunc poterit ex juſtis cauſis eaſdem alicui perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ committere, reſervata ſibi ſententia in propria perſona ferenda. Sed etiam contra Canonicos primam inſtantiam Decano & Capitulo permittat.

LVI. In Eccleſiaſticis denique beneficiis conferendis Epiſcopus talem ſe Canonicis ſuis exhibeat, ut Patrem potiùs quàm Dominum ſe gaudeant elegiſſe. Pariter tanquam dilectus Eccleſiæ ſuæ Sponſus quamprimùm ceſſante temporum calamitate fieri poterit, certam reddituum ſummam facta aſſignatione conſtituat, quæ non ſolùm pro conquirendis rebus & paramentis Sacriſtiæ Cathedrali deficientibus, verùm iis poſtea conſervandis ſufficere poſſit; atque etiam ut Cuſtodi hactenus pro more aliarum Cathedralium Altari precariò deſervienti aliqua exinde merces obtingat.

De omnibus & ſingulis præmiſſis, ac earum qualibet à Sede Apoſtolica, aut aliis quibuſcunque idem Epiſcopus non impetrabit diſpenſationem aliquam per ſe, aut alium publicè vel occultè, directè vel indirectè, quovis quæſito colore; & etiam diſpenſationibus impetratis vel impetrandis nullatenus utetur.

Si controverſiæ, quod DEus avertat, inter futurum Epiſcopum & Capitulum orirentur, ad eas componendas controverſias Epiſcopus Ratisbonenſis, III. & Eyſtadienſis conjunctim, aut ſeparatim pro mediatoribus rogabuntur.

Electio. Hæc ita concluſa, approbata, & jurata, atque in majorem rei fidem à præfatis Rev[mis] D[nis] D[nis] Capitularibus ſubſcripta, & ſubſignata fuerunt, anno, menſe, & die ùt ſuprà &c.

Poſt dies indè duos ſuffragationibus canonicè corrogatis denique prodiit Sebaſtianus, electus die 10. Martii anno 1673. obtinuit ab Urbe primùm Confirmatio. Breve Adminiſtrationis die 10. Junii, deinde Confirmationis die 26. Octobris. Ut autem unà cum Paſſavienſi mitra etiam Lavantinam retineret, etſi neceſſitates fabricæ cauſaretur, ſtudiúmque etiam ſuum Cæſar adponeret, non impetravit. Nam præterquam, quòd redditus Paſſavienſes eſſe conſtaret luculentos; præterea opinio eſſet in relictis à Deceſſore ſuppetere pro fabrica nummos aureos centies mille, obſtabat potiſſimùm ſpatii longioris, quo inter ſeſe Epiſcopatus iſti disjuncti ſunt, intervallum. Ne tamen nihil indulgeretur, remiſſa

remiſſa penſionis (Romanam taxam appellant) pars, octo duntaxat florenûm millibus explicata.

Res primùm improſperæ.

Principia regiminis acerbior etiam fortuna corrupit. Cùm enim novus Antiſtes ingenti cura, & impendiis novum opus facere pergeret; ad hæc propter agitatum ab anno 1667. bellum Gallicum, indéque excipiens Turcicum, oneribus Imperii tolerandis graves eſſent imponendæ ſummæ, fræna momordêre ſubditi, ſic ut eis ad officium revocandis eſſent etiam ſuppetiæ Circuli Bavarici, imperiô Cæſaris, evocandæ. Succeſſit deinde irruptio Turcarum, quâ ditio Schwadorffenſis, & quidquid eſt quæſturæ Königſtettenſis cum caſtris attinentibus, eandem cum cæteris agri Auſtriaci paupertinis ſubiêre ſortem, exuſta funditus & everſa. Mox à principio curam omnem adhibuit exſolvendi ſe lite, quæ cum Salisburgenſibus intercedebat: résque erat in eo, ut *ſacra congregatio conſiſtorialis, dum electio Sebaſtiani Epiſcopi examinaretur, nihil ſuper hoc puncto definire vellet*: uti refertur in Summario. Quare titulo quodam poſſeſſionis uſus ipſe, Faſtis Eccleſiæ Paſſavienſis, ſeu Kalendario Capitulari luce palàm præſcripſit hæc verba: *Exemptæ Eccleſiæ Paſſavienſis*; quæ res oculos Salisburgenſium tantò acriùs advertit, ſtimulúmque ſubdidit litigii de integro vehementiùs inſtaurandi.

Cura de lite exemptionis abſolvenda.

Id tamen nihil moratus Epiſcopus pergebat nihilo minùs in Officiis Pontificalibus adhibere cultus Archiepiſcopales: Crucem; numerum, ùt ſolet, ſeptem candelabrorum, aliáque in hunc modum; idque præ ſe tam *in Proceſſu Romano*, quàm *uſu actuali* ferebat.

IV.

1674.

Cura Paſtoralis.

Ad curam ovium ſtrenuè ſeſe accingebat, miſſis ad ſingulos curiones libellis doctrinam Catholicam explicantibus: cujusmodi mandatum anno 1674. die 19. Novembris ad Officium Paſſavienſe, quod Viennæ reſidet, transmiſit; Libellus erat cum titulo: *Doctrinæ Chriſtianæ Catholicæ Magiſter*: eidem Celſiſſimo Principi dicatus; cujus exemplaria duo Parochis viritim diſtributa voluit.

1675.

Egregiam planè formulam adminiſtrandæ pro debito animarum curæ paſtoribus per Vicarios ſuos inferioris pariter, ac ſuperioris Auſtriæ præſcripſit, cujus exemplum in Codice Auſtriaco viſitur, ubi numeros omnes Officii Paſtoralis: de ſacris liquoribus in tempore procurandis: de Communione Paſchali: de obſervandis jejuniis, aliiſque Catholicæ notæ ritibus: de explicanda ſtatis temporibus doctrina Chriſtiana: de Sacramentis ordine, exactéque miniſtrandis, aliáque ejus generis exequitur: datum è Curia Paſſavienſi Viennæ propter ædem Divæ Virginis ad gradus. Die quinta Aprilis. Anno 1675.

Inciderat eodem anno Jubilæum, quo ſolenne eſt, ut Epiſcopi ad exponendas officii ſui rationes evocentur Romam. Clemens Papa Decimus Eccleſiæ moderabatur: ad Eum Sebaſtianus deſtinabat Legatum; útque eo rectiùs de ſtatu Eccleſiæ ſuæ Pontificem edoceret, dimiſſo ad Prælatos, & Decanos utriusque Auſtriæ mandato de modo Cleri, Parochorum, Curionum, Eccleſiarum, oviúmque ſuæ diœceſis ad ſeſe referri generatim voluit. Interceſſit edicto Officium Cæſareum, cui videbatur ea res ad ſpeciem quandam ineundi popularium censûs pertinere: invocatus ab Epiſcopo Cæſar per epiſtolam die 28. Martii, ejusdem anni 1675. exaratam: reſponſum tulit, rem hactenus inſuetam, ſimilémque deſcriptioni provinciæ; præterea monaſteriis, aliiſque locis exemptis fraudi futuram (nedum aliæ rationes politicæ ederentur) uti ab Regentibus improbatam, ita videri eodem loco relinquendam: datum Viennæ die 23. Aprilis anno 1675.

V.

Obſequium in Auguſtam Domum à teneris hauſtum adeò fervidè coluit, ut nihil eſſet eô ad nutum omnem Leopoldi Cæſaris obſequentius; curarétq; pro viribus, quantum Eccleſiæ paterentur jura, morem in omnibus gerere; meritus idcirco, ut Monarcham ſemel, ac iterum in palatio ſuo diverſantem haberet.

1676.

Nuptiæ Auguſtales Paſſaviæ celebratæ.

Annus 1676. Paſſavio lætus effluxit Auguſtis hymenæis inter Leopoldum Cæſarem, & Eleonoram Magdalenam Neoburgicam: Officii nihil omiſit An-

tiſtes, nihil ornamenti: tres arcus in triumphalium modum erexerat, in quibus is, qui juxta palatium Epiſcopale ſurgebat, aſpectandum dabat genium, Antiſtitis ipſius perſonam, Apoſtolici Nuncii munere pro actu deſponſationis fungentem. Sacræ Ceremoniæ die menſis Decembris quartâ decimâ in ſacello epiſcopali peractæ Sebaſtiano procurante.

VI. 1677. Primum lapidem Templi Jeſuitici ponit.

Templum Jeſuitarum Paſſavii novum à buſto ſurrexerat, antiquatô ſuperioris temporis interdictô, in cujus fundamentis primum locavit ſaxum, cui inſerta membrana cum epocha his verbis inſcripta: *Anno ſalutis M.DC. LXXVII. gubernantibus Eccleſiam Innocentio XI. Imperium Romanum Leopoldo I. Auſtriaco. Epiſcopatum Paſſavienſem Sebaſtiano. Societatem JESU Præpoſito Generali P. Joanne Paulo Oliva. Provinciam Auſtriam P. Nicolao Avancino.. Collegium Paſſavienſe P. Everbardo Hirſperger. Fundato priùs eodem Collegio Anno MDCXI. à Sereniſſimo Leopoldo Archiduce Tyrolenſi ex domo Auſtriaca, eodémque Epiſcopo Argentinenſi, & Paſſavienſi: templi hujus primum lapidem fundamentalem ad honorem DEI ſub patrocinio S. Michaëlis Archangeli poſuit Celſiſſimus Princeps Epiſcopus Paſſavienſis Sebaſtianus ex Comitibus de Potting, menſe Julio die 31.* ſic ibi: ſequentis indè Novembris quartâ decimâ die aram ejusdem Eccleſiæ Principem Divo Michaëli Archangelo, cæteráque ſex altaria ſuis quæque Sanctis conſecravit labore ab ſexta matutina ad horam à meridie primam extracto.

1678. Conſecrat templum Lincii.

Anno 1678. Dominica prima Septembris, quæ tunc erat dies menſis ejusdem quarta, Sebaſtianus Eccleſiam Societatis in urbe Lincenſi, honoribus ſancti Patriarchæ Ignatii recèns erectam, adſiſtente Comite Franciſco Antonio de Loſenſtein Capituli Præpoſito; Comitantibus Weichardo de Solm, & Erneſto de Thun Canonicis Paſſavienſibus conſecravit.

1679. Statuit legem jejunii pro Feſto Immacul. Conc.

Anno 1679. populabatur Auſtriam lues epidemica poſt hominum memoriam funeſta: metus etiam Paſſavienſibus incubuit: propitiati religionibus Divi; illud imprimis curatum, quod è religioſa Cæſaris mente erat intimatum Antiſtiti, in hanc ſententiam: uti pro more aliarum juris hæreditarii provinciarum, etiam in Auſtria ſuperiore Immaculatæ Virginis Conceptioni Sacramentum ritè diceretur, præviôque quotannis jejuniô ſolennis ageretur dies. Nihil cunctatus Præſul audito procerum unanimi ſtudio decrevit legem jejunii per diœceſim in poſterum ab omnibus ſanctè ſervandam.

VII. 1680. Iteratum incendium urbis Paſſav.

Anno 1680. die 29. Julii, quo ipſo tempore Sebaſtianus in oppido vicino Rernbach venandi gratiâ verſabatur, circa horam à meridie primam è cœnobio Virginum Nidernburgenſium emicuit flamma, quæ ocyùs propagata miſellam urbem nondum è nuperno buſto eluctatam altera jam clade nunc demum afflixit funditus, præter unam S. Pauli Eccleſiam, ædéſque pauculas, reliquis omnibus cum ipſo Oeni ponte, partibúſque trans. Oenanis, ferente peſtem vento, corruptis. Ita labor, ac ſumptus annorum octodecim, in reficiendas cùm urbis, tum baſilicæ, palatiíque fabricas impenſus, præterea apparatus omnis abiit in auras; jacturâ graviſſimâ rei tabulariæ, archivariæ, documentorum, rationum, cauſarum, aliorúmque codicum manuſcriptorum, quos eadem peſtis ad imum hauſit.

1683. Leopoldus Cæſar Paſſavium ſe recipit ob Turcas Viennam obſidentes.

Annus 1683. uti diœceſim Paſſavienſem funeſtis cladibus, extremôque ſummæ rei periculô, Chriſtianum orbem reliquum pavore & luctu, ita ſalutaribus pœnitentiæ lacrymis omnes implevit. Ottomanni inundaverant Auſtriam; profugus ab ſede ſua Cæſar. Paſſavia receptum Auguſtæ familiæ dedit. Interea premente Viennam hoſte quæſitæ Paſſavienſibus omnes placandi Numinis viæ: propoſitum ex pulpitis omnibus ab Epiſcopo edictum, quo diſtrictè imperabatur, uti intra ſpatium dierum quatuordecim, omnes ac ſinguli Paſſavienſium, Confeſſione culparum cum DEO redirent in gratiam; myſteria ſacroſancta perciperent, onerata quoque religionibus conſcientia patrum familias, ut hoc imperium accurarent ab ſuis ſine tergiverſatione compleri. Negant Annales noſtri ardorem illum exterorum pariter, atque popularium, ſummíque infimíque ordinis hominum ad ſacra tribunalia promiſcuè concurrentium, proſtratis corporibus, ſublatis in cœlum oculis, manibus, pacem Superûm gemebundis vocibus deprecantium, explicari pro dignitate poſſe.

Digitized by Google

poſſe. Quin ipſi, quos valetudo prohibebat inſiſtere pedibus, eluctati è grabatis, ne ſocietate communis pœnitentiæ carerent, alieno miniſterio ſellis inferebantur in templa coram Sanctiſſimo Sacramento in conferta multitudine ſeſe in preces, & gemitus effundebant. Tam copioſam, támque illuſtrem hominum frequentiam adeò prolixæ, adeóque ſinceræ pietati navantem, ajunt, eatenus in templis conſpectam haud eſſe. Congregatis interea Sarmatarum, Bavarorum, Saxonum, aliorúmque Imperialium ſubſidiis appetebat articulus aleæ cum hoſte tentandæ: quæ uti è voto caderet, religioſiſſimus Cæſar Paſſavii, cùm atram illam rerum periclitantium noctem inter illuſtria pietatis exempla, ſuum nempe morem exigeret, aciem & ipſe ſuam ſolvendæ obſidioni explicuit, comprecationem publicam, ad quam non cives modò in ſua tributi vexilla, ſed omnes è vicinis monaſteriis Prælati ac Cœnobitæ convocati ſunt: proceſſum eſt ex Baſilica Cathedrali ad Eccleſiam Jeſuitarum; pompâ nunquam hactenus ea in urbe viſâ: in principiis gradiebantur Urbani Paſſavienſes; ſequebatur ordo cœnobiticus; inde Clerus ornatu candido, cereisque lucentibus; excipiebat veneranda ſeries Procerum Cathedralium, bini & bini: poſt hos Celſiſſimus loci Princeps Antiſtes cum Prælatis quatuordecim Infulâ Pontificali tectis; poſtremò Auguſtiſſimus Cæſar cum Legatis tribus: Pontificio, & Hiſpano, & Veneto, totiúsque aulæ comitatu: conſonabant compita lugubribus ſupplicantium clamoribus, ex imo pectore in cœlum emiſſis: comploratio, gemitus, demiſſi in terram vultus, ſuffuſi lacrymis oculi, ſcena denique univerſa ad incredibilem animorum motum compoſita; præterea jejunium omnibus indictum rigidiſſimum, quo abdicatn per diem cibo poſt occaſum modò Solis in cœnæ vicem ponebatur panis & aqua; id quod ab omnibus arcta religione ſervatum marcentes univerſim foci, & tecta fumis diem totum inania prodebant. Ita dies & ille, & qui ſecuti ſunt, acti continente luctu, gemitu, concurſatione templorum, dividendis eleemoſynis, affligendis corporibus, ſcelerum inveteratorum egerendis ſordibus, feriis vitæ in melius commutandæ decretis, aliiſque innumeris contriti cordis operibus, adeò, ut quod in faſtis noſtratibus legere eſt, modus non ſuppetat, illum animorum motum, curásque ad emolliendum cœlum unicè converſas abſentium oculis ſcribendo ſubjicere. Dum tandem menſis September medius laureatis nunciis curas Chriſtiani orbis levavit. Illud ſubjicit Horneggius, ex eo tempore, quo Aula Cæſarea Paſſavii verſata eſt, pretia rerum, quæ per eam occaſionem ſeſe admodum intenderant, nunquam indè ad priorem modum fuiſſe laxata; quum antea quaſi aureum tempus ob rerum venalium vilitatem extiterit.

Fabricam templi principis Antiſtes ſtrenuè promovit. Nam præter fornicem abſolutum, ornatus etiam interiores inſtituit; Anno 1684. fornicem chori anterioris cum ejuſdem parietinis, præterea duobus ad latera altaribus in capite ſitis, opere plaſtico veſtitos vidit, artifice Joanne Bap. Carlon, cui merces operæ perſoluti ſunt, florenni mille trecenti. Itidem pro reliquis octo, quæ hinc atque inde ad latera baſilicæ conſiſtunt, ſacellis cruſta fictili ſimiliter inductis numerati ſunt florennûm millia tria cum quadragintis; præterea vini melioris Auſtriaci urnæ decem. Eodem temporis conventum de pretio marmoris cum Andrea Doplero cæſore lapidum; in portiones ſingulas æſtimatione conſtituti tres & triginta crucigeri, excepto marmore coloris rubei, in quod appenſi crucigeri duo & viginti. Sacellum aulicum ejuſdem generis ornamentis veſtivit: & nobile illud picturæ genus, quod in Baſilica viſitur, penicillô celebris Apellis Don - Gallo perfectum, grates pariter Sebaſtiano debet: altaria duo, quæ utrinque ad latus templi, ordine prima ſunt, ejuſdem impendiô ſtant. Sub eodem itidem fundari cœpta Zytopœa in Hakelberg, cum diæta & aula, & appendicibus. VIII. 1684. Curat fabricam Baſilicæ Paſſav.

Anno 1684. cùm Legatus Cæſaris plenipotentiarius, ùt nominant, in Comitiis Ratisbonenſibus Marquardus Aichſtettenſis Epiſcopus diem ſuum obiiſſet, ad eam Spartam vocatus eſt Sebaſtianus, qui detrimentis domeſticis nihil penſi habitis putavit tanti, ut Cæſari ac Reipublicæ ſtudium commodaret ſuum. Eam provinciam uti magnifico admodum in urbem Ratisbonenſem ingreſſu Legatum agit Cæſaris Ratisbonæ.

Valetudine mentis laborat.

ingreſſu eſt auſpicatus, ita peregregia geſsit laude in annum quartum. Verùm ùt ſunt humanæ vices, ac magnarum etiam fortunarum pediſſequa tædia, mœroréſque; & illa magnis etiam mentibus veluti ſolibus oboriri ſolita defectio, ſi quem experiantur luminibus officientem ſuis, ita Sebaſtiani res ad extremum evaſit: ſeu mœror is fuit (quod opinati ſunt ſuſpicaces arcanorum genii, Horneggius etiam, quo utimur, literis mandavit) ob Collegam Comitem Windiſchgrazium raræ mentis, atque exiſtimationis virum, quicum ob æmulationem pompæ, aliáſque negotiorum tricas ajunt ei vitam injucundam fuiſſe: ſeu quod potiùs exiſtimem, laborum pro republica ſuſceptorum intentio; ſenſit humanum quid optimus Princeps, eóque coactus locum deſerere, Paſſavium revectus eſt, ubi eodem valetudinis deliquio reliquum vitæ ſecretus egit illo, quod in clivo propter ædem Divæ Virginis Auxiliatricis ſitum eſt, domicilio tractatus, & obſervatus è condigno; curas interim Eccleſiæ ſuſtinentibus Adminiſtris à Papa, & Capitulo conſtitutis. Alii defectionem illam halitibus venenoſis cocturæ chymicæ tribuerunt; quam artem & deperibat ipſe, & egregiè callebat, & impendiis haud mediocribus exercebat: quidquid id erat, hunc exitum ille vir habuit, haud dubiè, quòd acceptus erat Deo, camino tribulationis ad obrizum excoctus.

IX. 1689. Obiit anno 1689. die 16. Martii ſub horam tertiam à meridie, cùm Eccleſiam ſanus rexiſſet annos circiter quindecim. Corpus die 22. menſis ejuſdem illatum in communem Capituli locum, juxtáque Wenceslaum Deceſſorem depoſitum: elogium inciſum marmori per Mathiam Högenwald cælatorem Paſſavienſem in hæc verba:

Labilis hominum memoria lapides ad verba provocet, & quæ vulgata ſunt Magnatum geſta, ex ſaxo durabilis Echo reſpondeat. Æquum propterea etiam eſt, ut de Epiſcopo Sebaſtiano S. R. J. Principe hi parietes, quos ipſemet ante, & poſt ſecundum incendium magna ex parte laudatô ſui Prædeceſſoris exemplo reſtituit, & ornavit; poſteritati plura, æque grandia ſtabili encomio promulgent. Is enim ex S. R. J. Comitibus de Pötting, poſtquàm in hujus Eccleſiæ Præpoſitum evaſiſſet, obtento Epiſcopatu Lavantino, tandem ad hanc Cathedram evectus, à Cæſare Leopoldo I. cujus nuptiis hic cum Auguſta Neoburgica initis aſſiſtere, eosdémque irruente in Auſtriam Turcâ hoſpites habere dignus factus, publicis Imperii Comitiis pro Plenipotentiario præfectus. Majoribus gratus, paribus acceptus, & ſubjectis exſtitit Clementiſſimus, usque dum ſuperatis variis humanæ viciſſitudinis incommodis, partim quoque reparatâ aulâ, ac pluribus ædificiis novô incendiô deſtructis, ad æternum Conventum, à Rege Regum evocatus, omnibus reliquerit in hoc monumento fidele teſtimonium, ſe fuiſſe quidem de hoc Epiſcopatu bene meritum, ſed Principes & Præſules pariter in momento mori poſſe, ac debere, ideóque cuncta evaneſcere præter æternitatem. Tu quotieſcunque hæc Viator examinas, tam provido, & pacifico Principi precare Pacem ſempiternam. Vixit annos 65. Rexit annos 56. qVIbVs eLapsIs pVre reqVIeVIt In DoMIno hIC passaVII.

Sacris exercitationibus addictus.

Illud pietatis ejus inſigne documentum non prætermiſero: ſolebat ferè quotannis in privatum ſecedere locum, in Collegio Societatis Paſſavienſi; ubi relegato negotiorum ſtrepitu per dies plures continuos vacabat ſibi, Deóque, ſacris meditationibus exercendo mentem ab hora ſexta matutina, ad usque decimam veſpertinam; operabatur ad aram privato cultu; interpellatoribus excluſis cum animæ curatore, paucíſque Religioſis de rebus tantùm ad animam pertinentibus horam unam, alterámve tranſigebat; tum animo diligenter excuſſo claudebat aſceſin confeſſione noxarum generali. Adeò nempe carum habebat hoc ſacræ exercitationis genus, ut etiam ab urbe Ratisbona ſeſe quandoque eâ gratiâ referret domum; valuítque exemplum ad nobiliſſimos quosque Capitularium, ut ſimili ſeceſſione rationes cum animo ponerent. Cæterùm quàm impensè res divinas, feſta cumprimis Euchariſtica, deinde Sanctiſſimæ Virginis, aliorúmque Tutelarium Cœlitum cultum exemplô promoverit, ac ornârit ſuô, annuæ noſtræ creberrimè commendant, quibus itidem nihil ſolennius, quàm benignitatis ejus, & favoris in minimum hunc Ordinem aſſiduas facere, quod gratos animos decebat, teſtificationes.

Juvat

Juvat adferre ſenſum Societatis Auſtriacæ, quem profeſſa eſt in Dedicatione libri, cui titulus: Incrementa Sinicæ Eccleſiæ à Tartaris oppugnatæ: auctore Joanne Dominico Gabiani S. J. anno 1673. Cùm enim gaudium, gratulationémque communem de ejus electione, aliásque ejus dotes, nobilitatem generis, prudentiam, religionis ſtudium collaudaſſet, ad extremum ipſum appellans, „ illa verò, inquit, qua omnium veſtigales tibi „ animos reddidiſti, affabilitas; illa nulli non apertum exhibens amoris ſi- „ num, vultus, animíque ſerenitas, quid aliud erat, quàm magnes, quo in Tui „ ſtudium, amorémque traheres Electorum voluntates? quid jam dicemus de „ magnificentia liberalis animi, quæ propria Principum dos eſt: etiamnum „ privatus ea beneficentiæ documenta dediſti, quæ ſpem univerſis faceret cer- „ tiſſimam, à te olim Principe non niſi ſumma patriæ emolumenta proven- „ tura. Et verò non diu moratus eſt concepta de ſe ſpes Celſitudinis tuæ ge- „ nius: vix enim aſcendiſti ad ſolium, & ſtatim velut ſidus beneficum illuxi- „ ſti, ubere gratiarum influxu in ſubjectorum animos deſcendens. Gratula- „ tur ſibi felix tuo Principatu Paſſavium, adorat natam ad benefaciendum ſui „ Principis indolem, palámque fatetur; ſe dum toties ſuſpiratum accepit Præ- „ ſulem, Patrem ſui amantiſſimum experiri: id quod & noſtra prædicat So- „ cietas, séque paternæ Celſitudinis tuæ benevolentiæ plurimis obæratam „ titulis non ingrata profitetur: & ſi taceret, loquerentur ipſi lapides, qui li- „ cèt Auſtriaca Anteceſſoris ſui liberalitate, tuâ tamen operâ, & Auſtriacæ „ voluntatis executione celerrima in novam Paſſavienſi Collegii ſtructuram „ coivêre, adeóque quoties reſtauratam ſuo è buſto Archiducalis domicilii fa- „ bricam adſpicimus, toties oculis, animíſque noſtris magnificum tuæ erga nos „ propenſiſſimæ voluntatis momentum obverſatur. Hactenus ibi.

Suffraganeus Sebaſtiani poſt Jodocum à Brendt, qui anno 1686. die 23. Febr. mortem obiit, fuit Maximus Steiner, Epiſcopus Selybrienſis, Cancellarius Paſſavienſis; qui anno 1692. obiit, tumulatus in templo Societatis Paſſavii ſub ara S. Ignatii, prout ipſe flagitaverat; in eandem Eccleſiam & Bibliothecam Collegii beneficus.

EPISCOPUS PATAVIENSIS LXVIII.

Joannes Philippus.

ECquis eſt, qui Eminentiſſimi Cardinalis Lambergii poſſit non meminiſſe? I.
aut meminerit ſine glorioſa prædicatione virtutum? implevit orbem 1689.
fama, dum viveret, mortuus etiam in omnium memoria vivit. Æſtimatio viri non tam à genere ſtirpis, quod illuſtriſſimum eſt in utraque republica; neque tam à dignitatibus geſtis, aut negotiorum pro DEO & Cæſare ſuſceptorum ſplendore, quàm ingenitis animi dotibus, ac virtutibus domi natis manavit: illam ſagaciſſimi intellectûs aciem, eloquentiam illam flexanimam; artium politicarum peritiam incomparabilem; excelſitatem animi probrum omne flagitii dedignantem; adhæc habitum vultûs ac morum profectò plenum majeſtate, è quo amor æquè ac timor cum nativa quadam auctoritate elucebant, nihílque non grande, non dignum Principe, admirati ſunt omnes.
Orbi datus eſt anno 1651. ſexta & viceſima Novembris die; ultimus natu Jo- Natales.
annis Maximiliani Comitis à Lamberg, celeberrimi id ætatis viri, ſupremi Aulæ Cæſareæ Præfecti; quo munere & avus Georgius Sigismundus apud Ferdinandum III. Auguſtum perfunctus fuerat: cæterùm ſtirpe ab ſex & ampliùs ſeculis belli & pacis negotiis, obſequiis Domûs Auſtriacæ; præterea mitris epiſcopalibus tribus, Labacenſi, Seccovienſi, Gurcenſi; Archiepiſcopali item Pragenſi clariſſima. Mater fuit Judita Rebecca Comes de Wirben. Avia Johanna de Scala è celebri gente Scaligerorum Veronæ quondam Principum: quorum inſigne eſt ſcala argentea, indè in ſcutum Lambergicum inſerta.

Enituerunt jam in puero dotes ad ſummam natæ: in literis perdiſcendis, in nobilium palæſtris ferebat inter æquales ſine dubitatione primas. Acumen

ingenii, memoria præter communem modum: tum verò judicium in tenera etiam ætate admirandum patuit è reſponſis, quæ reddebat. Literas humaniores in ſcholis Societatis Viennæ, Styræ, Paſſavii didicit; quas ornabat probitas morum, & ingenita nobilitatis dos, vitiorum faſtidium. Subinde & linguis addiſcendis, & Philoſophicis, & Juridicis diſciplinis animum exactè perpolivit: in hiſtoriarum verò & rerum civilium cognitione, cujus veluti gymnaſium ei fuerat paterna domus, ipſiúsque patris quotidianum exemplum, mirificè acquieſcebat; quam luſtratis indè provinciis exteris, conſuetudinéque celebrium virorum, ad quorum æmulationem invitabatur, vehementer auxit, itáque domum rediit, ut mox oſtenderet, nolle ſe vitam ſilentio tranſigere. Eum DEus neceſſariis illis reipublicæ Chriſtianæ temporibus bono Numine præparaverat.

II. *Functiones publicæ.* Merere primùm cœpit inter cubicularios Leopoldi Cæſaris, clave aurea donatus: tum ob ſummas expectationes ingenii locus ei datus eſt in Senatu, quem Imperialem Aulicum appellamus, ea mox approbatione virtutis, ut continuò legationibus obeundis ejus opera requireretur. Legatus eſt primùm Hagam Comitum in negotio regundorum Germaniæ finium: atque mox à pace Neomagi anno 1679. concluſa ad Electorem Neoburgicum, apud quem Legati partes triennium integrum ſuſtinuit: deinde ad Saxonem Joannem Georgium anno 1682. pro feſtinandis contra Turcam ſuppetiis, quarum numerum bene magnum impetravit in annum ſequentem, quo Vienna obſidione preſſa magnam ſalutis partem illis auxiliaribus debere poterat.

Anno 1684. ablegatus eſt ad Fridericum Wilhelmum Electorem Brandeburgicum in negotio belli duplicis, illius in Turcas, quod reapſe gerebatur; alterius in Gallos, quod metuebatur: utramque rem eo eventu tractavit, quem Cæſar exoptaverat.

Anno 1686. miſſus eſt Ratisbonam ad Comitia cum nomine Legati Principalis Auſtriaci in locum Dieterici Henrici de Stratmann, quam provinciam ad annum usque 1689. geſſit. Per id tempus inciderat mors Guidobaldi Archiepiſcopi Salisburgenſis die quinto Non. Maji anno 1687. Ad electionem novi Præſulis etiam Philippus acceſſit (nam is jam anno 1675. Senatui Patrum Salisburgenſium adſcriptus fuerat) ibi diſſidentibus ſententiis auctor fuit concordiæ in Erneſtum Comitem de Thun Epiſcopum Seccovienſem, ad Juvavienſem Thronum die 30. Junii vocatum: qua de re Poëta in Opere gratulatorio ſic cecinit:

Dum nuper in ſacrato
Juvaviæ ſenatu
Diſſentiente voto
In lite calculorum
Sibi timere damna
Tranquillitas videtur,
Quàm ſtrenuo labore,
Potente quàm Suada,
Curáque quàm ſagace
Sic corda colligaſti,
Ut vertici merenti
Divisque Cæſarique
Germaniæque charo
Concrederent Thiaram!

Quibus in Officiis ea fide verſatus eſt, adeóque inſignem & dexteritatem & ſtudium pro re Domûs Auſtriacæ demonſtravit, ut Leopoldo Cæſare magnopere cupiente, operæque multum admodum adhibente præmium meritorum caperet infulam Paſſavienſem. Primùm quidem ab obitu Sebaſtiani

III. *Diverſæ ſententiæ Capitularium Patav.* Deceſſoris Capitularium ſententiæ vehementer diſſidebant ſtudiis partium. Eminebat inter alios Lambergius & favore manifeſto Cæſaris, & opinione apud omnes ingenti: ſed ab eo nonnulli haud obſcurè abhorrebant; virum ùt ad res politicas mirabiliter factum, ita fore ut cogatur omiſſa Eccleſiæ cura

in

in negotiis verſari reipublicæ, opes Epiſcopales in iſtiusmodi profundere; ætatem degere procul ab ſede propria, quæ res gravia Paſſavienſibus incommoda jam aliàs attulerit. Et fuerant, qui adhucdum ſuperſtite Pöttingio præveniendum obitûs ejus caſum putarent, conſiliúmque caperent Pedum Paſſavienſe commendandi Salisburgenſi Antiſtiti maximarum virtutum viro, itáque facere, uti nuper Guidobaldo Archiepiſcopo adjuncta fuerat Eccleſia Ratisbonenſis. Sed ea res adverſantibus aliis & incidente ſubinde morte Pöttingii in obſcuro permanſit. Conſpicuus inter Canonicos itidem erat Sigismundus Comes ab Herberſtein Epiſcopus Labacenſis, vir probitate vitæ & virtutibus Pontificiis inſignis: neque is longè diſtare videbatur à palma; at Cæſar ad urbem Paſſavienſem Comitem à Kauniz ablegaverat cum mandatis, procurandi partes Lambergii. Permagnæ inter Capitulares auctoritatis ob nobilitatem erat Franciſcus Leopoldus Guilielmus Comes Slawata, vir acris & aperti ingenii, orisque intrepidi: ad hunc Cæſar epiſtolam dedit, cujus autographum in manibus eſt, in hæc verba: Cæſar commendat Lambergium.

Chare Comes Slawata. Aliis jam literis indicaveram vobis cauſam, ob quam arcanum Conſiliarium & Cubicularium meum, Andream Comitem à Kauniz aurei velleris equitem Paſſavium ablegaverim, videlicet uti in proximo delectu Epiſcopi, ſuffragatoribus meo nomine commendaret, animos reflectere ad ejusmodi perſonam, quæ & ad Eccleſiam gubernandam aptiſſima ſit, & in qua fiducia pariter mea partem aliquam acquieſcat. Jam verò pro ſingulari, qua in vos clementiſſimè feror, confidentia celare vos nequeo rationes Conſilii mei ſic eſſe, ut in Conſiliarium meum intimum, Cubicularium & modò Ratisbonæ Legati primarii munere pro Auſtriacis fungentem, Joannem Philippum Comitem à Lamberg unicè tendant: nam & ipſe dotibus eſt omnibus exornatur, quæ præcipuè gravibus hiſce temporibus probum commodúmque regimen in politicis pariter & eccleſiaſticis polliceri queant: & quod alterum eſt, Majores ejus, is ipſe, ejúsque neceſſarii mihi Domuíque meæ fideliter ſerviverunt. Ex quo & fiducia in eo tanto erit amplior mea, & uberior mihi cauſa vel ejus intuitu Eccleſiam & fundationem ejúsque facultates & jura ſpeciali præſidio & tutela proſequendi: in quo idem Comes à Kauniz de propoſito meo vos uberius edocebit. Quemadmodum igitur ſtudia mea bonum Eccleſiæ ſpectant, ita fretus animo clementiſſimo ſum, vos eadem omni ope ſecundaturos: mihi vicíſſim certum eſt devotionem veſtram animúmque promptum, quo ſpero vos obedienter morem geſturos, Cæſareis regiisque gratiis adverſùm vos veſtrósque recognoſcere: maneóque vobis addictus. Laxenburgi die undecima Maji. Anno 1689.

Auguſtalis hæc epiſtola Comiti Canonico Paſſavii reddita eſt die 18. Maji, hora ſeptima veſpertina, uti ipſe manu in parte averſa adnotavit.

Conſimilem ferè epiſtolam Cæſar dedit ad Sigismundum Chriſtophorum Epiſcopum Labacenſem è Comitibus ab Herberſtein Capitularem Paſſavienſem; qui reſcriptis ad Auguſtum, in obſequio ſuæ Majeſtatis ſe ſpopondit fore: illud tantùm modeſtè ſubpoſtulans, quid adeò offendiſſet Lambacenſis Epiſcopus, ut eum præteriri deliberatum ſit. Hæc ille, quem ſcilicet mirabilis DEI providentia per alias longè vias, ſecretioris nempe vitæ, quam deinde Peruſiii amplexus eſt, inſtitutum ad æternæ vitæ fontes conducere decreverat.

Denique ea fuit Commendationis Auguſtæ vis, ea dexteritas Legatorum Cæſarei Comitis à Kauniz, & Bavarici Baronis à Neuhaus, ut potiſſima demum Canonicorum pars à Lambergio faceret. Quò verò ſaluti & conſervationi Eccleſiæ Capitulares conſulerent, certas condidêre leges, quibus Epiſcopum eligendum obſtringerent, quas vehementer ad rem intereſt à nobis iſthic recitari.

In Nomine Sanctiſſimæ & Individuæ Trinitatis Amen.

ANno reparatæ ſalutis humanæ milleſimo ſexcenteſimo octuageſimo „ nono, Indictione Romana duodecima, Pontificatum gerente Sanctiſ- „ ſimo in Chriſto Patre Innocentio Undecimo, anno ejusdem Pontifi- „ catus decimo tertio, Sede Paſſavienſis Eccleſiæ vacante, die vigeſima quarta „ men- IV. Capita futuro Epiſcopo præſcripta.

„ menſis Maji hora circiter nona matutinâ infra ſcripti Illuſtriſſimi & Revmi
„ Domini Domini: Franciſcus Antonius Comes de Loſenſtein Præpoſitus:
„ Hermannus Mathias Comes de Athimis Decanus: Joannes Franciſcus Ada-
„ mus Comes à Töring Senior: Franciſcus Leopoldus Guilielmus Comes de Sla-
„ wata: Jaroslaus Franciſcus Ignatius Comes à Sternberg Epiſcopus Litoma-
„ ricenſis: Joannes Philippus Comes de Lamberg: Joannes Fridericus Co-
„ mes de Preyſing: Weickhardus Ignatius Guilielmus Comes de Salm: Geor-
„ gius Fridericus Comes de Salaburg: Sigismundus Chriſtophorus Epiſcopus
„ Labacenſis S. R. J. Princeps: Ferdinandus Franciſcus Liber Baro ab Aham:
„ Carolus Chriſtianus Liber Baro ab Leiblfing: Paris Julius Comes de Salm &c.
„ totúmque Capitulum peremptoriale Eccleſiæ Paſſavienſis repræſentantes, in
„ loco Capitulari nonnullas obſervationes & concordata, ad quorum obſerva-
„ tionem futurus Epiſcopus è gremio eligendus vel poſtulandus inviolabiliter
„ obligatur, decreverunt, & ſtatuerunt, prout eorum tenor hìc ſubſequitur.

De Religione Catholica in ſe & aliis obſervanda.

Primò eligendus vel poſtulandus, in antiqua ac vera religione Chriſtiana,
„ in ſancta Catholica, ac Apoſtolica Eccleſia, & fide quæ hactenus in toto or-
„ be terrarum à temporibus Apoſtolorum continua ſucceſſione floruit, & ma-
„ ximè in obedientia ſummi Pontificis, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ juxta
„ formulam profeſſionis fidei à Pio IV. ſummo Pontifice feliciſſimæ recordatio-
„ nis ex Decreto Concilii Tridentini editam per DEI gratiam conſtanter ſe
„ permanſurum juret, ac promittat: ſuæque ſponſæ, id eſt Eccleſiæ decorem,
„ & totale complementum à ſuis Anteceſſoribus omni diligentia inchoatum &
„ majori ex parte perfectum, qua poterit poſſibilitate & induſtria promove-
„ bit. Curet etiam, ut omnes Conſiliarii, Præfecti, Officiales, familiares ean-
„ dem ſecum fidem amplectantur, & retineant, ne ullos libros aut ſubditos hæ-
„ reticos in Civitate Paſſavienſi, aut aliis oppidis & locis, ad Eccleſiam Paſſa-
„ vienſem pertinentibus toleret, ſed contra hujusmodi ſeductores librorum
„ venditores, aut quamvis hæreſim profitentes, juxta Canonicas ſanctiones,
„ ſummorúmque Pontificum, tam antiquorum, quàm modernorum Decreta
„ ad condignas pœnas procedat, & procedi faciat, ſervitorésque de hæreſi ſu-
„ ſpectos ab Officiis removeat, niſi ſub ſpe eos imbuendi ad veram Catholicam
„ fidem amplectendam ſint tolerandi.

II.
De Conſecratione intra anni ſpatium ſuſcipienda.

„ Deinde idem in ſpatio unius anni à die poſſeſſionis computando mu-
„ nus Conſecrationis Epiſcopalis, absque ulla dilatione recipiat, publicéque
„ Miſſam celebret, & ſi contingat Electum vel poſtulatum aliquem habere de-
„ fectum, cujus ratione à recipiendis Ordinibus & munere conſecrationis pro-
„ hibeatur, tunc unà cum confirmatione, etiam diſpenſationem ſuper tali de-
„ fectu apud Sedem Apoſtolicam impetrabit.

III.
Reſideat in loco.

„ Et quoniam Eccleſiæ tam in ſpiritualibus quàm temporalibus multa
„ damna, atque incommoda ex abſentia Epiſcopi plerumque oriri ſolent, te-
„ nebitur Epiſcopus vi Juramenti, ac juxta ſummorum Pontificum Decre-
„ ta in loco reſidentiæ ſuæ ſolito actualiter reſidere; ſi verò ob urgentes cau-
„ ſas ultra tempus à jure expreſſum præſens eſſe, vel perſonaliter reſidere non
„ poſſit, id non niſi de beneplacito, & ſcitu Capituli peremptorialiter convo-
„ cati & congregati fiat.

IV.
Conducat Theologum aut Canoniſtam.

„ Intra annum à die datæ poſſeſſionis inſignem aliquem & doctum Theo-
„ logum, vel Canoniſtam religione Catholicum competenti ſalario, & ſine di-
„ ſpendio Capituli conducat, & ſuſtentabit, qui ſi neceſſitas poſtulet, pœniten-
„ tiarium agere, aut alia munia Eccleſiaſtica obire queat.

V.
De Officialibus & Conſiliariis conſtituendis.

„ Officiales duos, ſeu Vicarios Generales ſcilicet unum Paſſaviæ & alte-
„ rum Viennæ conſtituet ex Capitulo, ſi qui ſunt, qui fungi his Officiis velint;
„ ſin minùs, alias quaspiam perſonas Eccleſiaſticas doctrina & vitæ integritate
„ conſpicuas. Conſilia Eccleſiaſtica quoque, tam hìc Paſſaviæ, quàm Viennæ
„ quantum fieri poteſt ex perſonis Eccleſiaſticis conſtituat.

VI.
De Canonicis ad Benedictiones & Infulationes vocandis.

„ In Benedictionibus, & Infulationibus Prælatorum ſemper vocet aliquos
„ Canonicos Capitulares quos voluerit, pro decentia & honore ipſius Epiſcopi:
„ & obſervetur, ut hic actus, ſi Epiſcopo placuerit, in Cathedrali fiat. Si au-

„ tem

„ tem in alia Eccleſia functio quæcunque ſit peragenda, Is Canonicos invitabit,
„ qui ab Epiſcopo gratiam impetraverit.

VII. *De Viſitatione & Synodo inſtituenda.*

„ Inſtituat quoties commodum & neceſſarium, viſitationem generalem
„ Cleri Diœceſeos: atque curet, ut inceptæ jam viſitationes ad finem deducan-
„ tur, imò etiam ſynodum, ſi ipſi viſum fuerit, cogat.

VIII. *De Immunitate & Juriſdictione tuenda. De non admittendis Regularibus ſine conſenſu Capituli.*

„ Immunitates, & præcipuè juriſdictionem Eccleſiaſticam Diœceſis Paſ-
„ ſavienſis pro virili ſua defendet & tuebitur, nec conſentiet unquam, ut præ-
„ ſens Eccleſiæ Paſſavienſis ſtatus in religionem ullam, vel regularem vel mi-
„ litarem mutetur. Communi quoque Clero coram illo negotia habenti, ſe
„ benignum & gratioſum exhibeat. Nullis etiam quorumcunque Ordinum
„ religionibus in Civitate Paſſavienſi vel propè locum concedat, ad ædifican-
„ dum Monaſteria, Eccleſias, ad habendum & poſſidendum domos & alia loca,
„ ſeu oratoria privata, niſi de Capituli peremptorii conſilio & conſenſu.

IX. *De alienationibus, locationibus &c. non faciendis ſine conſenſu Capituli.*

„ Bona immobilia quæcunque Epiſcopus, item cenſus, redditus, & pro-
„ ventus; inſuper & bona mobilia pretioſa ſine Capituli peremptorii ſcitu,
„ conſilio, & expreſſo conſenſu, non poſſit vendere, permutare, donare, aut
„ quovis alio titulo alienationis in alium transferre; ſed ſi Epiſcopus Caſtra
„ ſeu bona Eccleſiæ Paſſavienſis pro utilitate, & neceſſitate voluerit, aut debue-
„ rit, alienare, ſeu impignorare, nec non alicui bona, aut officium aliquod ad
„ dies vitæ concedere, impignoratio ejuſmodi aut conceſſio effectum nullum
„ habeat, multò minùs ſigillo Capitulari confirmetur, & corroboretur, niſi illa
„ cum præſcitu & conſenſu Capituli peremptorialis fiant, ita tamen ut hujus-
„ modi contractus utilis videatur Eccleſiæ, ſalvâ in omnibus Conſtitutione
„ Paulinâ. Attamen quia paſſim obſervatur, quòd ex locationibus bonorum,
„ vulgò ammodiationibus, Eccleſiæ commodum non adeò promoveatur, ſed
„ communiter damnum oriatur, ſic bona non elocabit Epiſcopus: ſed ſi quæ
„ ad hæc elocata fuerint, in priſtinum ſtatum reſtituet, illáque idoneis, atque
„ conſcientioſis viris, qui facilis conventionis ſint, adminiſtranda committet,
„ qui cautionem perſonalem & pignoratitiam actualiter hìc in Epiſcopatu præ-
„ ſtent.

X. *De inventario faciendo quamprimum.*

„ Cùm primùm fieri poterit, de omnibus bonis mobilibus Paſſaviæ, atq;
„ in arcibus, caſtris, & domibus ubilibet conſtitutis, & ad Epiſcopatum per-
„ tinentibus per Canonicos tam ab ipſo, quàm à Capitulo deputandos ſuffi-
„ ciens, & plenum inventarium conficiat, atque confici faciat, quod exinde
„ dupletur, & in formam authenticam redigatur, atque ſigillo Epiſcopi & Ca-
„ pituli roboretur, quorum unum ipſe retineat, & alterum ad manus Capituli
„ tradat.

XI. *De Urbario intra annum exhibendo.*

„ Pari ratione in ſpatio unius anni à die poſſeſſionis adeptæ aſſignare te-
„ neatur Capitulo Urbarium authenticum omnium, & ſingulorum bonorum
„ immobilium, Decimarum; proventuum, cenſuum, atque reddituum, ad
„ Epiſcopatum quomodolibet ſpectantium, & ubilibet locorum conſtitutorum,
„ nec non deſcriptionem omnium fundorum, ſigillo quidem ſuo roboratum,
„ quod per Canonicos à Capitulo deputandos ad antiqua & nova, quæ adſunt,
„ Eccleſiæ urbaria conferatur, revideatur & iis conformetur.

XII. *De admittendis redemptionibus rerum pignoratitiarum.*

„ Si Capitulum aut perſona aliqua Capitularis velit impignoratas res Ec-
„ cleſiæ ſuper caſtris, Teloniis, aut aliis obventionibus Epiſcopatus ab extra-
„ neis redimere, in quibus locus eſt redemptioni, permittat hoc Epiſcopus, &
„ ut fiat, effectualiter diſponat, ita tamen ut illa bona ſemper poſſint per Epi-
„ ſcopum ſoluto eodem pretio redimi.

XIII. *De rationibus quotannis exigendis & reddendis.*

„ Singulis annis adjunctis ſibi à Capitulo duobus Canonicis ab omnibus
„ Officialibus ſuarum adminiſtrationum, & officiorum diligenter exigat ra-
„ tionem, niſi urgentiſſimæ cauſæ, de quibus Capitulo, vel deputatis conſtare
„ debet, impediret, ut ratio ad alterum annum differatur: prout etiam ad re-
„ quiſitionem Capituli ſingulis annis perceptorum, & expoſitorum ſummari-
„ am reddat rationem præſentibus duobus Canonicis à Capitulo deputatis, qui
„ deinde ſtatum rei ad Capitulum referent, quod ſi minùs benè adminiſtrave-

„ rit rem domeſticam, Capitulúmque eum admonuerit, ejusmodi admonitio-„ nem benignè accipiat, malámque adminiſtrationem emendet.

XIV. De non gravandis rebus Capitularibus.

„ Quidquid in Urbe pro Confirmatione, aliisque neceſſariis, nec non „ pro impetrandis ab Imperatore regalibus expendendum erit, impenſis men-„ ſæ Epiſcopalis ac ſubſidii charitativi, prout moris & absque jacturâ rerum „ Capitularium expediat.

XV. De obſervandis Concordatis.

„ Inſuper Concordata ante publicationem de ſua perſona faciendam ſub-„ ſcribet & confirmabit, eademque firmiter & inviolabiliter ſervabit, & cum „ effectu omnia & ſingula in iis contenta adimplebit, dolo, fraude & alia qua-„ vis calumnia ceſſantibus, omnique exceptione, diſpenſatione aut interpreta-„ tione ſemota juxta tenorem præſtiti juramenti; nec, ſi Capitulum efflagita-„ verit, confirmationem dictorum concordatorum propriis impenſis impe-„ trare recuſabit.

XVI. De obſervandis concordatis cum civitate.

„ Diligenter etiam obſervet, obſervarique curet, concordiam factam per „ Duces Bavariæ inter Reverendiſſimum Dominum Erneſtum adminiſtrato-„ rem, & cives Paſſavienſes.

XVII. De perſonis ad Officia aſſumendis.

„ Ad Officia, ut ſunt utriusque diœceſis Officialium ſupradictorum, Præ-„ ſidis Conſilii aulici, Cameræ & Conſiliarii in ordine ad Canonicos, ex gre-„ mio ad illa aſſumendi ſunt, Seniores tamen, ſi apti, Junioribus præferendi, „ dato iis competenti ſtipendiô, aut alio modo contentatis, neque (cùm ex „ diviſione & ſeparatione horum officiorum, major Eccleſiæ utilitas reſultet) „ impoſterùm conjungantur. Hinc cùm Epiſcopus Paſſavienſis pro tempore „ eligere voluerit Judicem, Magiſtrum civium & ſenatum; nec non recipere „ juramentum fidelitatis à ſuis civibus, & ſubditis, id ex hactenus laudabili „ conſuetudine fieri debet præſentibus duobus Canonicis Capitularibus, aut „ à Capitulo ad hoc deputatis, ut ſic fidelitatem jurantes diſcant agnoſcere „ Superiores & Dominos ſuos vacante ſede, quâ tamen in re Capitulum præ-„ ſentiam ſuam, aut deputatorum non deneget. Nam ſi venire recuſaverit, „ nihilominùs Epiſcopo ad Electionem & Juramenti receptionem procedere li-„ ceat, neque etiam requiret Epiſcopus, vel cogat Decanum per Capitulum „ electum, ut confirmationem ab eo recipiat, ſed ipſo facto antiquiſſima con-„ ſuetudine per electionem Capituli confirmatus ſit.

De Canonicis vocandis ad juramentum civium.

XVIII. De non contrahendo ære alieno.

„ Sine conſenſu, & præſcitu Capituli peremptorialiter convocati, & con-„ gregati (niſi neceſſitas valdè urgens hoc non pateretur; quo tamen caſu „ ex poſtfacto nihilominùs ratificatio ejusdem Capituli peremptorialiter con-„ gregati exquirenda erit) æs alienum non contrahat, & annuatim actiones „ impoſitas, quas ſtcuras appellant, integras perſolvat, nec in futurum tempus „ ſolutionem differat, neque pro ullo alio unquam fidejubeat.

XIX. De debitis Capituli diſſolvendis.

„ Sunt etiam nonnullæ exactiones dictæ, *die Conſumptions Gefäll*, ex qui-„ bus Epiſcopus debita Capituli integraliter ſolvet. Singulis annis ii, qui no-„ mine Capituli ad aſſumendas rationes fuerint deputati, loco quintæ partis „ olim conventæ, tria millia florenorum annuatim, & quidem quartaliter 750. fl. „ tamdiúque recipient, donec debita Capituli integraliter ſoluta ſint, non ob-„ ſtante renuntiatione factâ in conventione cum prædefuncto D. Epiſcopo pi-„ iſsimæ memoriæ ratione *Officii Pontis* initâ: quæ tria millia florenorum an-„ nuatim in prædictum finem Epiſcopus Capitulo ex ea ratione multo minùs „ attribuere gravabitur, eo quòd Capitulum ab omnibus ſimilibus exactioni-„ bus, id eſt *Conſumptions-Gefäll*, quæ aliàs vocantur *Umbgeldt, Auſſchlag, Dacium*, de Jure omninò liberum & exemptum ſit, hactenus tamen continuò „ & à tot annis cum ſæcularibus de ſuis eſculentis & poculentis perſolverit, & „ quidem in emolumentum & commodum Epiſcopi, ne ſcilicet ſub Capitula-„ rium nomine his *Acciſis, ſeu Conſumptions-Gefäll* defraudari potuerit æra-„ rium illius. Pariter de prædictis redditibus annuatim ad minimum 10000. „ florenos pro exſolvendis debitis Epiſcopatus applicabit, atque hanc ſummam „ effectivè eò fuiſſe expenſam in aſſumptione rationum deputatis à Capitulo „ authenticè demonſtrabit.

Cùm

XX. De ſtipendiis in Canonicos reſidentes.

„ Cùm Canonici in ipſa Eccleſia Paſſavienſi Matre noſtrâ reſidentes, ſint „ tanquam Eccleſiæ Senatus, & membra Capitis, ſcilicet Epiſcopi, cui ex of- „ ficio ſedulo aſſiſtere debeant; ut itaque ad hoc tantò magis alliciantur, Ele- „ ctus vel poſtulatus, non modò ad pixidem Capituli ſingulis annis 3000. fl. „ perſolvet, atque ut horum trium millium florenorum ſolutio, futuris perpe- „ tuis temporibus, etiam apud Succeſſores, in Epiſcopatu ſuam ſtabilitatem „ habeat, confirmationem deſuper à Sede Apoſtolica impetrabit, ſed etiam „ quaſdam Eccleſias parochiales, ſi vacaverint, videlicet Hoff-Kirchen, Tauff- „ Kirchen, ad flumen Trädnack, in Auſtria Aſpach, Maurkirchen, Altheimb, „ Pfarr-Kirchen, Pichel, Waizenkirchen & Gaſpelzhoven, quarum nulla ul- „ trà diætam Paſſavio diſtat, ſemper Canonicis reſidentibus conferat, ita tamen „ uti ſupradictum, Seniores, ſi apti ſint, Junioribus præferantur, nec aliis de „ præfatis Eccleſiis provideat: multo minùs ſteuras, Cathedraticum aut quod- „ cunque ſubſidium charitativum ab iis ratione dictarum Eccleſiarum exigat, „ non obſtantibus quibuſcunque conſtitutionibus imperialibus: juxta normam „ tamen Bullæ Sixti Quinti.

XXI. De poteſtate Capitulo permittenda, conſtituendi Clericos ad parochias &c.

„ Et licet compertum ſit, ſoli Epiſcopo tanquam Ordinario competere ap- „ probationem Clericorum in cura animarum: attamen concedet Capitulo „ ſuo Clericos ſemel ab ipſo aut ejus pro tempore exiſtentibus Officialibus in „ cura animarum legitimè approbatos ad parochias & beneficia curata pro li- „ bitu conſtituere: atque iterum revocare, ita tamen, ut quotieſcunque talis „ mutatio facienda erit, id ipſum D. Epiſcopo in Reverentiam debitam & pro „ notitia per literas ſignificetur.

XXII. De aliquo feudo in Capitulum conferendo.

„ Inſuper futurus Epiſcopus, cùm nemo ſit, qui ignoret, quæ damna „ Capitulum in proximè præteritis bellis ſit perpeſſum; itaque feudum aliquod „ devolutum, mera benevolentia & paterno affectu ductus, Capitulo ſuo attri- „ buere non gravabitur, quod præſertim aucto & creſcente reſidentium Cano- „ nicorum numero fertili ſubſidio veniat.

XXIII. De conſenſu Capituli in quibusdam litibus requirendo.

„ Omnes differentias, quæ vertuntur in cauſa *Umgeldt*, vulgò vocatum, „ nec non confinium cum conſenſu & conſilio Capituli expediat.

XXIV. De Feudis ſine conſenſu Capituli non conferendis.

„ Feuda quæcunque aperta, vel ad Eccleſiam devoluta ad quaſvis pre- „ ces etiam Imperatoris, Regum, Principum & aliorum nemini conferat, niſi „ priùs habito Capitulari Conſilio, & ſubſecuto ejusdem aſſenſu, in quem finem „ Capitulo per Conſilium aulicum de ſimilibus feudis apertis & eorundem „ pretio exacta fiat informatio, pecuniaſque in hoc caſu percipiendas, & per- „ ceptas in nullum alium, quàm in ſolutionem debitorum, ac redemptionem „ impignoratorum bonorum ipſius Eccleſiæ impendat.

XXV. De feudis non dividendis, nec ad extraneos transferendis.

„ Et ſiquidem feuda Eccleſiæ, quæ meritò inter ſumma Epiſcopatus re- „ galia numerantur, in ſua natura ſervanda ſunt, unde futurus Epiſcopus „ feuda caduca, & aperta per ſe purè maſculina, non in ſtemmata aut plures „ lineas, ſed in unam ſolam conferat; multò minùs concedat, ut ad ex- „ traneos planè hæredes vulgò *in durchgehende Leben* transferantur, cùm ſimi- „ les infeudationes alienationem ſapiant, & in magnum præjudicium Eccle- „ ſiæ cedant.

XXVI. De renuntiando jure in bona à Capitulo poſſeſſa.

„ Electus vel poſtulatus renuntiabit pro ſe & ſucceſſoribus ſuis omni ju- „ ri feudali quod Epiſcopis hactenus in quibusdam bonis ac Decimis compe- „ tiit, & Capitulum jure feudi poſſedit, concedens Venerabili Capitulo ſuo „ illis uti & frui, ut aliis ſuis bonis propriis, & Allodialibus.

XXVII. De inſtrumentis bellicis non alienandis.

„ Inſtrumenta bellica ùt ſunt Bombardæ, pulveres & alia bellico uſui de- „ ſtinata nullo modo alienet, ſive diminuat, ſine expreſſo conſenſu Capituli.

XXVIII. De reparandis ædificiis.

„ Deſtructas & ruinoſas arces ad monitionem Capituli, quantum neceſ- „ ſitas poſtulaverit, & fieri poterit, reparet, atque ædificia ſic refecta ſarta, te- „ ctaque conſervet.

XXIX. De non admittendis di-

„ Epiſcopus non aſpiret vel aſſumat altiorem etiam Cardinalatûs digni- „ tatem ſine præſcitu Capituli, & Bullâ Pontificiâ, qua cautum ſit, ut per has- „ ce dignitates poſt ipſius obitum, quoad eligendi liberam poteſtatem Capitulo

„ minimè

gnitatibus ſine præſcitu Capituli. De non aſſumendo Coadjutore.

„ minimè præjudicetur. Item non reſignet, cedat, permutet, vel aliquid de „ Epiſcopatu reſignando diſponat; nec in Coadjutorem conſentiat, aut pro „ aliquo ullo unquam tempore intercedat, inſcio & non conſentiente Capitulo „ peremptoriale; ſed eidem omnem diſpoſitionem permittat: econtra verò „ nec Canonici per clandeſtinam praxim pro Coadjutore vel pro Epiſcopo „ futuro, vivente adhuc moderno confirmato inſcio, vel nolente ipſo aliquid „ moliantur.

XXX. *De immunitate Capituli & Cleri Paſſav. ab exactionibus.*

„ Capitulum Paſſavienſe, & Magiſter Pontis & Leproſorum per Civitatem Paſſavienſem ſint liberi, ab omni exactione *Dacii* quæ *Umgeld* & *Aufſchlag* vulgariter nuncupatur, adeò quòd de vinis ſuis & bonis quæ eos ſucceſſivè educillare & vendere contingeret, nullatenus quidquam ſolvere teneantur, in cujuscunque poteſtate jus exigendi ſeu recipiendi ejusmodi exactionem exiſtat in futurum, ita quòd liberè eadem vina educillare, ſeu alia, uti bona ſua vendere poſſint, & valeant, cuicunque vel quibuscunque etiam „ extra Civitatem Paſſavienſem, prout eis videbitur expedire, absque exactione prædicta & omni impedimento. Non minùs ſinguli Canonici, imò quicunque Beneficiati & Clerici Civitatis Paſſavienſis, & ſuburbium ejusdem „ de vinis & frumentis, quæ eos, & aliquem eorum in uſum domus ſuæ comparare contigerit, ſeu qualitercunque illa acquiret, à dictis exactionibus, „ Umgeldt, Aufſchlag pro tempore, & quibuscunque aliis exactionibus per „ Civitatem Paſſavienſem ubilibet impoſitis, ſeu imponendis exactione victualium hujusmodi liberi ſint, omninò & exempti; prout etiam jure communi „ cautum eſt. Sicut etiam Magiſter fabricæ à ſolutione annua quadraginta „ florenorum Rhenenſium olim ſolvi conſuetorum ratione proclamandi mandata liber eſto. Si tamen Epiſcopus neceſſitate poſtulante, & annuente Capitulo exactiones, ſteuras, ſeu ſubſidia qualiacunque Clero imponere compulſus fuerit, pecunias inde collectas nonniſi in deſtinatum finem, adhibito „ in omnibus Capituli conſilio convertat, neque ut aliter fiat, Capitulum ipſum unquam conſentiat.

XXXI. „ Epiſcopus non ſerviat Regibus aut quibuscunque Principibus ſine ſcitu „ & expreſſo conſenſu Capituli.

XXXII. *De non fovenda inimicitia in Canonicos non eligentes.*

„ Si futurus Epiſcopus per omnes Canonicos non fuerit concorditer electus, erga hos, qui eum non elegerint, nullas inimicitias exerceat, nec alias „ moleſtias directè aut indirectè, quovis quæſito colore vel ingenio inferat vel „ inferri faciat.

XXXIII. *De Legationibus ad Capitulum Decano non committendis.*

„ Quoties contigerit Electum vel poſtulatum, pro quibuscunque negotiis tractandis ad Capitulum legationem aliquam mittere, non committat „ negotium Domino Decano ſed aliis ſuis Conſiliariis Canonicis, ſive ſæcularibus.

XXXIV. *De neutralitate adverſus Principes confines.*

„ Neutralem ſe gerat erga domum Auſtriæ, Bavariæ, & Regem Bohemiæ, quantum fieri poteſt, præcipuè verò ſi differentiæ, aut controverſiæ „ inter Dominos præfatos ortæ fuerint, niſi de conſenſu Capituli aliud conſultum videatur.

XXXV. *De fœdere non ineundo ſine conſenſu Capituli.*

„ Epiſcopus non ineat fœdus, ſive ligam cum aliquibus Principibus, Dominis & Potentatibus & aliis quibuscunque, quocunque nomine, vel titulo „ vocentur, ſine Capituli peremptorialis conſilio, voluntate, beneplacito & „ expreſſo aſſenſu; & econtra Capitulum ſine Epiſcopi conſenſu expreſſo ſimilia quæcunque non tentet.

XXXVI. *De ſolvendis mille florenis loco ſpoliorum.*

„ Spolia, quod attinet, ſive diviſionem veſtimentorum, quæ juxta anteriora concordata mortuo Epiſcopo inter præſentes Canonicos fieri ſolebat, „ dabit, exſolvique faciet Epiſcopus ſingulis annis Canonicis Capitularibus in „ die Anniverſario ſuæ Electionis præſentibus: aut in negotiis Epiſcopalibus „ abſentibus, mille florenos inter illos dividendos.

XXXVII. *De caſu quo ab inteſtato decedat.*

„ Si verò contingat illum decedere ab inteſtato, omnia mobilia, etiam „ qualitercunque pretioſa poſt mortem ſuam relicta permaneant apud Eccleſiam ipſam Paſſavienſem, exceptis patrimonialibus, induſtrialibus ante adeptum Epiſcopatum acquiſitis, aut poſtea per hæreditatem vel alio quocunq;

„ modo

,, modo ad eum devolutis, de quibus ipſi libera teſtandi & diſponendi facultas
,, eſto. Teſtari illi autem aliter non liceat, niſi de conſenſu Capituli peremp-
,, torii, & ſecundùm Canonum inſtituta.

De non teſtando ſine conſenſu Capituli.

XXXVIII ,, Inſuper cùm Eccleſia ſponſa Epiſcopi ex munere & officio ſuo dignas
,, DEO laudes perſolvere, Officia divina obire, atque Horas Canonicas in
,, Choro decantare, ſtipendio plurium perſonarum debeat, pro quarum ſuſten-
,, tatione hactenus ex redditibus Cameræ Epiſcopalis pro Choraliſtis 554. fl.
,, 5. ß. 10. Pf. pro reformatione chori 1500. fl. perſoluti fuerunt, unà cum
,, decimis in Mernbach: quia verò collectio prædictarum Decimarum Ca-
,, pitulo ſatis difficilis, & moleſta eſt, quæ verò Epiſcopo mediantibus ſuis
,, præfectis, ſub quorum territoriis ſitæ facilior copia ſit illas exigendi; ſic
,, modo hoc onus ſponſæ ſuæ, unà cum præfatis redditibus, atque ædibus
,, ad has perſonas ſpectantibus in ſe ſuſcipiat, atque illas, quatenus ſub Chori
,, nomine comprehenduntur, alet & ſuſtentabit: & ſunt (præter Conſeſſarium
,, Cathedralis Eccleſiæ Ordinarium, ex Ordine S. Franciſci ad S. Annam hic
,, Paſſaviæ, cujus Monaſterio etiam ſicuti olim Capitulum, ita poſt hoc Epi-
,, ſcopus dabit quotannis duodecim urnas vini, cum una ſcapha tritici) Paro-
,, chus Eccleſiæ Cathedralis, ſex Vicarii, decem Capellani, Cantor, ſex cho-
,, rales muſici, Miniſtrantes & Sacriſtani. Inſuper ſubminiſtrabit Epiſcopus
,, ex ſuo vino, tam pro Miſſarum Sacrificiis, quàm alios in uſus, pro divinis
,, neceſſarium. Quouſque verò non conſtiterit, qui bona illius fundationis
,, poſſideat, ex quibus quadrageſimali tempore pro more antiquo viginti qua-
,, tuor perſonæ im Kellerhoff fuerint alimentatæ, vulgò *die Faſten-Suppen* ge-
,, nant, interea Capitulum hoſce ſumptus feret. Et quamvis omnis juriſdi-
,, ctio ordinaria per totam Diœceſim Epiſcopo in Clerum ex diſpoſitione
,, juris communis competat, ex quadam tamen hactenus obſervata conſuetu-
,, dine, Epiſcopus pro tempore exiſtens indulgeat juriſdictionem hujuſmodi
,, Venerabili ſuo Capitulo in Præpoſitum & Decanum; nec non in perſonas
,, ſingulorum Canonicorum Decano ſuo; & nomine Capituli in Vicarios Ca-
,, thedralis Eccleſiæ, plebanum, ſubcuſtodem, oblajarios & Beneficiatos quoſ-
,, cunque, licet alibi etiam extra Eccleſiam Cathedralem habeant beneficia,
,, chorales, Præbendiſtas Eccleſiæ Paſſavienſis tam præſentium, quàm abſen-
,, tium, ita ut Epiſcopus ſibi in eaſdem perſonas nullam juriſdictionem per
,, ſe vel alium exercendam aſſumat, neque contra eos in ſpiritualibus & tem-
,, poralibus procedat, niſi in criminalibus criminaliter intentatis, ubi ad pri-
,, vationem Officii vel beneficii procedendum eſſet. Eandem juriſdictionem or-
,, dinariam concedat Epiſcopus Capitulo & Decano reſpectivè in bona deceden-
,, tium præfatarum perſonarum. Verùm inſtitutiones ſeu proviſiones quorum-
,, cunq; beneficiorum in Eccleſia Cathedrali Paſſavienſi fundatorum ad Epiſco-
,, pum ſpectantium nullo modo per præmiſſa cenſeantur Epiſcopo ademptæ:
,, ſed quod ad Paſtores, ſeu plebanos, Vicarios perpetuos, vel temporales, ac
,, Proviſores, nec non Cooperatores, ac Capellanos Eccleſiarum Capitulo in-
,, corporatarum, ubicunque locorum ſitarum attinet, omnem juriſdictionem,
,, cognitionem, & coërcitionem Capitulo liberè relinquet. Hujuſmodi ta-
,, men Paſtoribus, Vicariis, ac Cooperatoribus, ubi ſe gravatos exiſtimaverint,
,, integrum ſit, ad Epiſcopum provocare. Quod ſi in literis incorporationis
,, majus jus Capitulo, quàm in præmiſſis eſt, expreſſum fuerit conceſſum, dum-
,, modò de eo legitimè conſtiterit, uti eo ſit ipſi pariter indultum. Similiter
,, familiares Præpoſiti, Decani, & ſingulorum Canonicorum, nec non Vica-
,, riorum & Beneficiatorum, Æditui, ac alii Capituli, & Eccleſiæ ſervitores,
,, in cauſis civilibus, ad examen Judicis civitatis minimè pertrahantur, ſed ju-
,, riſdictioni Decani pro tempore exiſtentis ſubſint; qui tamen Decanus debet
,, ſibi aliquem Canonicum adjungere, cujus conſilio de cauſis cognoſcat: idq;
,, locum habet in omnibus, niſi eſſent aliqui ſpecialiter privilegiati, uti eſt Ma-
,, giſter Pontis.

De ſuſtentatione Miniſtrorum Eccleſiæ.

De juriſdictione Capitulo permittenda.

XXXIX. De convocando Capitulo in rebus arduis.

„ Cùm ardua, uti de ſtatu Eccleſiæ, de hoſtibus arcendis, tuendis ſubdi„ tis, & hujusmodi fuerint tractanda negotia, Capitulum per Reverendiſſi„ mum convocari debet, in ea tamen conſultatione & tractatione voces „ non colligantur eo præſente ſed ſeparatim in Conſeſſu Capitulari & „ quidquid capitulariter concluſum fuerit, per unum ex Canonicis Epiſcopo „ inſinuetur.

XL. De conſtituendo Locumtenente.

„ Epiſcopus ad loca remotiora ad aliquod tempus ob quascunque cau„ ſas Paſſavio diſcedens, unum, quem voluerit, ex Capitulo in Locumtenen„ tem, & non alium conſtituat.

XLI. De omittenda collatione.

„ Cùm olim in magnis Feſtivitatibus, præſertim Paſchæ, Aſcenſionis „ Domini, & Pentecoſtes Epiſcopus ad oſtendendum paternum erga ſuos Ca„ nonicos animum & Clerum chori poſt auream nonam (uti vocant) ex lau„ dabili conſuetudine vocârit ad collationem, impoſterum omittatur, & loco „ ejus quavis vice præſentiæ 10. fl. diſtribuantur.

XLII.

„ Item Epiſcopus, cuique Canonico, qui uni ex duobus peremptoriis præ„ ſens interfuerit, cervum in æſtate, & cervam in autumno tradi curabit.

XLIII. De non agendis privilegiis civium

„ Conſtat etiam multitudinem privilegiorum, libertatum & immunita„ tum hactenus ab Epiſcopis civibus liberaliter conceſſarum iisdem occaſio„ nem inſurgendi contra Epiſcopum dediſſe; poſthac igitur ex antea actis cau„ tior factus, nulla alia nova privilegia, libertates, immunitates, levandæ pe„ cuniæ cauſa, civitati & civibus ipſis pro parte vel in totum perpetuis tempo„ ribus elargiatur & concedat ultra ea privilegia & immunitates, quæ priùs „ civitati & civibus ipſis per ſæpe dictos Dominos Epiſcopos Anteceſſores „ conceſſa ſunt, & quæ civitati ipſisque civibus per Illuſtriſſimos Principes & „ Dominos Wilhelmum & Dominum Ludovicum Comites Palatinos Rheni „ & utriusque Bavariæ Duces per ſuas Illuſtriſſimas Celſitudines publicatæ „ fuerunt.

LXIV. De privilegiis quorundam conſervandis.

„ Immunitates, Jura, & Privilegia colonis Dominii in caſtro Razman„ ſtorff, qui *Biſtumber*, & *Schlöſſer* appellantur, & civibus in Windorff, item „ illis quoque, qui vulgò *Stephauer* vocantur, vigore antiquorum Concordato„ rum integra & ſalva permaneant. Et quia horum poſtremorum jura à Du„ cibus Bavariæ ab aliquo tempore impugnantur, iisque ſubtracta ſunt, omnem „ adhibeat operam Electus, vel poſtulatus, ut cuncta in antiquum ſtatum re„ ponantur, & reſtituantur.

XLV. De inſtituendo Seminario.

„ Epiſcopus Seminarium ſecundùm formam à Concilio Tridentino præ„ ſcriptam, quoad fieri poteſt, inſtituat; interim tamen usque ad inſtitutio„ nem prædicti Seminarii, cùm magna ubique ſit penuria Sacerdotum, & cha„ ritas multorum refrixerit, paucique ſint, qui pauperum ſcholarium curam „ ſuſcipiant; teneatur Electus, vel poſtulatus 24. ſcholares & quidem duode„ cim hic Paſſavii, & duodecim Viennæ alere, illisque de alimentis ſingulis „ diebus providere, quemadmodum etiam priores, felicis recordationis, Epi„ ſcopi jam defuncti fecerunt: qui omnes choro, & Eccleſiæ diligenter inſer„ viant, & Decani juriſdictioni in choro ſubjiciantur. Ut autem hujusmodi „ numerus completus maneat, allaborabit Electus, ut omnes tam inferioris, „ quàm ſuperioris Auſtriæ penſiones etiam regularium Eccleſiarum diligenter „ exigantur, & à Regente ſingulis annis omnium expenſarum & perceptorum „ rationes tradi, & à quibusdam deputatis examinari curabit.

XLVI. De cauſis matrimonialibus à Decano judicandis.

„ Epiſcopus non det facultatem, nec Officiali, nec Decanis ruralibus in „ diſtrictu Officialatûs ſupra Onaſum decidendi ſive judicandi cauſas matri„ moniales; quandoquidem cognitio earundem ad Decanum Eccleſiæ Paſſa„ vienſis pertinere dignoſcitur.

XLVI. De jure Decani in tradenda poſſeſſione beneficiorum.

„ Ad Decanum quoque ſpectat traditio poſſeſſionis omnium beneficio„ rum, quocunque nomine vocantur, & cujusque illa ſint collationis, in Ec„ cleſia Cathedrali & ejus ambitu conſiſtentium, nec non Eccleſiarum S. Pauli „ & S. Ægidii, atque in ea Electus vel poſtulatus Decano nullum faciat impe„ dimentum.

„ Epiſcopus

XLVIII. De defendendo Capitulo in publicis neceſſitatibus.

„ Epiſcopus tempore peſtis nec non aliis omnibus Capituli neceſſitatibus, „ atque bellis eidem manum efficaciter porrigat defenſivam; Caſtrum unum „ vel plura Capitularibus pro hujusmodi ſecuritate & defenſione aſſignando, „ quæ illis ſemper ad certum refugium mandato Epiſcopi pateant.

XLIX. De juribus Capituli conſervandis.

„ Idem Epiſcopus jus integrum permittat Capitulo in Collatione Eccle- „ ſiæ S. Pauli & aſſumptione Cuſtodis: ſimiliter in receptione Canonicorum „ menſe Capituli, ita ut nec directè nec indirectè Capitulum ullo modo com- „ pellat, ut præter ſuam voluntatem aliquem recipiat, imo nec indultum ul- „ lum ſeu jus diſponendi de Canonicatibus, præbendis, ac aliis quibuscunque „ beneficiis ipſius Capituli à Sede Apoſtolica vel alibi impetret, aut impetra- „ tis ſeu impetrandis, quibus ordinaria Capituli collatio in menſe Capitulari „ impediatur, quovis modo utatur.

L. De negotiis Capitularium gratis expediendis.

„ Quandocunque Capitulum aut ſingulares ejusdem perſonæ habuerint, „ vel in Cancellaria Domini Epiſcopi, vel apud ejus Officiales negotia quæ- „ dam, in quibus literæ expediendæ ſint, ejusmodi ipſis ſemper gratis, & abs- „ que ſolutione alicujus taxæ, aliàs ſolvi conſuetæ, expediantur.

LI. De juramento exigendo ab arcium præfectis.

„ Epiſcopus nullum poſthac Caſtellanum vel præfectum recipiat, vel ei „ fortalitium, & caſtrum, aut Præfecturam committat, niſi idem Caſtellanus, „ ſeu Præfectus Literis patentibus ſuo ſigillo, aut alio authentico ſignatis ſe „ obliget, atque in manus Epiſcopi, vel cui id ille commiſerit, in præſentia „ duorum Canonicorum Capitularium debito juramento fidelitatis ſe adſtrin- „ gat, nimirum ſe fidelem & obedientem futurum ipſi Epiſcopo; eo autem „ defuncto, Decano aut Capitulo, & ei, qui per ipſum Capitulum concorditer „ & à majori parte fuerit Canonicè Electus, ut moris eſt: qui etiam Decano „ & Capitulo ſpecialem obligationem literis patentibus modo prædicto ſigilla- „ tis & Germanica lingua conſcriptis dabit. Forma autem obligationis de „ verbo ad verbum ſic ſe habet:

„ Ich N. zu N. bekenne als der Hochwürdigiſt Fürſt und Herr N. mein „ gnädigſter Herr, mich zu Seiner Fürſtl. Gnaden Pfleger aufgenommen, und „ zu Seiner Gnaden, und deſſelben Stüffts Schloſs und Herrſchafft N. zu ver- „ walten anbefohlen hat, vermög meines von Sr. Fürſtl. Gnaden deswegen „ gegebnen Beſtands, hergegen ich dann Sr. Fürſtl. Gnaden gethan Innhalt „ meines Revers, ſo ich Seiner Fürſtlichen Gnaden gegeben, in welcher mei- „ ner Pflicht unter andern beſtättigt, daſs nach Seiner Fürſtlichen Gnaden „ Tod, den GOTT lang verhüten wolle, einem Capitl zu Paſſau, oder dem „ ſo durch daſſelbe einträchtiglich oder dem mehrern Theil zu Biſchoffen er- „ wöhlet wird, ermeldtes Schloſs ein offenes Hauſs gegenwärtiglich ſeyn ſoll; „ wann und als offt ſich auch begäbe (daſs wann kein Biſchoff wäre) ein „ Hochwürdig Thumb-Capitl in das allbereit meiner Verwaltung Schloſs „ Leuth zu legen nothdürfftig würdet, daſs ich darin kein Irrung thuen, doch „ daſs ſolches ohn mein Koſten und Entgelt beſchehen ſolle, auch ſonſten ge- „ treu und gewärtig zu ſeyn, derſelben und des Stüffts Fromben in allen „ Sachen zu fürdern, Schaden zu währen und zu wenden, auch mich in all- „ weg halten wie ein getreuer Diener ſeiner Herrſchafft zu thun ſchuldig iſt, „ getreulich und ohne Gefehrde, daſs ich obgenanter N. demnach bey meinem „ wahren treuen an Aydesſtatt alles das hieroben gemeldt iſt, wann ſich der „ Fahl obgedachtes meines genädigſten Herrn Ableibung begabe, und ich die- „ ſelbe Zeit mit ermeldtem Pfleg-Ambt und dem Stüfft noch verbunden wä- „ re, gegen einem Hochwürdigen Thumb-Capitul, oder ermeldten Biſchof- „ fen vermög meines Beſtands-Brieffs getreulich zu vollziehen gelobe und „ verſpreche. Des zu wahrem Uhrkundt gib ich mehr gedacht meinem „ gnädigen Herrn einem Hochwürdigen Thumb-Capitel die Bekanntnuſs „ mit meinem eignen Inſigel verfertiget. Geben und geſchehen &c.

LII. De arce S. Georgii.

„ Et quia ibi debet major cuſtodia eſſe & arctior obligatio, ubi majus pe- „ riculum Eccleſiæ imminere poteſt, aliàs à Majoribus eſt obſervatum; qui- „ cunque Epiſcopus vel Coadjutor Caſtellanum arcis S. Georgii ſupra Civita- „ tem Paſſavienſem vulgò Oberhauſs vocata, acceptaverit, tunc poſſeſſione,

„ ſive cuſtodia arcis habita, idem Caſtellanus præſente Epiſcopo vocatâ univerſâ familiâ ipſius Caſtellani, duobus Canonicis ad hoc à Capitulo deputatis, ultra præmiſſa jurare debet, ſe defuncto Epiſcopo neminem in arcem intromiſſurum, niſi Decanum & Capitulum ſede vacante, & deinde eum, qui per ipſum Capitulum, aut à majori parte Canonicorum fuerit Electus. Alias inſcriptiones, in morem aliorum Caſtellanorum nihilominus dare ſimiliter teneatur.

LIII. *De Eccleſia S. Ægidii & ponte Oenano.*

„ Cùm Eccleſiam S. Ægidii trans pontem Oeni vacare contigerit, Capitulum eandem uni ex Canonicis Capitularibus conferat, cui Epiſcopus deinde Pontis atque Leproſariæ Officia pariter conferre teneatur. Poſtquam autem ſecundario vocaverit, cui Canonico Epiſcopus commiſerit & contulerit pontem, eidem Capitulum Eccleſiam quoque ſine refragatione conferat, qui modus alternativus amodò perpetuis futuris temporibus obſervetur.

LIV. *De penſione Oblajarii.*

„ Teneatur etiam Electus ſeu Poſtulatus Oblajario Capituli ſingulis annis ex redditibus menſæ Epiſcopalis ſolvere ſex florenos, & quatuor ſolidos denariorum uſualis monetæ; tres ad hiſtoriam in octava omnium Sanctorum; reliquos tres & quatuor ſolidos ad anniverſarium fundatum à Balthaſare de Starnberg.

LV. *De areis ad Capitulum pertinentibus.*

„ Quia ad Capitulum ſpectat proprietas & poſſeſſio areæ (quam vulgariter *den Hoff und Wöhr* vocant) videlicet ab Aquilone verſùs Danubium: ab Oriente ad portam Palatii Conſulis, ubi jacet lapis ſanguinis, aliàs *Wechſelſtain:* verſus Occidentem usque ad urbis murum, qui *die Wöhr* appellatur: verſùs auſtrum ad flumen Oeni; idcirco intra eundem ambitum nemo quidquam diſponere aut ordinare, niſi ſecundùm beneplacitum, & voluntatem Capituli præſumat, ut habetur ex privilegiis & donationibus bonæ memoriæ quondam Conradi & Berchtoldi Paſſavienſis Eccleſiæ Præſulum.

LVI. *De immunitate locorum Capitularium.*

„ Ad eundem modum, cùm Canonici Eccleſiæ Paſſavienſis in ſuis curiis, quas inhabitant, nec non in ædibus Capitularibus & Kellerhoff, ac area, quam vulgariter *den Herrnhoff und Wöhr* vocant, ſint ſpeciali immunitate, & libertare privilegiati, adeò ut nemini liceat, neque juſſu Epiſcopi nec ſuorum Conſiliariorum, aut Miniſtrorum ipſius, nec etiam per Judicem Civitatis, aut Cives Paſſavienſes, aut per quamcunque aliam perſonam, quempiam capi, detineri, aut aliàs in rebus, & perſonis moleſtari, niſi de expreſſo conſenſu Capituli. Hoc privilegium impoſterum quoque inviolatum ſemper conſervetur.

LVII. *De cognitione cauſarum Capitularium.*

„ Epiſcopus pro tempore non ſolùm cauſas contra Capitulum nulli committat, ſed easdem in propria perſona audiat, niſi peregrè aut longè abſuerint; tunc poterit ex juſtis cauſis easdem alicui perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ committere, reſervata ſibi ſententia in propria perſona ferenda; ſed etiam contra Canonicos primam inſtantiam Decano & Capitulo permittat.

LVIII. *De Collatione beneficiorum.*

„ In Eccleſiaſticis denique beneficiis conferendis Epiſcopus talem ſe Canonicis ſuis exhibeat, ut Patrem potiùs, quàm Dominum ſe gaudeant elegiſſe. Pariter tanquam dilectus Eccleſiæ ſponſus, quamprimùm ceſſante temporum calamitate fieri poterit, certam redditum ſummam quingentorum nempe florennorum annuatim in parata pecunia exſolvendorum conſtituat, quæ non ſolùm pro conquirendis rebus, & paramentis Sacriſtiæ Cathedrali deficientibus, verùm iis poſtea conſervandis ſufficere poſſit, atque etiam ut Cuſtodi hactenus pro more aliarum Cathedralium altari precariò deſervienti aliqua exinde merces obtingat.

LIX. *De redditibus pro præſentia conſtituendis.*

„ Ut Domini Canonici magis alliciantur ſingulis diebus comparere in Matutino & Veſperis, Epiſcopus eo allaborabit, ut certos redditus ad præſentias ab illis, qui comparebunt, fruendas deſignet: ſimiliter etiam eò cogitabit, ac cum Capitulo ſuo conferet, qualiter Chori Vicariorum ob temporum calamitates diminuti reditus iterum reducantur & augeantur, ut congruenter atque decenter ſubſiſtere queant.

„ Electus

LX. De executione Teſtamenti Wenc. Thun.

„ Electus executionem teſtamentariam piiſſimæ memoriæ Principis „ Wenceslai inter prima regiminis ſui opera aſſumet, & quantocyùs ab obtenta Confirmatione aut Brevi Adminiſtrationis allaborabit, ut vel per ſpontaneam ipſius oblationem partibus acceptabilem, vel amicâ cum his compoſitione, vel ſi minùs iſta ſuccedant, cognitione cauſæ de ſimplici ac plano, „ ſine ulla protelatione operi tam pio, laudabilique manus ultima imponatur.

LXI. De non petenda diſpenſatione prædictorum.

„ De omnibus & ſingulis præmiſſis, ac eorum quolibet à Sede Apoſtolica, aut aliis quibuscunque idem Epiſcopus non impetrabit diſpenſationem „ aliquam per ſe, aut alium, publicè vel occultè, directè vel indirectè quovis „ quæſito colore & etiam diſpenſationibus impetratis, vel impetrandis, nullatenus utetur.

LXII. De controverſiis inter Epiſcopum & Capitulum.

„ Si controverſiæ, quod DEus avertat, inter futurum Epiſcopum & Capitulum orientur, ad eas componendas controverſias Epiſcopus Ratisbonenſis, & Eyſtadienſis conjunctim aut ſeparatim pro mediatoribus rogabuntur.

„ Hæc ita concluſa, approbata & jurata fuerunt, atque in majorem rei „ fidem à præfatis Reverendiſſimis Dominis Dominis Capitularibus ſubſcripta, „ & ſubſignata, Anno, menſe, & die ùt ſupra.

„ Franciſcus Antonius Comes de Loſenſtain Præpoſitus. (L.S.)
„ Hermannus Mathias Comes ab Athimis Decanus. (L.S.)
„ Joannes Franciſcus Adamus Comes de Töring. (L.S.)
„ Franciſcus Leopoldus Comes Slavata.
„ Jaroslaus Epiſcopus Litomericenſis.
„ Joannes Fridericus Ignatius Comes de Preyſing Officialis.
„ Weickardus Ignatius Comes à Salmis Cuſtos.
„ Georgius Fridericus Comes à Salburg.
„ Sigiſmundus Chriſtophorus Epiſcopus Labacenſis.
„ Ferdinandus Franciſcus Liber Baro à Pratto. (L.S.)
„ Joannes Joachimus Ignatius Liber Baro ab Aham.
„ Carolus Chriſtianus Liber Baro de Leiblfing.
„ Paris Julius Comes à Salm. (L.S.)

V. Electio.

Legibus iſtis pridie electionis prolatis juratiſque, ſecuta eſt die 25. Maji ſuffragiorum penè omnium in Joannem Philippum collatio, quibus ſolemni more pronuntiatus Epiſcopus; mox in ipſo conſeſſu hanc ad Eligentes orationem habuit: *Quandoquidem viſum eſt Spiritui Sancto & Vobis, Reverendiſſimi & Illuſtriſſimi Domini Confratres, me indignum ad Pataviensis Eccleſiæ regimen tanta in me gratiæ propenſione vocare, tot profectò ac tantas timoris cauſas obverſari animo meo experior, quot amoris in me veſtri teſtimonia è votis ſic faventibus colligo. Impoſuiſtis enim fragiliſſimo homini Angelicis etiam humeris formidandum onus: conjeciſtis in conſcientiæ meæ ſinum tot millium animarum ad felicitatem æternam dirigendarum rationes, dum vix ſalutem propriam cum timore & tremore operor. Eo tandem tempore ampliſſimæ hujus diœceſeos gubernacula concredere voluiſtis, quo commoti ex utraque parte Imperii bella, quietis parùm, negotiorum & diſpendiorum plurimùm Sacerdotio pollicentur. Quæ quidem cùm attenta mecum mente revolvo, plenum certè curarum & tam fertile periculorum munus contentione omni ac niſu animi à me amoverem, niſi hinc ad vocantis DEI gratiam; indè ad veſtram prudentiam, pietatem ac charitatem maxima delatæ gubernationis adjumenta reſpicerem. Vincit ſcilicet imbecillitatem Omnipotentis auxilium: neque ullæ occurrerunt Eccleſiarum Antiſtitibus difficultates, quas Suorum ſapientia concordiâque muniti non ſuperaſſent. Divinis igitur humaniſque ſubſidiis in ſpes excelſas erectus Vocationi Divinæ pareo, & in electionem veſtram conſentio: Cæterùm omni ope connitar, ut cumulatis Eccleſiæ lucris Clerum imprimìs pietate & doctrina prælucentem; populum verò tam Chriſtianæ pietatis cultu, quàm orthodoxa fide inſtructiſſimum ac feliciſſimum habeam. Aderit ſinceriſſimis hiſce votis, ùt ſpero, DEUS: Opitulabuntur tot cœlo recepti ex hac Eccleſia Antiſtites Prædeceſſores mei, qui pro Domo DEI & libertate Eccleſiæ bonum certamen certantes coronam juſtitiæ adepti ſunt. Favebitis*

rectiſſimæ Electi & ſervi veſtri intentioni & vos Reverendiſſimi & Illuſtriſſimi Confratres mei, qui cùm meipſum mihi negotiiſque meis amore in me veſtro hodie rapueritis, me in poſterum inter bona veſtra, ut æternæ gratitudinis pignus conſervate, ac virtutis veſtræ exemplo meliorem ſemper efficite. Ita ille. Mox & voluntate Capituli, & privilegio Bullæ Pontificiæ adminiſtrationem ingreſſus eſt priùs, quàm tabulas Confirmationis obtinuerit ab urbe. Nihil prius erat Antiſtiti, quàm gratias Imperatori agere, quod ipſum per epiſtolam officii plenam ipſa die electionis datam eſt executus.

Cæſari gratiſſima.

Quàm verò Cæſareæ Majeſtati gratus acciderit electionis iſtius nuntius, diſcere licet ex literis reſponſoriis manu Auguſta ad novum Præſulem exaratis in hæc verba:

VI. Epiſt. Leop. Cæſ. ad Epiſc.

Reverende Princeps chare, devote &c. Didici ex epiſtola Pietatis Veſtræ die 25. currentis ad nos data grati animi teſte, demum ordinante Numine ſuffragia eligentium è ſententia mea prodiiſſe, Eidémque Dignitatem Epiſcopalem à Capitulo votis duobus & viginti delatam eſſe. Ea ſunt obſequia Pietatis Veſtræ mihi meæque domui integerrima fide præſtita; vitæ modus ad exemplar omnium compoſitus; regiminis & ſtatus publici negotiis comparata experientia, præter alias dotes Imperii Principi & Epiſcopo convenientes, quæ nihil non promerita ſunt. Mihi certè ùt eſt magnæ res iſta voluptati, ſic illa Capitularium hac in parte demonſtrata facilitas atque devotio ſingulariter accepta. Manus illa divina, cujus indicia manifeſta hoc in actu apparuerunt, Pietatem Veſtram fortunabit, gratiámque affundet ad ſalutem & incolumitatem hujus Eccleſiæ meliorem in modum accurandam, eandémque ad florentiorem ſtatum & incrementum provehendam. Quo ſimul cupio Pietatem Veſtram eſſe Cæſareæ meæ gratiæ, protectionis, omniſque boni certam, qui ſum eidem conſtanti voluntate addictus. Datum Laxenburgi die 29. Maji, Anno 1689.

Literæ Electi ad Card. Colonitzium.

Dederat Epiſcopus alias itidem literas ad Cardinalem Colonitzium Epiſcopum id temporis Neoſtadienſem, quibus eum ad impertiendam ſibi Conſecrationem invitavit; earum exemplar hìc adponimus:

Eminentiſsime Cardinalis. &c. &c.

Placuit Divinæ Majeſtati, ut vacante Epiſcopatu Paſſavienſi per obitum D. Sebaſtiani Immediati ejusdem Poſſeſſoris, Electione hodie legitimè celebrata, omnibus votis, unicô excepto (prout ex inſtrumento ſuper Electione Canonica perſonæ meæ conficiendo, & ad Eminentiam Veſtram proximis diebus dirigendo dignoſcitur) in Epiſcopum hujus Eccleſiæ Paſſavienſis Electus fuerim. Et quanquam tam grave atque præſenti totius Germaniæ periculoſiſſimo ſtatu oneris Epiſcopalis pondus me imprimis vehementer terrefecit, nihilominùs tota cordis & mentis meæ fiducia in Eminentiam Veſtram, quam hactenus ſemper mihi propenſiſſimam ultra merita mea expertus fueram, iterum erexit, ut Divinæ Ordinationi, atque voluntati me tandem eò promptiùs ſubjecerim quò firmioris erga Eandem ſpei & fiduciæ eſſe cœpi, Eminentiam Veſtram gratiâ ſua auxiliatrice in promovendo electionis hujus negotio mihi etiamnum adſuturam; quod ſicuti de innata ſua in omnes benigniſſima propenſione mihi certè ſpondeo, ita me & Eccleſiam Paſſavienſem ulteriori ſuæ gratiæ enixiſsimè commendatum volo Paſſavii 25. Maji 1689.

Eminentiæ Veſtræ &c.

VII. Satagit pro retinendo Canonicatu Salisburgenſi.

Impetratis interea ex Aula Viennenſi conſuetis Regalibus & impertitione beneficiaria; præterea confirmatione privilegiorum Diœceſi & Eccleſiæ Paſſavienſi jam olim indultorum, quærebatur locus gratiæ apud ſummum Pontificem pro Canonicatu Salisburgenſi, quem eatenus poſſederat, etiam deinceps retinendo. Hìc ei rurſum Leopoldus Cæſar ſuppetias tulit interpoſitis apud Innocentium XI. precibus: quæ ſubinde rebus humanis exempto Pontifice apud Succeſſorem inſtauratæ ſunt: verſabatur id temporis Cæſar Auguſtæ Vindelicorum ob cauſam coronandæ Conjugis Eleonoræ Magdalenæ: ea fuit Epiſcopo, qui præſens aderat, felix occaſio Cæſarei favoris auram ad impetranda permulta captandi; in quibus erat ipſum, de quo dicimus, negotium

Patrono Cæſare.

de retinendo Canonicatu ſupradicto: duas tum epiſtolas Cæſar ad Urbem dedit,

Digitized by Google

dit, unam ad Pontificem novum Alexandrum VIII. deinde ad Cardinalem Mediceum: utramque hic adferimus. Prior ſic habet:

Beatiſsime Pater.

Non latet Sanctitatem Veſtram, honorabilem & illuſtrem Conſiliarium noſtrum intimum & Camerarium devotum nobis dilectum Joannem Philippum Comitem à Lamberg, liberum Baronem in Ortenegg & Otenſtain, aliquot ante menſes in Epiſcopum Paſſavienſem concordibus totius penè Capituli ſuffragiis, nec minori omnium applauſu, & approbatione electum, tribus Canonicatibus Salisburgenſi nimirum: Patavienſi & Olomucenſi hactenus gaviſum fuiſſe, de quibus diſponendis Jus Beatitudini Veſtræ competit. Memoratus verò Electus Epiſcopus Salisburgenſem retinere anhelans, Sanctitatem Veſtram in retentione hac ob ſequentem rationem condeſcenſuram ſperat: quòd familia Lambergica plura beneficia Salisburgi fundaverit, eòque in collatione Canonicatûs ibidem peculiaris ſemper familiæ hujus habita ſit ratio; quod motivum cùm juſtis nitatur fundamentis, eximiorum præterita meritorum ſæpe nominatæ ſtirpis de domo noſtra æquè, ac ipſamet Republica Chriſtiana comparatorum memores, defuncti Pontificis Beatitudinem piiſſimæ memoriæ pro impertienda ſuprà memoratæ retentionis gratia interpellavimus, non inani ſpe Ejusdem impetrandæ, niſi prematurus ſuæ Sanctitatis obitus interceſſiſſet: Cùm verò paternum ejus amorem erga nos reſuſcitatum in Sanctitate Veſtra, quippe digniſſimo Succeſſore reviviſcere dignoſcamus, memoratam gratiam præfato Epiſcopo Paſſav. ab ejus bonitate conſequi ſperamus, quem in finem priora noſtra repetimus officia, iterum iterúmque Sanct. Veſtram filiali ſtudio & obſervantia obteſtantes, quæ nobismet ipſis ſingularem præſtitura eſt conſolationem, dum interpoſitionem noſtram pro viro optime merito non infructuoſam abire permiſerit; proinde non rejiciendam fore confidimus; & viciſſim Beatitudini Veſtræ reverenter nos commendamus, vitam diuturnam, Eccleſiæque DEI militantis feliciſſimum regimen pro majori ejusdem bonique publici incremento filialiter apprecamur. Auguſtæ Vindelicorum 20. Octobr. 1689.

Eventus patefecit, orationi ſuum conſtitiſſe fructum. Literæ verò ad Mediceum fuêre ſequentes:

Leopoldus.

Meminit R. C. Veſtra, nos eidem aliquo abhinc tempore literas noſtras commendatitias ad Beatiſſimum Summum Pontificem pro retentione Canonicatûs Salisburgenſis Electo nuper Epiſcopo Paſſavienſi Comiti Joann. Philippo à Lamberg concedenda, Beatitudini ſuæ tradendas incluſiſſe, commendata ſimul deſiderii noſtri votique prædicti Epiſcopi promotione de qua non dubitamus. Certum nobis effectum promiſiſſemus, niſi Beatitudo ſua obitu funeſto præventa fuiſſet. Jam verò digniſsimo Succeſſore ad Sedis Apoſtolicæ thronum evecto & nobis uti ſperamus non minùs propenſo, officia noſtra repetere non dubitamus C. V^ram^ obnixè requirentes, velit conſignato ſuæ Sanctitati adjecto autographo deſiderium præfati Epiſcopi, cui noſtrum conjunctum eſt, ſolita ſua dexteritate proponere, ſuâque ita promovere ſolicitudine, ut memoratus Epiſcopus optatum proximè conſequatur effectum, noſtram interpoſitionem apud ſuam Beatitudinem æquè ac Dilectionem Veſtram non vulgarem, neque irritam fuiſſe intelligat, quam in reliquo de affectu, benevolentiâque noſtra Cæſareâ certam cupimus.

Auguſtæ Vindelicorum 20. Octobr. 1689.

Ita Lambergius Princeps damnatus voti, in poſſeſſione Canonicatûs potiorem vitæ reliquæ partem duravit; dum eum demum paulo ante finem Nepoti ſuo Aloyſio Comiti Lambergio conſignaret.

Anno ſequenti Cardinalis Colonitzius, quem anno ſuperiore invitatum diximus, Paſſavium ſe contulit menſe Junio; Presbyterum & mox Epiſcopum conſecravit ipſo feſto Pentecoſtes: erant illi dies Paſſavienſibus inter ſolemniſſimos: dum ritè inauguratur Pontifex; dum primitias ſacroſancti myſterii DEO litat; dum ornatiſſimo apparatu è monte Virginis Auxiliatricis in urbem ſuam Princeps more Majorum ingreditur; dum à civibus Sacramentum fidei ſuſcipit tantâ magnificentiâ & celebritate, ùt quod ait Horneggius, de ſingulis dicere diſertè neque tempus ſinat, nec locus. Hæc menſe Junio anno

VIII. 1690. Conſecratur.

anno 1690. peracta ſunt. Redux indè Cardinalis, officiorum in ſe collatorum memor, mox literas familiares Italico idiomate, ſua manu ſcriptas, ex urbe Vienna die 18. Junii ad Epiſcopum dedit, ubi multis planè gratiarum actionibus prædicabat honores & xenia, cujusmodi adhuc per omnem ſuam annorum ſexaginta ætatem nuſpiam alibi ſit expertus.

Initium facit à Sacris. Mox Antiſtes ab Jove principium fecit; aggreſſus ad opera Cathedralis baſilicæ curavit altaria, ſacella, organum muſicum, propylæa portarum è marmore, novum Sanctiſſimi Corporis oſtenſorium, calices, candelabra argento cuſa, aliáque exornando templo ſupellectilia luculentis impendiis.

Sedulus in muniis epiſcopalibus. Quamdiu per negotia publica licuit ſedem ſuam incolere, nemo eò ferventior in explendis epiſcopalis Officii partibus: ipſe Feſta, quæ *Celſiſſimi* vocantur, per ſe conſtanter celebravit; functiones Ordinationum, Confirmationes, aliáque ejus generis ſolus unúſque obivit.

Aula magnifica. Aulæ ſtatum pro genio ſuo moderabatur: ùt enim erat animo excelſo, magnifico, liberali, planè regio, qui facere beneficium quàm accipere multò mallet; ita rem domeſticam inſtruebat largè, magnificè, procul illis parcimoniæ tædiis: dies agebantur læti officiis genialibus: raro ſine convictu nobiliorum hoſpitum & advenarum: erátque rei opſonariæ vinariæque redundans quoddam copiæ cornu, ipſáque liberalitatis veluti ſedes. Verbo, univerſa aulæ ratio lauta, decora, planè digna Principe. Nihilo tamen ceſſatum eſt in fabricis cùm palatii tum Baſilicæ Cathedralis; in quorum utroque quantos effuderit ſumptus, quanta perfecerit, referemus in fine.

IX. Excepit eum mox à principio annoſa cum Salisburgenſibus lis, quæ anno

Lis cum Salisburgenſibus. 1651. ùt aliàs diximus, reſuſcitata, per Joannem Erneſtum Thunium Archiepiſcopum Salisburgenſem omni ope premebatur; & fuerat inter Leges Capitulationis, ùt vocant, Archiepiſcopo eligendo jurandas à Capitulo Salisburgenſi ſtatutum, ut electus Eccleſiæ ſuæ jura pro viribus vindicaret, ac nominatim uti proſequeretur iſthanc cum Paſſavienſibus cauſam: quo res in Officio Romano, quod Rotam vocant, eo promota eſt, ut tota in Salisburgenſium commodum penderet Romana bilanx. Tunc demum patuit, quàm fortunato conſilio Paſſavienſes Lambergium ſibi Antiſtitem adſciverint, quippe qui non prudentiam modò & induſtriam tanto certamini parem, ſed quod præſentiſſimum erat cauſæ vacillantis præſidium, favorem & patrocinium Cæſaris multis ſuis promeritis ſibi dudum adjunctum ad Eccleſiæ ſuæ dignitates propugnandas attulerit. Explicabimus ordine, quid hac in re ſub Lambergio, ſeu Romæ, ſeu Ratisbonæ, ſeu Viennæ geſtum ſit: neque enim quempiam opiner adeò durum, ut ſuccenſeat me iſta referre, quæ typis dudum & ſæpiùs edita, juris alioqui facta ſunt publici.

1691. Prima Rotæ Rom. Deciſio. Anno 1691. die 26. Novembris Rota Romana decidit his verbis: *Conſtare de jure Metropolitico Eccleſiæ Salisburgenſis, etiam ad effectum manutentionis, non verò de exemptione Eccleſiæ Patavienſis.* Ita deciſio lata coram R. P. D. Priolo. Ita opuſculum, cui titulus: Brevis Notitia Jur. Metrop. Salisb. §. 2. in fine; & exemplar impreſſum Romæ anno 1692.

1692. Hoc judicium perlatum ad ſupremum Senatum Aulico Imperialem, qui *die 17. Martii anno 1692. cenſuit reſolutioni coram ſupremo Judice datæ nihil contrarium ſtatuendum eſſe.* Ibidem §. 3. n. 1.

Deciſio ſecunda. Publicata brevi poſt altera ejusdem Rotæ deciſio in eandem ſententiam, jámque propediem expectabatur ſententia definitiva, ùt vocant: cùm Cæſar literis ad Pontificem datis interceſſit, petendo uti definitio per anni ſaltem ſpatium ſuſpenderetur pro ulteriore cauſæ diſcuſſione; Literæ ſic habent:

Cæſar petit ſententiam definitivam ſuſpendi. *Literæ habentur in ſuccincta narrat. Paſſav. p. 67* *Beatiſſime &c. Sanctitatem Veſtram brevibus hiſce interpellandi anſam præbuit, quòd ad Nos relatum ſit, cauſam inter Archiepiſcopalem Eccleſiam Salisburgenſem ex una: & Patavienſem alterâ parte, ratione prætenſi Suffraganeatûs, à tempore memoriam hominum excedente controverſam, nunc inopinatò eò eſſe deductam, quod à Rota proximè ferri deberet ſententia definitiva. Nos, quibus nullatenus animus eſt, in re hac ſpirituali Nos immiſcendi, aut jura etiam partium unius præ altera plus æquo tuendi, cùm cuique, quod ipſi de Jure & Juſtitia competere videbitur,*

lubentes

lubentes faveamus; ſolùm de motibus, quos nemo non prævidet ex Deciſione cauſæ ſubſecuturos, ſummopere ſoliciti hæremus; qui utique turbatas aliunde ſatìs Germaniæ res, perplexiùſque Eccleſiarum ſtatum, qui ſi unquam exegerit concordiam, modò vel maximè eandem expetere videtur, magìs adhuc involvere & convellere poſſent. Intereſt præterea non parùm Noſtrâ quà Archiducis Auſtriæ ſubditorùmque Noſtrorum, per mutationem (quam ſors ſubſequi faceret cauſæ Deciſio) ſtatûs Eccleſiæ Paſſavienſis, cujus Antiſtitem uterque Archiducatus noſter ſuper & infra Anaſum, ſuum Ordinarium agnoſcit, pacta & concordata inter Nos & præfatam Eccleſiam tum nova tum antiqua non labefactari, ſed ſuo in vigore conſervari inconcuſſa. Ut proinde Sanctitatem Veſtram præſentibus impensè rogandam duxerimus, quatenùs ſuſpenſione per ſpatium unius ſaltem anni, ulteriùs cauſæ diſcuſſioni tantum temporis indulgere velit, quo vel cauſa iſta, tanta antiquitate involuta, per deſtinatum ad Aulam Noſtram Nuntium Apoſtolicum, quem quotidie præſtolamur, oportunè componi, aut Juribus ſaltem Noſtris ſubditorùmque Noſtrorum pro exigentia cauſæ, maturâ diſquiſitione proſpici poſſit. Quam juſtiſſimam intentionem Noſtram, utpote in ipſiuſmet præmemoratæ utriuſque Eccleſiæ bonum intendentem, à Sanctitate Veſtra Nos facilè obtenturos Nobis firmiter perſuaſum habemus. De cætero Eidem longam annorum ſeriem, perennémque ſalutis incolumitatem pro incremento Eccleſiæ, Reique Catholicæ impensè apprecantes. Datæ Viennæ 18. Aprilis, 1692.

Detulit Imperatoris precibus Papa, ſententiæque definitionem ſupremam, ùt ille petierat, ſuſpendi conceſſit: utì liquet ex reſponſoriis Ejus ad Cæſarem datis die 21. Junii Anno 1692.

Conficitur Tabula Geogr. Auſtriæ.

Approbata à Cæſare.

Succincta Narrat. p. 63.

Multum in eo ponebat Antiſtes, utì *identitatem* hodiernæ ſuæ Diœceſis Patavienſis cum veteri Laureacenſi oſtenderet: ex quo ſcilicet ita argueret; eandem eſſe diœceſim, igitur & eandem Eccleſiam, eadémque jura. Itaque confici curavit Tabulam Geographicam Auſtriæ, quam eſſe legitimam & limites utriuſque Auſtriæ accuratè exprimentem certi à Cæſare deputati agnoverunt, ipséque Cæſar inſtrumento authentico talem eſſe declaravit addito: *à tempore immemoriali huuc usque in diem de alio Metropolitano vel Ordinario præter Paſſavienſem, olim Laureacenſem, ſibi ſubditisque ſuis in Auſtria non conſtitiſſe, nec hodiedum conſtare; exceptis Viennenſi & Neoſtadienſi à Friderico Tertio Imperatore fundatis Epiſcopatibus, paucisque parochiis versùs Styriam ſitis & ad jurisdictionem Salisburgenſem pertinentibus. Datum Viennæ die 15. Julii anno 1692.*

X.

1693.

Cæſar offert ſe arbitrum amicæ compoſitionis.

Summarium Salisb impreſſum Romæ.

Tabulam iſtam Philippus ad Sedem Apoſtolicam ſacrámque Rotam meliùs informandam transmiſit Romam. Premebatur interea negotium & Romæ & Viennæ coram Nuncio Apoſtolico; eóque ferebatur Cæſar, ut controverſiam amicabili, ùt vocant, compoſitione finiret; quare miſſo ad Archiepiſcopum Salisburgenſem Barone de Eck Conſiliario Aulico Imperiali ſe arbitrum Archiepiſcopo obtulerat: ad quod itidem multis eum hortatus argumentis per Patrem Wolff Societatis JESU, alióſque. Verùm declaravit Antiſtes ſibi in votis eſſe, utì Cæſar inceptum juſtitiæ curſum in Rota Romana promovere potiùs quàm impedire vellet: ad quod Cæſar literis ad eum datis ita teſtatus eſt, *non eſt*, inquit, *intentionis meæ dilectionem veſtram contra ſuam voluntatem cogere* (ad compoſitionem videlicet) *minùs in hac ſpirituali cauſa ullum judicium prætendere aut juſtitiæ curſum impedire. Deſuper offero me ad amicabiliter componendas hinc inde notas differentias & controverſias inter meam provinciam Auſtriacam & dilectionem veſtram. Datum Viennæ die 21. Februarii An. 1693.* Morem geſſit Archiepiſcopus, delectis qui negotium compoſitionis Viennæ tractarent.

Patrocinium cauſæ Paſſav. ſuſcipit.

Quòd verò cauſa nihilominus Romæ procederet, appeterétque terminus induciarum anno ſuperiori præfixus, rurſus Cæſar Pontificem per epiſtolam convenit, qua disertè Paſſavienſis Eccleſiæ Patronum agit, orátque precibus, argumentis, ne deciſio aut ſententia quæcunque contra diœceſim Paſſavienſem ullo modo ſortiatur effectum aut executionem; útque eam ſub immediatam Sedis Apoſtolicæ poteſtatem recipiat: digna eſt epiſtola quæ recitetur.

Succincta Narratio pag 70. *Beatiſſime in Chriſto Pater, Domine Reverendiſſime. Poſt officioſiſſimam commendationem filialis obſervantiæ continuum incrementum. Accepimus gratiſſimas reſponſorias, quas Sanct. Veſtra 21. menſis Junii anni proximè elapſi ad Nos dare placuit ad Epiſtolam, quam pro ſuſpenſione Deciſionis cauſæ, in Rota Romana vertentis inter Eccleſias Salisburgenſem ex una: & Paſſavienſem ex altera parte, ratione prætenſi Suffraganeatûs ad Sanct. Veſtram exaraveramus.*

Præmiſsâ igitur ea, qua par eſt, gratiarum actione, pro paterna annuitione deſideratæ à Nobis pro rei exigentiâ, ſuſpenſionis, vel dilationis ad tempus, cauſæ præfatæ. Non intermiſimus ſollicitè ſuper negotio cauſæ hujus, tam quoad ſpiritualia quàm temporalia uberiùs inquirere, & cùm ex habita matura rei diſcuſsione compertum ſit, noſtrâ quà Archiducis Auſtriæ, fideliúmque ſubditorum Noſtrorum utriusque Archiducatûs Noſtri infrà & ſupra Anaſum, ob plurimas eásque prægnantiſsimas rationes & cauſas (quarum fuſiori deductione hiſce quidem Sanct. Veſtræ moleſti eſſe noluimus, prolixiùs tamen exponi curavimus Nuntio Apoſtolico, pro nunc in Aula Noſtra commoranti: Nec non per eum, cui negotium Romæ exponendum ſpecialiter committimus) vel maximè intereſſe, ne circa Eccleſiam ſeu Diœceſin Paſſavienſem quidquam per ullam ſubjectionis notam decerni contingat, prout plurimæ, eæque graviſſimæ rationes ac cauſæ à Sanct. Veſtra, ut ab ejusdem æquanimitate & paterno in Nos animo Nobis pollicemur, pro ſufficientibus agnoſcendæ poſtulant, ne quæcunque deciſio aut ſententia contra Diœceſin Paſſavienſem ullo modo ſortiatur effectum aut executionem. Proinde id unicè inſtantiſſiméque à Sanct. Veſtra expetimus, quatenùs Eccleſia Paſſavienſis perpetuis deinceps temporibus (præſertim cùm aliter ſtatuendi nulla appareat Eccleſiarum aut publicæ rei vel neceſſitas, vel utilitas, verùm potiùs periculum diſcordiarum & ſcandalorum majorum) ſub immediata Sanct. Veſtræ & S. Sedis Apoſtolicæ in ſpiritualibus poteſtate ac protectione ab omni Metropolitico Jure & Jurisdictione independens, & libera ſit, atque permaneat, talique independentiâ & libertate omnimoda quibuslibet non obſtantibus, continuò frui ſinatur. Et quemadmodum præfatarum Ditionum Noſtrarum intra Paſſavienſem Diœceſin conſtitutarum, quies, publicíque ſtatûs ratio, nec non aliæ relevantiſſimæ convenientiæ idipſum exigunt; ſic ſumma quoque ſollicitudine, ei jugiter invigilare, & quascunque inteſtinarum novitatum indéque pullulantium convulſionum, diſſidiorúmque occaſiones amputare tenemur: Hac itaque planè freti æquanimitate Sanct. Veſtræ, & ſingulari pacis ſtudio nulli prorſus dubitamus, quin juſtiſsimis & enixis hiſce filialibus precibus Noſtris paternè ſit aſſenſura. Quod erga Sanct. Veſtram mutuis filialis obſervantiæ ſtudiis per omnem occaſionem promereri non intermittemus. Laxemburgi 8. Maji, Anno 1693.

Poſtſcriptum

Propriâ Auguſtiſſimi Imperatoris manu exaratum.

Cùm immenſi beneficii loco in acceptis perpetuò referam, ſi Paſſavienſem Eccleſiam & Diœceſin univerſam, quod inſtantiſsimè rogo, de benignitate Apoſtolica, ex plenitudine poteſtatis, ad plurima ſtatûs mei incommoda, quæ prævideo, avertenda, ſub immediatam in ſpiritualibus ſuam & S. Sedis poteſtatem recipere ac declarare, ſicque tranquillitati publicæ tam ſpirituali, quàm temporali, ſubditorum paci, & propriarum mearum ditionum neceſsitati conſulere dignata fuerit.

Succ. Narr. p. 71. Hucusque Cæſar; qui pariter miſſo ad Nuntium Apoſtolicum Viennæ reſidentem ſupremo Aulæ ſuæ Cancellario Comite Stratman, ei ob oculos poſuit ea, *ob quæ neque quà Cæſar, adeòque ſupremus Eccleſiarum Advocatus, neque quà Archidux Auſtriæ permittere poſsit erectionem Eccleſiæ Salisburgenſis in Metropolitanam Paſſavienſis; utpotè quæ ſine ulla aut neceſsitate, aut utilitate Eccleſiarum Antiſtites inter ſe, eorúmque familias, tum vel maximè Clerum & populum turbatura; pacta, juráque Auſtriaca convulſura, & plurimas, eásque peſsimas conſequentias, ſcandala & novitates poſt ſe tractura ſit. Omnis juſtitiæ legúmque primarium objectum eſſe ſalutem populi, quæ ſuprema lex. Hisce ſine hoc turbulentiſsimis temporibus non opus eſſe novis turbis &c.* Ita refert ipſe Cancellarius in literis ad

Succ. Narr. p. 82. Epiſcopum Paſſavienſem. Præterea Cæſar legato Romam Franciſco Tuccio Conſiliario Imperiali Aulico *easdem prægnantiſsimas rationes coràm fusiùs exponi*

poni mandavit, uti habetur in literis honorariis ſeu delegatoriis ad Pontificem datis *die 13. Maji an. 1693.* quibus *eum orat, ut prædicto Tuccio facilem acceſſum, aurem benignam, plenámque fidem præbere dignetur.*

Interea tractatu Viennæ habito inter delegatos Archiepiſcopi Salisburgenſis & Epiſcopi Paſſavienſis (partes ſuas interponente Comite de Stratman magno Cancellario) ſequens concordia ſtabilita fuit (reſervato tamen conſenſu utriusque Capituli) quæ refertur in Summario Salisburg. Numero I. in hæc verba: XI. Transactio Viennæ conventa.

„ Poſtquam Cæſareæ Majeſtati relatum fuit controverſiam in Rota Ro-
„ mana inter D. Archiepiſcopum Salisburgenſem ex una, & D. Epiſcopum Paſ-
„ ſavienſ. ex altera partibus ſuper Jure Metropolitico pendentem, eò deductam
„ eſſe, ut publicatis jam duabus in favorem D. Archiepiſcopi deciſionibus,
„ ſententia definitiva propediem expectaretur: pro ea, qua utramque Eccleſiam
„ tanquam Advocatus complectitur Cæſarea gratia & benevolentia, & ut ſimul
„ ſuis, quà Archiducis Auſtriæ juribus caveretur, intervenit, & interpoſita autho-
„ ritate, Officiisque ſuis eò rem deduxit, ut ſub utriusque Capituli ratificatione,
„ altè memoratus D. Archiepiſcopus & D. Epiſcopus in ſequentes articulos
„ convenerint.

Primò. Ut utraque pars ſine impedimento quocunque in Rota Romana jura ſua omni meliori modo proſequi porro poſſit.

Secundò. Quòd ſi jus Metropoliticum per ſententiam definitivam, à qua
„ provocari non poſſit, D. Archiepiſcopo & Eccleſiæ Salisburgenſi adjudicare-
„ tur, promittit D. Archiepiſcopus, ſententiam contra D. Epiſcopum Paſſavi-
„ enſem ejúsque Eccleſiam aut Diœceſim nullo modo eſſe mandandam execu-
„ tioni, quamdiu modernus Epiſcopus Paſſavienſis in vivis fuerit & præfuerit
„ Eccleſiæ ſuæ.

Tertiò. Promittit inſuper D. Archiepiſcopus pro ſe & Succeſſoribus ſuis,
„ quòd ad ejus ſententiæ executionem in Provinciis Cæſareæ Majeſtatis hære-
„ ditariis proceſſurus non ſit, niſi conventione priùs cum ſua Majeſtate quà
„ Archiduce Auſtriæ intra breve tempus inita, qua hæc executio cum juribus
„ & rationibus ſtatus Auſtriaci combinetur & inconcuſſa ſtent, maneántque
„ jura, & rationes Auſtriacæ. In caſu autem, quo conveniri non poſſet, con-
„ ſtituantur arbitri ab utraque parte.

Quartò. Denique hæc, quæ omnibus Articulis hiſce continentur, tum
„ demum locum habeant, nec antè quàm utriusque Capituli acceſſerit con-
„ ſenſus. In fidem &c. quorum præſens receſſus in triplo expeditus Cæſarea
„ ſubſcriptione Sigillique Cæſarei impreſſione, nec non ſæpius memorati D.
„ Archiepiſcopi Salisburgenſis & D. Epiſcopi Paſſavienſis ſubſcriptionibus ſi-
„ gillisque roboratus eſt. Actum Viennæ Auſtriæ, ultima Auguſti 1693.

His ita Viennæ geſtis definitio Rotæ Romanæ per anni ſpatium, ùt ſuprà diximus inhibita pervenit ad liquidum. Nam *die undecima Decembris anni ejusdem 1693.* hæc tandem ſententia prodiit: *dicimus*, inquiunt, *pronunciamus, decernimus, declaramus, ac definitivè ſententiamus Archiepiſcopo Salisburgenſi pro tempore exiſtenti licuiſſe & licere in Eccleſiam & Epiſcopum Paſſavienſem, ac in ejus civitatem & diœceſim Jus Metropoliticum & omnes actus Juris Metropolitici plenè & omnimodè exercere: nec conſtitiſſe aut conſtare de aliqua exemptione ſeu libertate Eccleſiæ & Epiſcopi Paſſavienſis ejúsque civitatis & diœceſis à Jure Metropolitico Eccleſiæ Archiepiſcopalis Salisburgenſis & Suffraganeitate erga illum ejúsque Archiepiſcopos pro tempore &c.* XII. Sententia Rotæ Rom. *Summar. Sal. item Lunig Dipl. Auſtr. & Styr. Cont. 3. p. 130.*

His additum mandatum *de manutenendo* conceſſum à Sacra Rota Archiepiſcopo Salisburgenſi *in poſſeſſione ſeu quaſi, exercendi dictum jus Metropoliticum.* Ita ibi.

His quidem hunc in modum pronuntiatis nondum tamen finis erat impoſitus intricatiſſimæ liti. Epiſcopus enim Paſſavienſis appellationem fecit, cujus cognitio commiſſa à Pontifice eſt Alexandro Capraræ Sacræ Rotæ Auditori: exinde diſputatio nova coorta eſt: *an & cui danda veniret manutentio: & an ſententia Rotalis eſſet confirmanda vel infirmanda.* 1694. *Summar. Salisb.* Paſſavienſis appellat.

XIII. Repudiatur concordia nuper concepta. Paſſavienſis petit ſibi reddi dignitatem Laureac.

Factum interea, ut opperente mortem Stratmanno Comite, Magno Cæſaris Cancellario, nova inſtrueretur cauſa. Nam Capitulum Paſſavienſe repudiabat concordiæ temperamentum, quod nuper Stratmanno Comite ſequeſtro Viennæ concinnatum fuerat; indè Epiſcopus deſertâ viâ juſtitiæ, recurrit ad viam gratiæ, flagitando alterutrum, nempe aut erectionem Eccleſiæ ſuæ in Metropolitanam, aut ejus exemptionem. Pro dignitate Metropolitana pugnabant ea, quæ hactenus in opere noſtro dicta, hunc in finem ſervientia, proferri poterant, cumprimis identitas Eccleſiæ Paſſavienſis cum vetere Laureacenſi; proinde dignitas Archiepiſcopalis in Eccleſia Paſſavienſi *habitualiter*, ùt dicunt, hodiedum perſeverans, quamvìs per injuriam temporum impedito ejus actu & exercitio. His in ſubſidium allata Pontificum hoc in genere Decreta à nobis aliàs ordine recitata: oſtenſa item neceſſitas, utilitas, ob amplitudinem diœceſis Paſſavienſis ſexaginta propè Leucarum Teutonicarum: numerum animarum facilè mille millium, cum multis civitatibus & oppidis, in quibus erigi plures poſſint Sedes Epiſcopales in earum ſubſidium & cultus divini augmentum ſub magìs propinquo Paſtorum regimine; quæ & alia videri poſſunt, partim in Summario Salisburgenſi Romæ edito anno 1695. partim in opuſculis Apologeticis, quorum uni titulus: *Succincta narratio facti & juris pro nativa exemtione Eccleſiæ Paſſav.* alteri: *Informatio hiſtorica pro nativa exemtione &c.* quorum opuſculorum auctor eſt Doctor Erathus Epiſcopi Bibliothecarius, deinde Præſul ampliſſimus Canonicorum ad S. Andream inferioris Auſtriæ. Tertium eſt Idiomatis vernaculi cum titulo: *Gründlicher Bericht von dem Anfang, Weſen, und Zuſtandt des uralten Erz-Stiffts Paſſau:* compoſitum ab Horneggio Paſſavienſis aulæ ornamento præclaro.

Summar. Sal.

Quem Cæſar fulcit.

Sed maximi argumentum momenti erat auctoritas Cæſaris, qui in cauſam ingreſſus pro Paſſavienſi perorabat. Reverterat ab Urbe Franciſcus Tuccius, anno ſuperiore eodem ablegatus: hunc rurſum Cæſar dimittit cum literis ad Pontificem, è quibus ſummam cauſæ colligere liceat: eæ ſic habent:

Beatiſſime in Chriſto Pater, Domine Reverendiſſime. Poſt officioſiſsimam commendationem filialis obſervantiæ, continuum incrementum. Quibus de cauſis, Exhibitorem præſentium, Honorabilem doctum Conſiliarium noſtrum Imperialem Aulicum, Devotum Nobis dilectum Franciſcum Tucci, interruptò negotiò ſibi commiſſo nuper ab Urbe revocatum illuc remittere decreverimus, id non ſolùm Sanctitati Veſtræ Ejuſdem ad Aulam Noſtram Cæſaream Nuntius Ordinarius literis ſuis præmiſsis inſinuaverit, verùm etiam ipſe Tucci, ad quem Nos referimus, fusiùs præſens expoſiturus eſt. Huic ut Sanctitas Veſtra acceſſum, aurem benignam, & plenam in omnibus ex Mente Noſtra dicendis & exequendis fidem præbere non dedignetur, hisce perquàm benignè petimus. Nobis hinc indè recogitantibus, quænam cauſa Archiepiſcopum Salisburgenſem ad ſubjectionem Paſſavienſis Eccleſiæ ſub tuendorum jurium Metropoliticorum prætextu per aliquot ſecula quaſi intermiſſam, à paucis verò annis ſervidis officiis reſuſcitatam, & nunc ardentiùs efflagitatam movere potuerit, & adhuc poſſit; non occurrit aliqua vel Eccleſiarum, vel publicæ rei neceſſitas. Si enim ejusmodi cauſa militaret, omnes profectò Anteceſſores Moderni Archiepiſcopi Salisburgenſis propugnandis Eccleſiæ ſuæ Juribus, promovendæque animarum ſaluti non defuiſſent: inſuper ipſa ſacra Sedes Apoſtolica tanto tempore pro paterna ſua in gregem ſibi commiſſum ſolicitudine, quæ pro reipublicæ Chriſtianæ & Eccleſiarum majori commodo & incremento, vel utilia, vel neceſſaria judicâſſet, executioni mandare non diſtuliſſet. Quanto igitur Noſtro præjudicio paciſque publicæ periculo, innovatio ab Archiepiſcopo Salisburgenſi quæſita fieret, Sanctitas Veſtra, ubi ad corruptum per varias hæreſes, bellorùmque variorum motus ſæculum, quibus Respublica Chriſtiana in præſentiarum involuta eſt, reſpexerit, perfacilè comprehendet. Quamobrem ad plurima non tam Noſtri ſtatûs Auſtriaci incommoda, quàm Catholicæ Religionis medios inter hæreticos ſcandala, quæ providemus, avertenda, immenſi beneficii locò acceptum perpetuò feremus, ſi Paſſavienſem Eccleſiam & diœceſim, ad revindicandam Anteceſſorum Antiſtitum ac Sanctæ Sedis Apoſtolicæ famam & æſtimationem aut ab omni ſubjectionis nota perpetuò immunem, & à jure Metropolitico prorſus exemptam facere; ſive quod inſtantiſſimè rogamus, neque cum ratione fundamentali controverti ab aliis poſſe conſidi-

Digitized by Google

confidimus, de benignitate Apoſtolica & ex plenitudine poteſtatis in Archiepiſcopatum erigere, ſicque periclitanti tranquillitati publicæ, tam ſpirituali quàm temporali, ſubditorum utrinque paci, denique ditionum noſtrarum hereditariarum neceſſitati (ſiſtendo interea ulteriorem litis curſum) conſulere dignata fuerit; quod omninò filialis Noſtræ obſervantiæ ſtudiis promereri conabimur. Cæterùm Sanctitati Veſtræ, ut pro Univerſalis Eccleſiæ bono, Noſtræque Domûs Auſtriacæ ſolatio diu ſoſpes & incolumis ſervetur, ex animo vovemus. Datum in Arce Noſtra Eberſtorffii &c. die 15. Septemb. 1694.

Deſignavit Papa Congregationem ſeu Collegium Judicum particulare, qui *ſuper libellum memorialem Tuccii cum aſſumtis, quibus hæc transverſalis poſtulatio continebatur,* disquirerent: ubi à Salisburgenſibus acerrimè repugnatum, uti videre eſt ex commentariis Cauſidicorum, quæ diffusè exhibentur in Summario Salisburgenſi: Cauſabantur rem jam non eſſe integram, ſed parti Salisburgenſi quæſitum jus per ſententiam definitivam. Nunquam Eccleſiæ Paſſavienſi conceſſam qualitatem Archiepiſcopalem, ſed Laureacenſi duntaxat, ita ut gratia tribueretur *Localitati* (liceat in his loqui ore Cauſidicorum) nec modò cauſam ſuppetere congruam reſtituendi veteris Metropoleos: neque enim diœceſim acceſſione aliqua nova creviſſe: neque idoneam eſſe habendo convenienti numero Suffraganeorum: neque præjudicium oriri ditionum Auſtriacarum, aut Nuntiaturæ Viennenſis: poſſe enim his caveri per tractatus peculiares, modóſque congruos, atque hodie cerni magnam Tiroleos Carinthiæque partem cum Styria ſubeſſe Metropolytæ Salisburgenſi. Neque eſſe periculum turbationum aut ſcandali: quin hæc potiùs timenda, ſi per factum gratiæ eluderetur via juſtitiæ. Neque uſum aut præſcriptionem contrariam: hunc enim maximè militare pro Salisburgenſibus, ut qui pluribus ſeculis juriſdictionem Metropoliticam exercuerint in Auſtria: appellationes diœceſanorum Paſſavienſium receperint, & quæ ſunt alia hujus generis. Cæſarem quidem à Paſſavienſibus facere: at deſiderium optimi Principis non præſumi abſtractum à juſtis cauſis, uti idipſum pateat ex declaratione Suæ Majeſtatis facta Archiepiſcopo Salisburgenſi: ſed nec novum eſſe tales gratias eſſe negatas Principibus. Neque denique Paſſavienſibus favere, quam prætenderent, identitatem Eccleſiæ ſuæ cum Laureacenſi: nam hanc rationem everſam vel per diviſionem Bavariæ factam per S. Bonifacium, nullo tum exiſtente in Bawaria Metropolita: vel deinde ex Ordinatione Arnonis Epiſcopi Salisburgenſis, non item Epiſcopi Paſſavienſis in Archiepiſcopum: vel denique per Bullam Martini Quinti Papæ, qui agnita ſemel hac identitate contrarium tamen ſtatuerit in alio decreto. Hæc & talia opponebantur ab Actoribus Salisburgenſium, queis ſummatim contendebant, neque neceſſitatem eſſe, neque utilitatem erigendæ Paſſavienſis Metropolis; aut reſtituendæ Laureacenſis. Proferebantur exempla, quantas usque tempeſtates inter Eccleſias omnibus ætatibus excitaverint novationes ejusmodi, ùt in erectione Archiepiſcopatus Pragenſis in Bohemia, de quo ſeculi pene ſpatio cum Moguntinenſibus decertatum: ſimiliter in erectione Pariſienſis in Francia, ejúsque abſtractione à Metropoli Senonenſi: Lundenſis in Dania, quæ Eccleſia priùs Hamburgenſi parebat. Hæc omnia prolixè deducta & explicata legere eſt in Summario Salisburgenſi. Quibus univerſim à Paſſavienſibus opponebatur jus vetus Eccleſiæ Laureacenſis, cujus uſu, nullo ſuo delicto, ſed per calamitates modò temporum caruerint; præterea titulus judicati per ſententias ſummorum Pontificum aliquoties obtentas ab Urolpho, Gerardo, Piligrino; quæ & alia ſatis amplè declarantur in Apologeticis ſuprà nominatis.

XIV. Fervet Roma litigium. *Summar. Salisb.*

Sed miri animorum motus ob eam rem in Imperio coorti ſunt: præterquam enim quòd Archiepiſcopus per Legatum ſuum, quid rerum ageretur in Comitio Ratisbonenſi explicari mandaverat, tum arrexit Imperialium oculos controverſia loci ſeu præcedentiæ in ſeſſione & votis, quam per inſtaurationem Laureacenſis Metropolis conſecuturam timebat: cùm enim Paſſavienſis Epiſcopus in ordine aſſidendi plerisque Epiſcoporum Germaniæ concedat, quippe inter Epiſcopos novemdecim, qui in Comitiis Imperii locum

XV. Motus in cœtu Ratisb.

 obtinent,

obtinent, ipſe ſedeat tertius decimus; jam revocata dignitate Metropolitica fore, ut uno veluti ſaltu Epiſcopos omnes poſt ſe relinquat. Præterea cùm in ferendo ſuffragio multis etiam heterodoxorum Principum fuerit hactenus poſterior; deinceps fore priorem: quæ res novas eſſet in Comitiis concitura turbas, hoc acriores, quo nondum eſſet obducta plenè cicatrix querimoniis nupernis ob ſimilem cauſam per noni Electoratus creationem exortis. Nec in cœtibus tantùm Germanicis præceſſurum Paſſavienſem, verùm etiam in Conciliis. Illud inſuper futurum, ut ejus Suffraganei, qui eſſent ob rationem Metropolis in Auſtria inſtituendi novi, & ipſi cooptentur in ſubſellia Imperii, indéque augeatur Suffragiorum Auſtriacorum numerus: quibus adeò rebus neceſſe ſit perturbari totum hactenus conſtitutum Imperii ſyſtema. igitur omnium pene ſtudia adversùs Paſſavienſium propoſitum mirum in modum exarſerant: ei verbo, ſcripto, veluti in cauſa omnium communi acerrimè reſiſtere. Quæ cùm ad Cæſarem perferrentur, ille miſſis ad Legatum ſuum Ratisbonæ ſedentem præceptis idoneis juſſit, utì Legatos Principum convenienter de mente Cæſaris edoctos opinionibus illis deduceret: epiſtola ſic habet: *Submiſſiſſimè Nobis relatum eſt, in ipſis Imperii Comitiis naſci ſuſpiciones, quaſi verò per reſuſcitationem Archiepiſcopatus Laureacenſis, eundem ad altiorem in Imperio evehere ſeſſionem; eidem in Conciliis Oecumenicis Nationalibus addicere præcedentiam; ipſiúsque planè Suffraganeos Collegio Principum adlegere intenderemus. Quæ ſanè ſuſpiciones ex certa ſcientia per vos tollendæ ſunt commonſtrando, quòd nulla prorſus de dicta altiore in Collegio Principum ſeſſione cura habenda; ſed Ordinarius Paſſavienſis quà futurus Archiepiſcopus eo loco manſurus ſit, ubi hucusque ſedebat; cùm vota Eccleſiaſticorum Imperii ordine Principatuum, & non præcisè ſecundùm Eccleſiaſticam, aliámve dari ſoleant dignitatem; exemplo Regum Bohemiæ & Sueciæ idipſum clarè docente. Oecumenica Concilia fierent profectò in Germania ex mirabiliſſima Providentia Divina; in quibus tamen pariter Paſſavium, ſeu Laureacum Epiſcoporum infimo priùs conſecrato, locum cedere deberet. Quæ verò hac in parte tribus Electoribus Eccleſiaſticis in Concilio Tridentino ſpecialiter attributæ fuerint prærogativæ, quòd nimirùm immediatè poſt Præſides ſedendo, reliquos omnes præceſſerint, ſatìs per ſe notum eſt, ſed neque Collegio Principum futuros intendimus aſſociare Suffraganeos, ſicut nec unquam Pragenſem, Olomucenſem, Gurcenſem, Seccovienſem, Lavantinum alióſque Epiſcopos eò introducere Nos velle animadverſum fuerit. Non eſt ergo, cur animi præſentium in Comitiis Imperii prætextu turbentur inani. Reſuſcitatio ſæpe dicti Archiepiſcopatûs Laureacenſis dependet à Sacra Sede, quò negotium aliunde remiſſum eſt. Vobis igitur incumbit ſiniſtra informatione forſitan præoccupatis data opportunitate, genuinum rerum ſtatum aperire, & à longè nimìs petita removere obſtacula. Nos verò Cæſareis &c. &c. Gratiis vobis permanemus probè addicti. 10ma Novembris. 1694.*

Cæſar informari jubet Legatos Ratisbon.

Ipſe Epiſcopus ad objecta reſpondet.

Paulò enucleatiùs ipſe ad objecta Epiſcopus reſpondit in Epiſtola ad Electores ſacros; „ ſanctè conteſtatus non eſſe ſui conſilii quidquam in Ordine Seſſionis aut Suffragationis novari: contentum fore loco hactenus obtento, quippe quòd ordo locorum imperialium non ſit ſolitus è modo ſacrarum dignitatum deſumi, ſed ſequatur ordinem principatuum, ſeu territoriorum, quorum ſyſtema hactenus uſitatum moveri neutiquam cogitaverit. Sic plures, Ducum titulo inſignes, Marchionibus aut Landgraviis dignitate ſedendi concedere: ſic Regem Bohemiæ quantumvìs Regem, tamen inter Electores Imperii non ſedere primum ſed quartum: ſic Epiſcopos Paſſavienſes quantumvìs *jure & habitu Archiepiſcopos*, tamen loco, quem hactenus retinuerint, fuiſſe contentos, multis Epiſcopis poſteriore: neque aliam ſibi aut Cæſari eſſe mentem, quidquid ex adverſo Archiepiſcopi Salisburgenſis procurator contendat. Clarere omnibus non aliud agi, quàm uti tantis diſſidiis ob exemptionem Paſſavienſis Eccleſiæ, quam Sacra Cæſaris Majeſtas graviſſimas ob cauſas ſartam tectam velit, immeritò commotis, quæratur aliquando pax; ídque non aſſerendo jus aliquod novum, ſed inſtauratione veteris per injuriam unicè temporum aliquando impediti. Neque verò appetere priores in Conciliis partes. Conſtare enim Ordinem locorum in Conciliis non è di-

„gnita-

„ gnitatibus, ſed ex ſenio ſeu ordine Conſecrationis ſolitum peti. De ſacris Ele-
„ ctoribus litem alioqui nullam eſſe, quos notorium ſit in Concilio Tridentino
„ conſenſu omnium proximos à Legatis Papæ, Præſidibus Concilii aſſediſſe. Ne-
„ que item ſibi veniſſe unquam in mentem, revocare veteres Eccleſiæ Laurea-
„ cenſis limites; aut Epiſcopatus in Styria & Carinthia ſitos, quæ provinciæ
„ olim Laureacenſibus Metropolitis paruerint, poſtliminio repetere: niſi cui
„ ſana mente prædito ſubeat metus, ne diœceſim omnem Salisburgenſem re-
„ petere cogitemus. Poſtremò rogat, uti cauſam ſuam Romæ per Legatos
„ adjuvare ne graventur. Datum Paſſavii die 30. Octobris. Anno 1694.

Ambiebantur ab utraque pariter parte ſtudia reliquorum Germaniæ Præ- XVI.
ſulum, quorum plerique à cœpto Paſſavienſi abhorrebant, literiſque reſponſo- Adverſantur
riis ad Salisburgenſem Archiepiſcopum palàm conteſtati ſunt, nihil omiſſuros Epiſcopi,
ſe, quò res inſolita, tanto ſuo præjudicio, & ſtatuum perturbatione cogitata Germaniæ.
intervertatur. Sic Epiſcopus Bambergenſis in literis datis Kal. Decemb. anno
1694. Herbipolenſis: Eichſtadienſis in datis die 16. Novembris ejusdem anni.
Conſtantienſis die 15. Novembris. Auguſtanus die 10. Novembris. Paderbor-
nenſis die 19. Novembris. Baſilienſis die 20. Decembris. Monaſterienſis
die 23. Decembris. Brixinenſis denique: qui omnes Salisburgenſi omnem
ſpondebant opem, per Legatos ſuos & Ratisbonæ & Romæ & Viennæ velut
in cauſa communi laturos: eorum epiſtolæ recitantur ad verbum in Summa-
rio Salisburgenſi. Bambergenſis aliam quoque epiſtolam dedit ad Cæſarem,
„ qua ſe excuſat, quòd non poſſit hac in parte aſſentiri, ob perturbationes mul-
„ tiplices, quæ ob præcedentiam orituræ ſint. Licèt enim Epiſcopus Paſſa-
„ vienſis proteſtetur nihil hac in parte velle aliis præjudicare; tamen Sedes
„ Apoſtolica non ſinet inverti Ordinem Hierarchicum: præterea Succeſſores
„ Paſſavienſes non ſtaturos eo pacto, niſi ſummùm in Seſſionibus Imperii;
„ extra verò ad præcedentiam eniſuros: & addit: neque meis Anteceſſori-
„ bus fortaſſis defuiſſent merita aut occaſiones, ſuas totaliter exemtas & pari
„ cum Archiepiſcopis modo cum Pallio, aliiſque prærogativis Archiepiſcopa-
„ libus decoratas Eccleſias in realem Archiepiſcopatum extollendi. Datum
„ Bambergæ Kalendis Decemb. Anno 1694. Idem ad Epiſcopi Paſſavienſis lite-
„ ras die prima Novembris ad ſe datas reſpondit, declarando hanc erectionem
„ fieri non poſſe ſine perturbatione aut Ordinis Hierarchici, aut ſyſtematis ha-
„ ctenus in Imperio recepti. Datum Kal. Decemb. Neque aliter Epiſcopus
Monaſterienſis, qui ob easdem rationes dehortatur eum deſiſtere à propoſito,
aut certè differre in tempus magis pacatum.

Denique eorundem Epiſcoporum Legati Ratisbonæ collecti compoſita XVII.
ad Pontificem epiſtola hunc in modum perorabant: Literæ Legatorum Ratisbon. ad Papam. Summar. Sal. n. 4.

*Beatiſſime Pater. Sanctitatis Veſtræ, ſacris pedibus advoluti humillimi Ora-
tores ad Comitia Ratisbonenſia ablegati nomine Celſiſſimorum & Reverendiſſimorum
Germanicæ nationis Epiſcoporum & Principum, Clementiſſimorum noſtrorum Prin-
cipalium, ſupplici prece repræſentamus, qualiter tam ex parte D. Archiepiſcopi Sa-
lisburgenſis, quàm ex parte Domini Epiſcopi Paſſavienſis noſtris D. D. Principalibus
ſignificatum fuerit, quòd S. Cæſarea Majeſtas Epiſcopatum Paſſavienſem in Archiepi-
ſcopatum erigi, vel ſaltem à Metropoli Salisburgenſi eximi deſideret, & in hunc finem
ſuum Conſiliarium Aulico - Imperialem Tuccium olim Viennenſis Nuntiaturæ Audi-
torem jam tum Romam ablegaverit: & quamvis præfatus D. Epiſcopus Paſſavienſis
memoratis noſtris D. D. Principalibus polliceatur, neque Auguſtiſſimum, neque ſe
per hanc erectionem ullum Statibus Imperii in ſuis juribus aut præcedentia illaturum
præjudicium; nihilominùs rem penitùs intuentibus, variæ ac ineluctabiles ſeſe obji-
ciunt difficultates, quas ſæpe memorati DD. noſtri Principales vi muneris, & debiti,
quo Sedi Apoſtolicæ, Auguſtiſſimo Cæſari, Imperio, ſuæque Excellentiæ & Dignitati
ſe obſtrictos profitentur, ad avertendam hujusmodi novitatem Veſtræ Beatitudini hu-
millimè proponere compelluntur, ſolemniſſimè tamen proteſtantes, nolle ſe ullatenus
ſupremæ Pontificiæ auctoritatis, quam velut filii obſequioſiſſimi profundiſſimè veneran-
tur, modum ponere, quin potiùs filiali zelo, quo erga Beatitudinem Veſtram ejusque
Sanctam Sedem feruntur, benè de eadem ulteriùs promereri ſperant, ſi Sanctitati Ve-*

ſtræ

ſtræ fideliter detegant, quàm magna & Ordini Hierarchico perículoſa ex Paſſavienſis Eccleſiæ exaltatione, ſeu colorata Laureacenſis Archiepiſcopatus reſuſcitatione, quin imò etiam exemtione, inconvenientia, relicto juſtitiæ curſu, poſſent enaſci. Et quidem cùm notorium ſit, litem in puncto juris Metropolitici à multis retrò annis inter Celſiſſimos D. Archiepiſcopum Salisburgenſ. & D. Epiſcopum Paſſavienſem in Sac. Rota, velut in competenti judicio non ſolùm verti, ſed in ſavorem Salisburgen. Eccleſiæ duas Deciſiones, uti & ſententiam emanâſſe, quæ D. Epiſcopum Paſſavienſem ſimul in expenſas condemnavit, & per hoc ejus cauſam temerariæ litis notâ laborare oſtendit; hinc juſtitia ipſa nolens ſupremum Romanum Tribunal uno, vel altero modo proſcindi velut deluſorium, reclamare videtur, ne Pars, cui hucusque aſtitit absque ullo demerito id per viam gratiæ amittat, quod ipſa juſtitia favente eidem tributum fuerat. Ex eo enim, quòd Sancta Sedes contra proprium ſuum judicatum definitivum converſo Marte partem victam in ipſas adeò litis expenſas, in via juſtitiæ jam antè condemnatam, per viam gratiæ, quæ tamen ſemper juſtitiæ inniti debet, exaltare, & eximere vellet, facilè ſiniſtra hominibus imprimeretur opinio, quaſi verò Romæ Pars majoribus rationum ponderibus munita cauſam ac ſumptuoſas expenſas perdere; quæ autem his prærogativis deſtituitur, vincere & triumphare poſſet, adeòque multi bonam aliàs cauſam habentes, metu perdendi id, quod jure ſibi debetur, perculſi ſupremum Tribunal declinare, & juri ſuo ſtatim renuntiare mallent, de cujus jactura, etiam poſt immenſos ſumptus exhauſtos periclitarentur. Et quid tandem ſiniſtri judicii, & conſequentiarum, præſertim apud Heterodoxos, cum gemitu & planctu ſcandalizatorum, ſimul Catholicorum iſthæc à juſtitiæ tramite devia Metamorphoſis excitatura eſſet; quantum Sanctiſſimæ Sedi aliàs Heterodoxis odioſiſſimæ vilipendium, quas deſpectuoſas gloſſas, contemptus, quas ignominioſas ſcripturas, & peculiares infames tractatus, & traductiones cauſatura: porrò quæ inde oritura ſcandala, averſiones, abominationes, quæ impedimenta in via Converſionis exiſtentibus, indéque maxima damna univerſæ Eccleſiæ Catholicæ, cum tot animarum diſpendio. Quæ Heterodoxis ex tali eventu ſubminiſtrarentur argumenta optatiſſima venenum mente prælibatum adverſùs ſummæ Sedis auctoritatem, & Sanctitatem fidei hiantibus faucibus ſub irrefragabili veritatis ſpecie longè latéque ſeminandi & tantis quidem zizaniis, ut vix ſæcula evellendis ſuffectura eſſent, maximè ſi D. D. noſtri Principales ſimul ex rationibus pro prærogativis, præeminentiis & tot ſeculis poſſeſſis Principum juribus ſimul reclamare obligarentur, exemplo ſanè ſinè exemplo; ſimul per ſe reluctaturis infallibiliter Principibus proteſtantibus, nunquam in æternum conceſſuris, ut tot ſæculis Suffragio ſuo poſterior Epiſcopus per ſaltum fieret prior; quo planè eveniret, ſi Epiſcopus Paſſavienſis reliquos Epiſcopos præcedentia pollentes, per Archiepiſcopatum tranſcenderet, ſecutura colliſione evidenti totius compagis ſtatus Romani Imperii.

Hæc omnia, & ſingula tam juſtæ, quàm pientiſſimæ, ac paternæ Sanctitatis Veſtræ conſiderationi humillima ſubmiſſione ſubſternimus. Peſſimam ſanè talis erectio cauſaret convulſionem etiam in ipſo ſtatu Imperii Romano-Germanici, & toto Ordine Hierarchico, in cujus tamen antiquo ſyſtemate, ac concordi harmonia potiſsimùm ſtat res & religio Catholica; ideo quòd univerſo Imperio, totique Hierarchiæ Eccleſiaſticæ clarè ignota hucusque ſemper fuerit prætenſa identitas Eccleſiæ Paſſavienſis cum Laureacenſi, prout & habitualis, ita à D. Epiſcopo Paſſavienſi nominata Archiepiſcopalis in ea dignitas; neque ullum ejus in Actis Comitialibus, aut Receſſibus reperibile veſtigium, quòd Prædeceſſores Epiſcopi, hanc dignitatem ſibi arrogaverint, quin potiùs citra ullam proteſtationem infra alios Epiſcopos Germaniæ in Comitiis, & aliis tam publicis, quàm privatis Conventibus ſederint. Econtra verò exploratum ſit, quòd Salisburgenſis Eccleſia eodem ferè tempore ſub Carolo Magno, unà cum naſcente Imperio Romano-Germanico in Metropolim erecta fuerit, ac continuata ſuæ dignitatis poſſeſsione adoleverit. Et inſuper ex hujusmodi prælatione ſtatus præ aliis ad exemplum ſcamni Principum ſæcularium, etiam in Eccleſiaſtico inevitabiles naſcerentur altercationes ſuper ſeſsione, quarum veſtigia in receſsibus Imperii adhuc ſuperſunt, & ſingulis ferè Comitiis novarum litium clamoribus atria & ſubſellia perſonant, propter quas diſpares inter ſtatus oriuntur affectus, vota in Conciliis imminuuntur, Comitia protrahuntur, expeditiones publicarum rerum impediuntur, ac non niſi diſſidentiæ,

&

Digitized by Google

& animorum averſiones inter ſtatus Catholicos, non abſque notabili religionis detrimento exurgunt.

Et quamvis D. Epiſcopus Paſſavienſis religioſè ſpondeat, ſe in propriam etiam demiſſionem aliis D. D. Epiſcopis Imperii Principibus, prout hactenus, impoſterùm loco ceſſurum: hæc tamen renuntiatio, velut univerſo Hierarchico Ordini probroſa, juſtum etiam D. D. noſtris Principalibus metum incutit, Ordinem antiquum hucusq; in Eccleſiaſtico ſcamno tam ſanctè ſervatum periculoſa novitate, quandoque immutari poſſe. Eſto enim ſæpè memoratus D. Epiſcopus Paſſavienſis dignitati novæ in Seſſionibus Comitialibus derogare poſſet, & vellet, nollet tamen id præſtare in locis, & Congreſſibus aliis; imò prudenter exiſtimandum, quòd Succeſſores Paſſavienſes eo modo, quo modernus D. Epiſcopus Archiepiſcopatum impetrare ſatagit, in occupandis data oportunitate primis ſubſelliis invigilaturi eſſent.

His tam ſummæ Sedi, Beatiſſime Pater, quàm univerſo Germanicæ Nationis Ordini Eccleſiaſtico pertimeſcendis, probris, ac præjudiciis nulla præponderant aut neceſſitatis, aut evidentis utilitatis motiva, quæ tamen in diſmembrandis tum Metropoliticis Provinciis, tum Epiſcopalibus Diœceſibus Sancta Sedes religioſè ſemper obſervavit.

Et quidem quòd nulla neceſſitas hujus diſmembrationis adſit, patet ex eo, quòd Paſſavienſis Eccleſia hucusque per nullam novam Evangelii propagationem fines ſuos extenderit, at in novos Epiſcopatus neceſſariò diſcerpi debeat; neque etiam ab Acatholicis ita coanguſtatur, ut iis retundendis, ſuisque oviculis conſervandis novorum Paſtorum ope indigeat. Neque ejus vaſtitas poſt erectos Viennenſem & Neoſtadienſ. Epiſcopatus impedit, quo minùs Gregem ſuum commodè paſcere valeat; aut ſi huic paſcendo adhuc impar foret, fortaſſis D. Archiepiſcopus Salisburg. in reverentiam Sacræ Cæſareæ Majeſtatis animum induceret, ut tantùs his duabus ſat anguſtis Diœceſibus adderetur diſtrictus ex Diœceſi Paſſavienſi, qui & D. Epiſcopum Paſſavienſ. nimio ſublevaret onere; illas autem ampliori condecoraret jurisdictione: neque apparet, quòd Metropolitana Salisburgenſis poteſtas ullum Provinciæ Auſtriacæ poſſit gravamen afferre, cùm ſit purè ſpiritualis, non niſi in ſalutem animarum inſtituta, eo ferè modo, quo hucusque illa in Provincias Styriæ, Carinthiæ, ac Tyrolis, ubi ſine contradictione exercetur, nullum damnum invexit; imò nec ipſi Auſtriæ, in qua partem ſuæ ordinariæ jurisdictionis (quæ magis ſtatum afficit) exerit, gravis unquam fuiſſe deprehenditur; idque ex ea potiſſimùm ratione, quòd illius Eccleſiæ Præſules Principes ſunt Imperii Auguſtiſſimæ Domui addictiſſimi, & communiter ex hæreditariis Provinciis delecti. Quin & ipſe Galliarum Rex flagrantibus bellis, exercitium hujusmodi jurisdictionis D. Electori Trevirenſi in proprio regno non interdixit; timendum verò, ne per talem novitatem exemplum arriperet ſubtrahendi prædicto D. Electori ejusdem Metropolis Epiſcopos. Ex quibus porro evincitur, nullam quoq; ſubeſſe utilitatem, qualem S. Bernardus de Conſiderat. lib. 3. c. 4. ſuadet, communem videlicet, non propriam. Nam ſi propria, in hac diſmembratione ſufficeret, plures in Imperio, tum amplitudine Diœceſis ac Statûs, tum meritis conſpicuos, & quidem Ordine priores invenire foret, qui ſuam Diœceſin in Archiepiſcopalem exaltari, ſeu eximi, potiori jure prætendere poſſent, niſi eos amor pacis, & optata Patriæ Principum harmonia contineret.

Cæterùm laudabilis Sacræ Cæſareæ Majeſtatis intentio eò collimans, ut lis inter duos D. D. Principes tollatur; difficile verò perceptu, hanc alio, quàm ſuavi juſtitiæ calle ad optatam metam currere poſſe; ſiquidem hæc ſine ſtrepitu, aut juſta indignatione ſuum cuique tribuit; gratia verò læſi animum exulcerat, ac in ſpem erigit, quandoque reddendi, quod nunc ſubduxit: unde non tam finis, quàm prolixitas litis, animorùmque pullulat diſſenſio. Nec dubitandum, quòd hæc controverſia per judicialem ſententiam jam tum finem ſortita fuiſſet, ſi Dominus Epiſcopus Paſſavienſis, æquè ac D. Archiepiſcopus Salisburg. ad finem hunc promovendum aſſiſtentiam Auguſtiſſimi imploraſſet. Quemadmodum igitur, Beatiſſime Pater, hujusmodi erectio velut nova, ſive exemptio contra ſententiam, maxima poſt ſe trahat inconvenientia, ipſam Sanctam Sedem æquè, ac Hierarchiam Germanicam offendat, harmoniam Ordinis Eccleſiaſtici convellat, diſcordias, & animorum exacerbationes pariat, nulla verò ſuadeat neceſſitas, aut evidens utilitas, ob quarum, uti & conſensûs Metropolitani de-

ſectum magnus ille felic. record. Innocentius III. Pragenſem Eccleſiam in Archiepiſcopalem evehere renuit: hinc D. D. noſtri Principales ſibi promittunt, Sanctitatem Veſtram ad imitationem tanti Pontificis, cujus glorioſum nomen ſimul cum meritis Chriſtiano Orbi reſtituit, pro paterna ſua in Germanicam Eccleſiam ſollicitudine, & pacis amore, in hoc perturbato Chriſtianæ Reipublicæ ſtatu eò collimaturam, ne termini, quos poſuerunt Patres noſtri, periculoſa novitate moveantur, néve ſæpefatis noſtris D. D. Principalibus, quos novitas hæc non leviter tangit, & affligit, inauditis, in tam arduo negotio procedatur.

Hoc modo Sanctitas Veſtra amatam DEO juſtitiam proteget, Germanicam Hierarchiam in optata Harmonia conſervabit, exuberantem ſuum juſtitiæ zelum orbi univerſo magìs commendabit, noſtroſque D. D. Principales fortiori obligationis nexu ſibi, ſedique Apoſtolicæ, pro cujus gloria proprium ſanguinem ſacrificare parati ſunt, æternùm devinciet. Quam DEO ter Opt. Max. pro felici & diuturno univerſalis Eccleſiæ Regimine, nosmetipſos verò Sanctæ & Paternæ Benedictioni cum humillimo Beatiſsimorum pedum oſculo devotiſsimè commendamus. Ratisbonæ in Comitiis die 13. Januarii 1695.

Sanctitatis Veſtræ - Humiliſs. Obedientiſs. ac Devotiſs. Sacri Romani Imperii Eccleſiaſticorum Principum ad Comitia Ratisbonenſia Conſiliarii, & Legati.

Sigillantes in una Linea.

Bamberg. Würzburg. Eichſtet. Coſtant. Augſpurg. Paderborn. Baſil. Münſter. Fulda.

XVIII. Rebus ita vertentibus tandem eò negotium in præſens evaſit, ut parti
Indictum à Papa ſilentium. utrique ad dies vitæ Joannis Erneſti Archiepiſcopi Salisburgenſis & Joannis Philippi Epiſcopi Paſſavienſis per Bullam Pontificiam indiceretur ſilentium. Ita ſuſpenſa potiùs quàm terminata lis ſub Innocentio XII. Poſt ejus deinde exceſſum, cùm apud Clementem Undecimum rurſus inferretur mentio controverſiæ, peteretúrque venia perſequendi litem, ille ob confuſas alioqui bello Hiſpanico Europæ res, à diſſidiis iſtis abhorrens, deteſtanti ſimilis petentem rejecit: *Taceat, taceat*, inquiens. Ex quo tempore, promoto ſubinde ad Salisburgenſem thronum Franciſco Antonio Comite ab Harrach Paſſavienſi olim Præpoſito & Epiſcopo Viennenſi, non tantùm res pacatæ manſerunt, verùm etiam animi admirabiliter conjuncti.

Quæ verò cauſæ eſſent Auguſtiſſimo Cæſari patrocinium adeò ſuum commodandi Paſſavienſi Eccleſiæ, præter rationes Auguſtæ Domus ei negotio, ùt videbatur, innexas, tum erant in oculis egregia ipſius Epiſcopi promerita, quæ in Legationibus antehac obitis, aliiſque functionibus pro Cæſare & Republica fructuosè ſuſceptis poſuerat; atque inſuper luculenta ſpes majorum etiam deinceps ex admirabili ejus ingenio & prudentia percipiendarum in negotiis publicis utilitatum, quo dignus profectò erat, ut ſtudium ei ſuum viciſſim Cæſar impenderet, beneficióque obſtringeret induſtriam, quæ per omnem deinceps Philippi ætatem Auguſtæ Domui, Imperio & Eccleſiæ uſui maximo fuit.

XIX. Anno 1697. Poſt obitum Joannis Sobieskii Polonorum Regis campus
1697. Legatus Paſſavienſis in Poloniam. eſt apertus egregius explicandæ pro republica induſtriæ in delectu novi Regis, qui ut è ſententia Cæſaris inter tot rivales legeretur, opus erat viro & ſapientia cumprimis & auctoritate prædito, quippe ituro ad quendam Comitiorum Labyrinthum, è quo vix Theſeus explicare ſe queat. Tum præcipuè multorum ſtudia Candidatorum exarſerant, qui donis, pollicitationibus, artibus, clam, palam, rectè, obliquè, nobilitate in partes vocata coronam velut ſubhaſtatam licitabantur. In oculis erat factio Gallica, quæ ſi præpolleret, futurus erat unguis in ulcere rebus Auſtriacis vehementer incommodus: quid enim magìs intererat, quàm vicinum Regem habere amicum? quid ſi & affinem, cujusmodi erat Jacobus Regis defuncti filius; atque ſi commendatio procederet, etiam beneficio obnoxium? hoc primum erat, quod Cæſar ſpectabat: quod ſi irritum caderet, diviſa erat gradatim ſuffragatio, ut quò quiſq; eſſet affinitate vel amicitia conjunctior, ei ſtudium præ aliis impertiretur: erat Carolus Princeps Neoburgicus: Carolus item Lotharingus: Ludovicus Princeps Badenſis: Emmanuel Dux Bavariæ: Marchio Odeſchalcus: Dux deniq; Floren-

Florentinus. Deſtinati ab ſingulis Legati, in quibus principem ferè locum tenebat Melchior de Polignac Legatus ab Rege Galliæ in ſpem proximam jam ingreſſo Borbonii ſanguinis Principem Contium Corona Sarmatica exornandi.

Ad arenam adeò ancipitem Sapientiſſimus Cæſar idoneum ante alios cenſuit Joannem Philippum, ad quem datis die undecima Februarii anno 1697. literis conſilium ei ſuum indicavit in hanc ſententiam: „ Quum urgentibus ab „ Oriente & Occidente bellis adeò multum & Imperii Romani & Auguſtiſſi- „ mæ ſuæ Domûs interſit electionis Polonicæ felix eventus : præterea Luſi- „ tanici regni ad concordiam revocatio ; oculos & fiduciam ſe conjeciſſe in „ perſpectam animi ejus capacitatem, egregias dotes, & rerum politicarum „ inſignem experientiam ; ob quæ eum in Poloniam primùm, deinde in Lu- „ ſitaniam ablegare decreverit, ſpe fretus, nihil in ipſo futurum moræ; & „ quòd articulus legationis Polonicæ jam in foribus eſſet, adventum etiam „ ſuum acceleraturum ſic, ut idoneis præceptis inſtrui, atque in tempore Co- „ mitiis Polonicis adeſſe queat. Datum Viennæ ùt ſuprà.

Negotium erat ejusmodi, quod Paſtorem ab ovili ſuo diutiùs, quàm fas eſſet, abeſſe cogebat : quod ne ingratiis Papæ fieret, exaratis ad eum literis veniam Antiſtes petiit in hæc verba: XX. *Petitur venia ex Pontifice.*

Sanctiſsime Pater.

Placuit Sac. Cæſareæ Majeſtati, me nil tale cogitantem è civitate & Reſidentia mea Paſſavienſi benigniſsimis literis per Aulicum Curſorem allatis ad Regiam ſuam evocare, ac Legationes duas, primam quidem ad Comitia Electionis novi Regis Poloniæ; ad Regem Luſitaniæ alteram clementiſſimè deferre: cùm verò utraque ad Principum Chriſtianorum & populorum concordiam, tranquillitatem Europæ & Religionis Catholicæ tot bellis afflictæ majus incrementum præcipuè referatur; tantò minùs, duplex licèt & validioribus humeris dignum onus, à me amoliri volui, ac valui, quantò ſanctior negotiorum ſcopus ac apertus magis campus de Sacerdotio & imperio benè merendi oblatus eſt, ab eo quidem Monarcha, & Clementiſſimo Domino, qui ultra plurimas versùs me, familiámque meam ſingularis fiduciæ, gratiæque ſignificationes inter graviſſima licèt belli pacisque meditamenta Eccleſiæ meæ Auguſtas curas impertit, ejúsque libertati, & quieti tanta Imperialium Officiorum conſtantia apud Sanctitatem Veſtram patrocinatur. Quæ cùm pro ſua ſumma prudentia optimè noverit, quid boni publici, quid gratitudinis meæ privatæ rationes exigant, qualecunque hoc meum obſequium, paterno ùt ſpero Annutu dignabitur & legationes, curásque meas cauſæ optimæ conſecratas, Apoſtolicæ Benedictionis gratiâ clementiſsimè proſequetur. Quam dum ad fortunanda benè cœpta demiſſiſſimè imploro, Sanctitatis Veſtræ pedes ſumma cum veneratione exoſculor. Viennæ ex Curia mea Paſſavienſi Beatæ Virginis ad Scalas 23. Febr. anno 1697.

Sanctitatis Veſtræ.

Feſtinatis interea, qui ad rem erant, apparatibus ſuſceptum iter ſub finem menſis Aprilis, indicta namque Comitia fuerant ad diem 15. Maji ad urbem Varſaviam; quò Legatus per Uratiſlaviam & Ternovizium equis meritoriis profectus eſt: ſed Comitiorum die per factionum obſtacula ſubinde prorogato, die primùm duodecima Junii ſolemnem celebravit ingreſſum incredibili Majeſtate; ubi à Nicolao Oborskio Podlachiæ Palatino, totius Reipublicæ nomine ſalutatus eſt. Campus eſt juxta Varſaviam, quem Electoralem vocant: ibi tabernaculo ſub dio fixo die 21. Junii ſententiis ferendis datum initium: ibi Legatus Cæſareus orationem habuit luculentam, quæ indè impreſſa typis, plauſum orbis promeruit. Summa ejus Jacobum Sobieskium Regis nuperni primogenitum ſpectabat: ei præter Reginam matrem favebat etiam Cardinalis Primas Michael Stephanus Radziovskius: qui deinde converſis in diverſum velis ad factionem Gallicam acceſſit; quæ & numero & potentiâ gliſcere vehementer cœperat. Sed inſtituti non eſt noſtri rem iſtam diffuſiùs exequi; qua de re cæteroqui multi multa prodidêre. Eluxit tum Legati Cæſarei præclara dexteritas, quæ fluctuantibus ultro citròque, & ferè demum in Principem Gallicum Franciſcum Ludovicum de Conti converſis eligentium XXI. *Functio Legationis.*

votis, incredibili, quâ pollebat, eloquentia, & acumine rationum negotium diſcuſſit, introducto veluti per transverſum Candidato novo Auguſto Electore Saxonico, mirabili planè conſilio, ut fervore factionum in aliis excludendis conſumto iſte veluti medius animis integris ſuperveniret, fieretque, ut, quod dicitur, inter litigantes gauderet Tertius, & acceſſerat glorioſus planè titulus demerendi nationis Catholicæ ſtudium, nempe Electoris ad religionem orthodoxam converſio, quæ facta Badenis in Auſtria die ſecunda menſis Junii Feſto Sanctiſſimæ Trinitatis ejusdem anni 1697. profeſſione fidei conceptis Tridentini verbis in manus Chriſtiani Auguſti Cardinalis Ducis Saxoniæ Cizenſis emiſſa. Hic igitur ſalutatus Rex potioribus Patrum ſuffragiis: ea porro Lambergii laude, ut ſcribere non dubitarent Poloni, nunquam fuiſſe, ut parem Legatum Polonia coleret. Certè Rex ipſe, poſtquam die 15. Septembris Cracoviæ inauguratus eſt, quantum ejus in ſe meritis tribueret, datis ad Pontificem literis declaravit: earum exempla duo ſuppetunt: priores ſic habent:

XXII. Commendatur Pontifici pro dignitate Cardinal.

Novit Sanctitas Veſtra præ cæteris, quod nullum latere poteſt, Dominum Epiſcopum & Principem Paſſavienſem, qui Legati Cæſarei partes tempore nuperi Inter-Regni Polonici ſtrenuè adimplevit, tanta ſolertia ac ſtudio demandatum ſibi munus exercuiſſe, ut quod hic à Domino factum eſt, & eſt mirabile in oculis noſtris, omne id tribuendum eidem ſit, qui Catholicæ Religionis atque inclytæ hujus patriæ commoda pro ſua ſolertia, ac dexteritate perquàm diligentiſſimè promovit. Ego qui propterea Eundem fraterna prorſus benevolentia complector, deeſſem partibus meis, ſi accepti beneficii immemor illum S. V. non commendarem, prout præſentibus facio, ratus ei diſplicere non poſſe, ut talem virum proponam, ſuis favoribus exornandum; qui illos propria virtute meritus ſublimiori ſuper candelabro ad decus univerſalis Eccleſiæ locatus, lucebit profectò cunctis, qui in Domo Domini ſunt &c. Quod ego filialis obſequii mei ſignificationibus promereri non prætermittam, D. O. M. exoraturus, ut Sanctitatem Veſtram ſalvam & incolumem ad decus & commodum univerſalis Eccleſiæ dutiſſimè conſervet. Datum in Civitate mea Cracoviæ 25. Sept. 1697.

Sanctitatis Veſtræ

Obſequentiſſimus filius
Auguſtus Rex.

1698. Iterata Commendatio.

Literæ poſteriores anno ſequenti ſcriptæ ſunt, hoc tenore: *Sanctiſſime Pater. Apertiſſimæ, & cumulatiſſimæ ſignificationes paterni amoris, quo Sanctitas Veſtra Coronam meam complecti ac firmare dignatur, uti omnia filialis gratitudinis nullo unquam tempore à me deponendæ merentur obſequia, ita viciſſim ſperare me jubent Apoſtolicæ benignitatis abundantiam à me quoque ad meos diffundendam eſſe, illos videlicet, qui in graviſſimo Electionis & Coronationis meæ negotio, ad Sanctitatis Veſtræ mentem divinæ cumprimis gloriæ, tum regni tranquillitati Orbisque Chriſtiani paci fideliſſimas & feliciſſimas curas impenderunt. Ex his cùm principem locum teneat Dominus Joannes Philippus Epiſcopus Paſſavienſis S. R. J. Princeps ad generalia Electionis Comitia Sacræ Cæſareæ Majeſtatis tunc Legatus extraordinarius, quàm fidum mihi amicum, Cæſaris Miniſtrum, dignum ſimul ſpecialibus Vaticani favoribus Præſulem ſe præſtiterit, datis ad Sanctitatem Veſtram 25. Septembr. anni elapſi literis ſinceriſſimè declaravi, ſub ipſis quidem regni mei initiis, nota tempeſtate tentatis. Nunc verò cùm Omnipotentis DEI auxilio, qui ſolus imperat, & corda regum affectùsque regnorum quocunque voluerit, inclinat, tranquillitas magna facta ſit in mari, eò confidentiori animo ad Paſſavienſis Epiſcopi commendationem revertor, quo inſignioribus experimentis comperi, quietem hanc laborum ejus eximium fructum eſſe. Ego quidem dum ſpiritus & ſceptrum ſupererit, memorem Officiorum animum dilectiſſimo mihi Principi ſervabo; Sanctitas autem Veſtra glorioſiſſimum gratiis meis complementum addet, ſi Paſſavienſem Infulam Galero Cardinalitio, illúmque magni Nominis Præſulem Romana Purpura ornaverit, cujus prudentibus & moderatis conſiliis, ne Polonia civili ſanguine funeſtè purpuraſceret, vicinósque indè aſpergeret, effectum eſt. Præmemorato Paſſavienſi Epiſcopo propterea omnem Nominationis Regiæ & interceſſionis favorem meliori modo, quo poſſum, hiſce meis Regiis literis impertior, ſitque earum optato effectu in proxima Cardinalium promotione gaudere poſſit,*

poſſit, generoſiſsimum Sanctitatis Veſtræ animum inſtantiſsimè obſecro, quod neque Poloniæ ſolùm, ſed etiam Apoſtolicæ Sedi in ſummis negotiis magno uſui, emolumento & bonori erit. Hæc aliáque plura in eundem ſenſum addet nomine meo Dominus Cardinalis Barberinus, Regni mei in Romana Curia Protector, cui, ut boc negotium promoveat, ſedulò injunxi, & ad quem propterea me refero, ac Sanctitati Veſtræ è Chriſtianorum Principum univerſali pace ſolatia, glorioſi Pontificatûs longævitatem devotiſsimo affectu & obſequio exopto, ac me, regnúmque meum Paternæ Protectioni commendo. Datum - - -

Sanctitatis Veſtræ

Obſequentiſsimus filius

Auguſtus Rex.

In eundem ſcopum collineabat Leopoldus Cæſar, cujus epiſtola familiaris die 14. Martii anno 1698. ad Comitem Kinskium ſuum in Urbe Legatum eſt hæc: *Remitto tibi literas, quæ ex Polonia venerunt, concernentes recommendationem Epiſcopi Paſſav. ad Cardinalatum. Omnino judico expedire, ut bæc intentio ſecundetur, & promoveatur. Vide ut illas expeditiones quæ neceſſariæ ſunt, poſtero veredario expediri ſacias; licèt timeam banc rem non tam facilè obtinendam: omnia tamen tentanda ſunt; quæ dum tibi pro nunc ſignifico, Tuus &c. permaneo.*

XXIII. Jam ex Polonia Legatus gloriâ plenus reverterat; agebátque aliquamdiu Viennæ ab Auguſti Conſiliis, ubi res duæ graviſſimi ponderis in deliberationem venerant: pax cum Turcis, quam anni ſuperioris victoria apud Zentam Tibiſcanum vicum ab Eugenio Principe Sabaudo reportata præparaverat: deinde ſponſæ pro Joſepho Auguſto Rege delectus, quæ die 13. Novembris voce publica pronunciata, Wilhelmina Amalia Hannoveræ Dux. Demum 1699. Paſſaviam ſe retulit, ubi anno ſequenti 1699. die 22. Februarii precationes publicas in Eccleſia Cathedrali inſtituit ad commendandas DEO nuptias Auguſtales in ſpem ſobolis optatiſſimæ: eodem enim tempore Regina ſponſa fines Auſtriæ tetigerat. (*Paſſavium revertitur.*) Rurſus autem evocatus à Cæſare ad functionem quàm dignitatis, tam laborum feracem. (*Evocatur ad Legationem Ratisbonenſem.*) Princeps Lobkovizius, qui annos jam aliquot in Collegio Ratisbonenſi Legatum Cæſaris egerat, ad obſequia Reginæ Auguſtæ neo-nuptæ vocatus præfecturam illius aulæ obire juſſus eſt; haud dubiè conſilio peculiari Cæſaris, locum vacuum, in quo ingenium Philippi utiliſſimè collocandum providerat, de induſtria captantis. Igitur omiſſa Legatione Luſitanica, quam olim ei mandare decreverat, nominatus eſt Princeps, ùt vocant, Commiſſarius ad Ratisbonenſes: ea gratia Viennam petiit de Oeconomia tanti negotii præcepta idonea capturus. Cepit: atque indè redux Paſſaviam tenuit die quinta Aprilis; ibidémque annum reliquum, & ferè dimidium anni ſequentis egit, itinere Ratisbonenſi ſuſpenſo tantiſper, ob tricas, quas Legati Principum de ritibus ac Officiis Legato Cæſareo adhibendis intricaverant: cúmque interea daretur opera concordandis animis; jàmque 1700. die 10. Maji anni 1700. Legationis, fideique publicæ tabulæ ad Ratisbonenſes mitterentur; jámque Legatus præmiſſis eò familiaribus apparatum faceret ad ingreſſum publicum die 24. Junii celebrandum: tamen diſſidiis de modo recipiendi Legati, aliíſque querimoniis nondum explicatis Conſilium in præſens adhæſit: XXIV. cùm ſubinde lætus ab urbe Roma Nuncius allatus eſt dc Sacra Purpura Lambergio decreta. (*Renunciatur Cardinalis.*)

Paulo ſuprà narratum eſt, quantis ſtudiis & Poloniæ Rex & Cæſar eniteretur ad iſthoc præmium meritis ejus adeò ſpectatis ac virtuti parandum. Venerat Romam ſub anni 1700. principium Leopoldus Joſephus Comes Lambergius pro Cæſare Legatus, Patruelis Philippi. Igitur omnia conſpiraverant ad inclinandum animum Innocentii XII. qui demum in poſtremo, quem fecerat, Cardinalium delectu die 21. Junii anni 1700. nominavit Joannem Philippum Cardinalem Presbyterum; Galero purpureo per Comitem de Kuffſtein Pontificis Cubicularium Viennam transmiſſo; de quo Cæſar mirificè lætatus eum honorem novitio Cardinali habuit, ut ſuis ipſe manibus velamen ſacrum die 19. Septembris, in æde ſacra Auguſtinianorum, quod Aulicum

vocant, ejus capiti imponeret, honeſtantibus pompam Colonizio & Grimanio purpurati Senatus Collegis. Obſervatum fuerat annum iſtum nempe ſeptingenteſimum ſupra milleſimum honoribus gentis Lambergicæ fuiſſe præter modum inſignem: nam præter honeſtiſſimam Legationis Romanæ provinciam Leopoldo Joſepho, ut antè dictum eſt, contributam; honos etiam velleris aurei ab Hiſpano Rege duabus Lambergiis eodem anno decretus eſt: Leopoldo Joſepho, quem diximus, & Leopoldo Mathiæ rei Venatoriæ præfecto: queis decus ſupremum addidit purpura Philippi in gente Lambergiorum prima, in ſede Paſſavienſi ſecunda; cui facient ſuperi, ut acceſſura ſit tertia in hodierno Lambergio, cujus eminens virtus atque ad exemplar veriſſimorum Eccleſiæ Pontificum compoſita paſtoralis Officii diligentia meretur, ut admiraturus nemo ſit quod fieri dudum oportebat. Sed ad Philippum regredior.

XXV. *It Romam ad Electionem Pontificis.* Nova dignitas occaſio fuit, ut brevì à ſuſceptis ejus inſignibus, partes etiam tanti muneris obire cogeretur: Innocentius XII. die 27. Septembris ejuſdem anni fatis conceſſit. Abeundum igitur Romam è ſententia Cæſaris, uti in electione novi Pontificis, partibus Auſtriacis adderet momentum. Suffragium ipſe ſuum cum aliis in Joannem Franciſcum Albanum contulit, die 23. Novembris renuntiatum cum nomine Clementis XI. qui illud peculiare amoris pignus Cardinali Philippo demonſtravit, ut ei Titulum Cardinalitium, quem ipſe ante Pontificatum geſſerat, adjungeret, *S. Sylveſtri in Capite*; atque ad Eccleſiam S. Sylveſtri eum Ipſe deduceret.

1701. Revertens tractat cum Duce Veneto. Ab Urbe redux ad Venetos divertit: cum eorum Duce Marco Antonio Mocenigo ſecreta negotia mandato Cæſaris tractavit, de quo literæ fidei publicæ ab Auguſto ad Ducem datæ ſunt Viennæ die Februarii quinta decima anno 1701. Venetiis Adriatico vectus appulit ad arcem Turrianam Duinum prope ſeptemplicis ora Timavi, ſinu Tergeſtino: ubi magnificis acceptus Officiis filiolum dynaſtæ levavit è ſacro fonte: indè proſecutus iter per Græcium Styrorum caput, Viennæ redditus eſt, ubi deliberationes ſuper Hiſpanico bello poſt natos homines operoſiſſimo fervebant. Obierat mortem ſub anni ſuperioris finem Carolus Secundus Hiſpaniarum Monarcha improlis: excluſus hæreditate Cæſar bellum decreverat; in belli ſocietatem vocabatur Germania, Anglia, Batavia: hæc arena Philippo propoſita, qua primùm ejus induſtria defungeretur in Comitio Ratisbonenſi. *Controverſia ei mota Ratisbonæ ob Titulum.* Sed nondum eò patebat acceſſus ob controverſiam novam ab Acatholicis injectam: in titulo Legati tricabantur: Romanæ Eccleſiæ Cardinalem appellari volebant, non item *Sanctæ*: quaſi verò, inquiebant, qui ab Eccleſia Romana viverent ſejuncti, in Eccleſia viverent non *Sancta*; ipſi cum familiis ſuis quaſi mortui & damnandi: hoc perinde eſſe, atque in ſeipſos & Majores ſuos ſententiam ferre damnationis, ſeque ipſos jugulare faſſione propria, dum ſcilicet Eccleſiam, quam deſeruerint, appellent *Sanctam*. Hæc ita cùm diſceptantur, non defuit dignitati Catholicæ conſtantia Philippi: datis enim die octava menſis Auguſti anno 1701. ad Pontificem literis firmiſsimè teſtificatus eſt, ſeſe ne transverſum quidem unguem in eo, quod auctoritati, dignitatique Eccleſiæ Catholicæ adverſetur, admiſſurum; priùs imò exceſſurum Comitiis, quàm id ferat, ut honor & prærogativa Romanæ Eccleſiæ Sanctitatis, quo agnomine ceu ſpecialiſſimo maximéque proprio gaviſa ſemper ſit, quocunque hæretico temperamento ad connivendum hæreticis excogitato, laboret. Ita ſententiam epiſtolæ ad verbum refert Horneggius. Idoneis demum conſiliis oſtenſa ſcrupuli inanitate, ſua titulo ſtetit integritas. Sed iterum deinde ac ſæpius impetita, fortiſſimè tamen à Cardinale defenſa, ſic ut deſertis aliquando Comitiis ſeſe Paſſavium indignatione abriperet. Sed rixis interim, ùt dixi conſopitis demum Kalendis Decembribus *Ratisbonam ingreditur. Ejus ibi geſta. 1702.* anni 1701. Ratisbonam iniit ingreſſu adeò magnifico, ut ornatiorem nemo viderit. Hiſpanici belli negotium curas omnes adverterat; tantúmque valuit induſtria Legati, ut anno ſequenti 1702. die 30. Septembris bellum illud à cunctis trium Collegiorum Legatis ſtatueretur eſſe bellum Imperii; Rex Galliæ Ludovicus XIV. cum Nepote Philippo pronunciaretur contra Imperium feciſſe, declaratus ipſe cum aſſeclis & auxiliaribus ſolemni formula hoſtis Imperii.

Sed

Digitized by Google

Sed in foribus erant arma, quæ hoſtes Bavari circumferebant, ſucceſſu XXVI.
non abſurdo: Paſſavia, militis Cæſariani ſtatio, miſerabili fato coacta triſte Fatum urbis
bellum cum vicinis ac propè domeſticis gerere. Eò malorum fortunæ mali- paſſavienſis ob bellum
gnitas gentes nuper amiciſſimas impulerat. Premebatur Auſtria metu anci- à Bavaris.
piti; urentibus hinc Pannoniis, indè imminentibus Boiis, quibus tamen ob-
jecta Patavia veluti porta & clavis Auſtriæ quamdiu ſtetit, leniebat metum:
verùm anni 1704. principio, die quinta Januarii, algente bruma conſpectus in 1704.
pomœriis hoſtis ſpem primùm, deinde & conſilium defenſionis excuſſit. Præ-
ſidium militare attenuatum, Legionum parte adversùs tumultuantes Hunga-
ros abducta; reliquis, qui valerent, vix ultra numerum duûm millium; qui-
bus incumberet & urbem & arcem & coronas vallares ampliſſimas tueri. Si-
tus urbis depreſſior ſurgentibus hinc atque indè clivis velut in arctum coactæ:
nec diſcrimina fluviorum Oeni ac Danubii prohibent, quin utrinque pateat ad
ictus pilarum etiam leniter projectarum. Hunc in modum die octava Janua-
rii Scena quædam aggreſſionis facta, injectis ex ea parte, quam Oenus diſcri-
minat, miſſilibus minùs ad noxam, quàm terrorem. Oſtentata præſens ci-
vitati peſtis; defenſionis inopia, deſperatio ſubſidii, eam modò deliberationem
reliquerat, ſalvis rebus, an perditis hoſtem admitteret. Accurrerat ab urbe
Ratisbona Cardinalis, ſuſtenturus, ſi quà poſſet, caſum urbis: neque animus
deerat Comiti Gronsfeldio veterano Cæſarei militis Duci. Arx non invalida,
atque ſi idoneo teneretur præſidio, vim obſidentium ea præſertim anni tem-
peſtate facilè fruſtratura: ſed nimirum in oculis erat urbis exitium, cujus ra-
tiones à rationibus arcis ſeparare, quod antea fortaſſis licuiſſet, eo jam tempo-
ris articulo non licebat; aut ſi liceret, an æquum videri, ut è Caſtello proprio
civitas telis & ignibus infeſtetur? igitur nocte concubia inter octavam & no-
nam Januarii conſultatione inter præfectos militiæ & proceres epiſcopales in-
ſtituta, obnitente quantumvis Gronsfeldio, itum in hanc ſententiam, ut trans-
actio cum obſidentibus fieret. Emiſſi ad Electorem, qui tum primùm adve-
nerat, Capitulares duo Comites de Leiblfing & de Kuffſtein cum Horneggio
illuſtris prudentiæ viro; quorum oratio erat, ut civitati utriusque partis mi-
lite exoneratæ, neutris obnoxiæ degere liceret: quod uti bona Cæſaris gratia
fieret, flagitabat Antiſtes dierum pauculorum ſpatium, quo liceret adire Cæſa-
rem, impetrare conſenſum. Sed omnis tractatio ab Electore præciſa, qui cer-
tum ſibi ajebat eſſe, finem aliquando detrimentis, quæ ex urbe cepiſſet, facere:
ſe Antiſtiti poteſtatem omnem, uſúmque bonorum ac jurium integrum relin-
quere: militi Cæſareo intra horas 24. decedendi copiam dare: modum mili-
tum quàm parciſſimum, ac res ſinat, imponere civitati velle: in caſtro S. Ge-
orgii tantum præciſè ac ne virum quidem ſupra numerum manipularium E-
piſcopi. Cæterùm hac ipſa die velle ſibi poteſtatem fieri vallationum in monte
Virginis Auxiliatricis, unà cum civitate oenana; præterea monaſterii ſubur-
bani S. Nicolai: ſuper his pactis deliberandi ſpatium non ultra duodecimam
horam meridianam id eſt horas duas concedere; cunctantibus non præſtare
inſolentiam militis, quam eſſent experturi. Sibi equidem ſatis exploratum,
nihil eſſe, quod ſpectent ſubſidii. Rebus ita comparatis, glutiendus denique
erat bolus quantumvìs inſipidus: capta de mente Cæſaris mollior interpreta-
tio; nolle civitatis & militis perniciem gloriæ privati Ducis gratificari, nullo
cæteroqui reipublicæ fructu. Igitur die undecima Januarii Cæſareum agmen
eductum urbe, multo Ducum, Gronsfeldii præſertim fremitu, in pactionis
auctores non parcè ſtomachantis: nec verbo tantùm, ſed literis etiam multo
felle reſperſis exprobrantis quaſi violatam Cæſari & Imperio fidem; ira tantò
plauſibiliore, quò acerbior Auſtriacis accidit ejus urbis antemuralis jactura.
Lis etiam deinde inter Ducem & Cardinalem ardebat, animis incenſis dolore
partis tenerrimæ, id eſt famæ: rixa jam inutili, quippe intercluſo reditu à facto
ad infectum. Demum Cæſar arbiter amicè compoſuit, utroque abſoluto à
noxa. Ita ſcitum die undecimo Junii anno 1704. Sed hæc quoniam memo-
riâ noſtrâ geſta ſunt, & multorum literis mandata, operam noſtram minimè
requirunt. Cæterùm ego Cardinalem in ea etiam linguarum ſævitia magnum
pariter

pariter virum invenio, æquum, placidum, planè conſilii ſui probitate æquitatéque Cæſaris nitentem; eodem gratiæ apud eum tenore; iisdémque muneribus etiam deinceps ad ſupremum usque diem æquali approbatione geſtis.

Verùm damni atrocitas ex urbe Paſſavienſi deperdita infra metum fuit: nam Bavari tria millia inter muros recepti ſub Duce Comite Tattenbachio hoſpitium illud paucis menſibus inſederunt; Elector promoto non ultra Efferdingam milite, receptui cecinit: demum die 13. Auguſti anno 1704. patrata ad Höchſtadium victoria novam planè faciem rebus induit; in poteſtatem Cæſaris non Paſſaviâ tantùm ſed Bavariâ quoque omni revolutâ, ùt lætiores indè fecit progreſſus belli, ita factorùm præteritorum oblivionem induxit.

XXVII. Sed anno 1705. die quinta Maji cythara Auſtriaca denuo verſa in luctum ob

1705. Parentat Leopoldo Cæſari. exceſſum Leopoldi I. Imperatoris immortalis memoriæ, déque Eccleſia Paſſavienſi, ùt aliàs retulimus, déque ejus Antiſtite Lambergio, ejúsque familia quàm optimè meriti. Parentavit ei Cardinalis in urbe Ratisbona à die octava Julii per triduum ſubſequens, erecto Caſtro *Doloris* & *Honoris* alto pedes octo-

Confirmatur in munere Legationis. ginta, Legatis omnium Ordinum ſtipatus. Adeò præclarè ſuſtinuerat haſtenus Legationis munus, ut non alium Joſephus Auguſtus, non alium deinde Carolus VI. eo loco ducerent potiorem. Itaque Joſephus Imperator eodem anno 1705. Legatum tabulis confirmavit novis; dein die 22. Septembris bona & privilegia Paſſavienſis Eccleſiæ ſtabilivit.

Quæ hoc & ſequentibus annis in Conſeſſu Ratisbonenſi providè, atque ordine pro Cæſare & Republica per Lambergium geſta ſunt, abhorrent à foro noſtro, quod ſacrum eſt: nos hunc remum Compilatoribus Actorum Imperialium ſatìs, ùt opinor, verboſis ducendum libenter permittimus. Illud ſummatim Orator funebris, obteſtatus Legatorum Ratisbonenſium, ad quos perorabat, fidem de Philippo prædicabat: decennio Legationis Imperialis ab eo geſtæ, negotia momenti graviſſimi ſuſcepiſſe. Perfeciſſe ùt Legati Electorales Bohemicus & Brunſwicenſis Collegium Imperiale denuo frequentarent: inſtauràſſe Judicium Wezlarienſe: compoſuiſſe annoſam controverſiam, quæ inter Commiſſionem Cæſaream & Collegium Electorale de ritibus Officiorum fuerat. Adjunxiſſe ſibi Communicationem utriusque Collegii Imperialis. Negotium conſtituendæ Capitulationis, ùt vocant, Cæſareæ, quod ab annis fermè quadraginta ſuſpenſum fuerat, dexteritate ſua ſic promoviſſe, ut exitum optatiſſimum pauci oſtentarent menſes. Denique res intricatiſſimas miſerrimo belli tempore alias ſuper alias occurrentes feliciter explicuiſſe. Simultates & diſcordias in tempore ſopiviſſe. Belli, ne latiùs funderetur, prævertiſſe flammam. Aliáque talia è re Domûs Auſtriacæ & Imperii ſine numero deſignaſſe.

1710. Fit Protector Germaniæ. Anno 1710. nova dignitas ad cumulum acceſſit; nomen *Protectoris Germaniæ*, quo eum Pontifex honeſtavit.

Paſſavium reviſit. Eodem anno ex urbe Ratisbona Paſſavium, quod aliàs conſueverat, excurrit, ob deſiderium cariſſimi ſibi capitis Liebgotti Comitis de Kueffſtein, aulæ ſuæ Magiſtri, ad extrema vitæ deducti: per eam occaſionem inſpexit fabricas ab ſe præſcriptas, cujusmodi erat hortenſis contabulatio educationibus pomorum aureorum aliísque id genus deſtinata: præterea novum opus in Caſtello Eggendopl, quod à Comite Franciſco de Thun parato ære coemerat: denique inviſit ſtructuram novam ſacelli, ſuo funeri præparati, quod à quodam Paulo Vogl ornabatur picturis pretio nummûm florenorum tercentum & quinquaginta. Juſſit tum accelerari opus, hoc addito: *moriendum eſt: mortuus eſt totus mundus:* perculſis velut ad triſte præſagium, qui audierunt, omnibus. Neque ea mortis expectatio eum diu fefellit: nam

XXVIII. Anno 1711. Ratisbonæ agenti cùm ei ſuper convivio, cui aſſidebat,

1711. Conſternatus ex obitu Joſephi Cæſ. frangitur. nunciaretur triſtiſſimus Joſephi Cæſaris occaſus, quo die 17. menſis Aprilis in ipſo ætatis flore Imperio ereptus eſt, adcò conſternatus eſt animo, ut ſpeciem paſſus deliquii, debilitatis indè viribus vergere ceperit in deterius. Non ſe tamen illo neceſſario reipublicæ tempore ab obſequiis Auguſtæ Domûs

1712. Moritur. ſubduxit: quin confirmatus in provincia novo Caroli VI. Imperatoris decreto, duravit in ſtatione usque ad anni ſequentis menſem Octobrem, cujus medio deſtina-

deſtinabat ad ſuos Paſſavienſes inviſere: pridiano autem veſpere, quàm iniret iter, ſumpto pharmaco, pulmentóque dilecto, uti vires reficeret, ſibi fatum accerſiit: medicina in contrarium vertit: mox ille evocato Jeſuita rationibus cum animo diligenter poſitis id agebat, ut quàm ſapienter vixerat, ſapienter etiam moreretur; intra ſpatium 34. horarum doloribus cholicis, quibus horas quinque excruciatus eſt, planè Chriſtiana & quæ Principem deceat, animi fortitudine, patientia & reſignatione, ſuſceptis ritè myſteriis compellata jugiter Matre Miſericordiæ, mortem aſpexit in monaſterio S. Emmerami die 20. Octobris, hora circiter nona ante meridiem; ſub extrema identidem auditus ingemiſcere: *ô Paſſavia! Paſſavia!* Secutus eſt incredibilis Collegii totius Imperialis luctus, plurimorúmque ſinceriſſimæ lacrymæ. Cùm enim Acatholici principiò à Legato Eccleſiaſtico abhorruiſſent, ea tamen dexteritate eorum animos tractavit, ut ab his æquè ac Catholicis defleretur. Ejusdem diei veſpere exenteratum corpus & pollinctum, deprehensáque mortis cauſa in ilibus, vulgò volvolus, ortus ex colica. Inteſtina in Eccleſia monaſterii S. Emmerami, hypogeo S. Wolfgangi ſepulta: cor in vaſe cupreo inaurato concluſum, appoſitúmque deinde cadaveri, quod per triduum in theatro funerali ſpectatum habitu Cardinalitio; ad dextram galerus purpureus; infula epiſcopalis ad lævam: ſtructa circùm altaria magno numero, in quibus pro anima defuncti continenter litabatur: ſic exacto triduo corpus translatum ad ſacellum S. Michaëlis ejusdem monaſterii: advenêre tunc Capitulares duo Paſſavienſes, Erneſtus Carolus Joſephus de Boymund Comes de Poysberg; & Michaël Maximilianus Comes de Kokorſowa, per quos facti apparatus ad colligenda vaſa, devehendúmque funus ad urbem Paſſavienſem, ubi inter oves humari ſuas Paſtor deſideraverat. Die ſexta Novembris transportatus in Sarcophago quercino è monaſterio ad templum Cathedrale poſt horam octavam veſpertinam, curru ſejugi. Poſtridie hora ſeptima veſpertina è templo delatus ad navim in Danubio paratam; pompa omnium Ordinum, Legatorum, Clericorum, Cœnobitarum, civium frequentiſſima: ita revectus Paſſavium navigio colore & velamentis pullis atrato; illatus primùm ſacello aulico, ubi ſupremis Officiis honeſtatus fuit; quo tempore de laudibus defuncti præclaram orationem dixit Georgius Michaël Stainer Officii Notarius: denique deportatus ad Sacellum ſepulchrale, quod ipſe ſibi veluti mauſoleum ſumptuoſiſſimè erexerat, ibidem loculo cupreo immerſus requieſcit cum hoc elogio in marmor inciſo:

Revectus Paſſavium.

Depoſitum

Epitaphium.

Emineutiſſimi, Celſiſſimi Domini Domini Joannis Philippi Sanctæ Romanæ Eccleſiæ tituli Sancti Sylveſtri in Capite Presbyteri Cardinalis ex Comitibus de Lamberg, Protectoris Germaniæ, Epiſcopi Paſſavienſis, S. R. J. Principis, Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Conſiliarii Intimi, & ad Comitia Ratisbonæ per 12. annos cum plenipotentia Principalis Commiſſarii, qui anno 1689. 25. Maji Electus hujus Paſſavienſis Eccleſiæ; poſtquam eidem annis 23. & quinque menſibus maxima tum laude præfuiſſet, rexiſſet, ac pro DEO, Cæſare, & patria plurimùm laboraſſet, tandem viribus exhauſtus, ex Paſſavienſium oculis ſublatus abiit ex terris non ex animis Ratisbonæ Anno à Chriſto Nato 1712. 20. Octobris ætatis verò Anno 63. æternitati victurus. Requieſcat in pace. Amen.

Teſtamentum.

Teſtamentum bonâ Pontificis gratiâ dudum obtentâ & alioqui Cardinalium privilegio fretus condiderat, quo hæres ex aſſe ſcriptus erat nepos ex fratre Franciſcus Lambergius Princeps, dynaſta Styrenſis; cui proinde ceſſerunt facultates omnes résque pretio æſtimatæ cum auro, argento, cimmeliis, bibliotheca, pretioſiſſimis item abacis & inſtrumento convivali, rebúsque mobilibus univerſis, horologiis, tapetibus, ſcutis, re omni equeſtri, equis, pilentis, ornatibus: præterea tres in Bohemia ditiones, quas induſtria ſua & privato peculio comparaverat. Conſulendum videlicet exiſtimabat familiæ, in quam illata nuper dignitas Principalis adjumento novarum opum erat ſuſtinenda. Sed aliis quoque cognatis haud parcè legaverat; ſalvis tamen iis, quæ Capitulo per inventarium initio gubernationis factum alioqui debebantur.

XXIX. tur. Cæterùm quæ & quanta in rem Eccleſiæ ſuæ in fabricas & ornamenta baſilicæ palatiique epiſcopalis per vitam effuderit, nunc docebimus.

Impenſæ in Eccleſiam Paſſ.

Anno primo regiminis id eſt 1689. Carolo Antonio Buſſy, qui ſacellum Aulicum, & latus utrumque Baſilicæ picturis ornaverat, merces operæ numerati ſunt floreni tercentum.

Anno 1690. Joanni Bapt. Carlon pro figuris cruſtaceis in altaria tria ſacelli aulici inductis florennum ſexcenties perſolutum eſt.

Eodem anno Camuzio cuidam ob ſimilem operam in aulæo majori, quod ſupra Bibliothecam eſt, novatam dati floreni 477.

Anno 1691. pro exornatis eodem artificio conclavibus palatii, floreni 750.

Anno 1692. pro porticu, qui ad ſacellum aulicum ducit, Balthaſari Vechio floreni 900.

Eodem anno pro ſtructuris portalibus è marmore ad utramque baſilicæ portam erectis Andreæ Solari, floreni 2200. cum certo vini dimenſo.

Eodem Joanni Carlon pro duabus aris erectis, altera Naſcenti Deo-Homini; Tribus altera Regibus dedicata, depenſi floreni 1975.

Rurſum Bathaſari Hackenmillero cruſtati operis artifici pro ara S. Martini floreni 900.

Anno 1693. ſupradicto Carlon pro altaribus S. Sebaſtiani & S. Agnetis floreni ùt ſupra 1975. cum ſex urnis maſſici Königſtettenſis.

Eodem Andreæ Graſſinger Lapidicidæ Paſſavienſi pro gemina ſerie cancellorum è marmore, qui pedem altarium S. Martini & S. Catharinæ præſepiunt, floreni 380.

Eodem anno Mathiæ Högenwald Statuario & Mathiæ Gruber Latómo pro exteriori facie fabricæ portalis ad plateam ſpectante floreni 330.

Anno 1694. ſupradicto Graſſingero lapidum ſectori pro quatuor ultimis ſepimentis marmoreis ad aras totidem poſteriores adpoſitis ſingillatim floreni 190. univerſim numerati 760.

Eodem Joanni Carlon pretium pictoriæ in bibliothecam impenſæ floreni 300. cum urnis vini ſex ejus generis, quod Officialibus ponitur.

Rurſus elegans illud picturæ genus, quod in tabulis altarium, quorum octo ſunt, viſitur, diverſos Apelles habuit: quatuor ipſarum opus ſunt celeberrimi Rotmayr, cui in ſpecies ſingulas præmium fuêre floreni 500. univerſim 2000.

Imaginem Naſcentis Chriſti fecit Joannes Wolff Monachii, pretio florennum ſeſquimille.

Tres Orientis Reges pinxit quidam de Sing eadem in urbe, ſtipendio millies florennûm,

Omnis ille cinctoriorum numerus, quibus altarium corpora veſtiuntur, vulgò *antipendia*, ad aras minores, Joanni Philippo feruntur accepta. Præterea Sacellum D. Annæ factum opere gypſato. Magnificus ille palatii interioris apparatus, conclavia, ſuppellectilia, inſtrumenta menſarum argento, auro fuſa; aliáque rarioris pretii ſeu in opere ſcutario, ſeu picturis: rurſum nova diverſarum partium ædificii ad uſum commodiorem conformatio eidem debentur auctori; utì & hortulus familiaris perelegans, quem juxta pontem Oeni ſuper mœnianum à pede clivi, cui palatium inſiſtit, in ſublime aggeſtum inſtravit. Perfecit aulæum, quod *ſalam terrenam* vocant: domicilium vetus capitulare conjunxit cum palatio: inſtruxit Bibliothecam percelebrem opere novo, in quo uſus eſt induſtria doctiſſimi viri Doctoris Erath, qui deinde in Præpoſitum Canonicorum S. Andreæ inferioris Auſtriæ poſtulatus fuit. Atrium palatii peregregium & amplum cum ſtatuis Juſtitiæ & Concordiæ, intra portam majorem. Ipſe aulicum equile omnino novum fundavit eo urbis loco, quem vicum ab equitando appellant. Auxit, ornavit hortum ſuburbanum in Haklperg. Arcem Paſſavienſem vulgò Oberhaus novis operibus munivit: novum iſthic armamentarium condidit, tormentis bellicis, mortariis, cæteráque armorum penu ditavit. Fortunas Eccleſiæ Paſſavienſis acceſſionibus haud modicis

dicis

dicis auxit bonorum & colonorum provincialium, quorum bene magnam vim coëmit ære numerato; cujusmodi erant coloni Baronis Schäzl in loco Tyrna, & Hermanſperg: item alii, qui Buchleitneris, Sinzlianis, & Kadingerianis, imò & Viennenſibus vectigales fuerant: qui diverſis indè Officiis, & judiciis, ùt Oberhauſenſi, Leoprechtingenſi, Firſtenekenſi, & Obernzellenſi adſcripti unitique fuerunt, & ærarium epiſcopale cenſibus haud pœnitendis ditant.

Seminarii inſtaurator.

Seminarium adoleſcentum Paſſavii olim ab Archiduce Leopoldo I. Epiſcopo fundatum, deinde in cineres cum reliqua urbe redactum, jámque ter denis & ampliùs annis conſepultum, ipſe inſtauravit & commodiore loco & forma ampliore, impenſis mox à principio regiminis quinquies mille florenûm; prætereа attributâ materiâ buſti vicini: addidit ſacellum Divo Ignatio & Philippo Nerio dicatum. Ipſe aram majorem in templo Collegii Societatis S. Michaëli Archangelo dicatam, opere perquam magnifico quinque florenûm millibus ædificavit. Cœnobitis D. Auguſtini Badenſibus aram S. Antonii. Ædiculam Lauretanam in planitie Tirnenſi non longè Paſſavio, emunita inter nemus, theatricum in morem, belliſſima via. Ædem prodigiis celebrem *S. Mariæ ad Tabellas* dictam renovavit, cum domicilio Sacerdotum ibidem. Celebritatem ejus loci fervorémque peregrinorum aliquantùm ſeneſcentem de integro reſtituit. Collegium adoleſcentum Lincii in uſum regionum Borealium inſtitutum annua beneficentia juvit. Capuccinis monaſterium condidit in Küzbühl oppido Teriolenſis provinciæ. Illud etiam Ratisbonæ in veteri Cathedrali, deinde & Paſſavii inſtituit, ut memoria defunctorum per dies octo ageretur.

Expenſæ in res alias pias.

His accedunt eleemoſynæ, quas in egenos quotidiè, quum ad rem Divinam prodiret; in cœnobitas; in pauperes occultos liberaliter effundebat: multis, ne remedium famis à ſceleribus peterent, in tempore ſubvenit. Familiam alebat numeroſam, quæ cùm ſupervacua & ſumptuoſa videretur nonnemini, excuſabat Philippus: at, inquiens, neſcis, ego licet illis haud egeam, illos tamen egere me?

XXX.

Vita privata.

Quod attinet vitam ejus privatam, id ſummatim dicendum eſt, æquabili ſemper egiſſe integritatis fama; voluptatum viliſſimarum non expers modò, ſed etiam contemptor; gerebat animum maximarum usque rerum meditationibus plenum. Diarium ita ſibi deſcripſerat, ut ſummo manè ſurgeret è ſtrato; ferè dum Paſſavii degeret, jam hora tertia matutina in hortulo ſuo familiari cùm libro verſatus: dies indè potiſſimam partem exacta ſtudiis, intra conclave libris ſelectiſſimis refertum: hoc ejus perpetuum ferè diverticulum, in quo ab domeſticis veſtigandus erat; niſi quod temporis divina & negotia publica ſibi depoſcerent: nullus enim abibat dies non facto, aut audito certè Miſſæ Sacrificio; idque affecta etiam valetudine. Illud obſervatum eſt feſtis Beatæ Virgini diebus nunquam non operatum ad aras: quod dum faceret, animum oratione benè longa præparabat; nec minùs prolixam ſubjiciebat actionem gratiarum, genibus perpetuò nixus, quem corporis ſitum etiam dum ſacrum auſcultaret, ſemper tenuit, pedibus licèt ægris & ulceroſis. Sacrificia per annum ſolenniora, dum verſaretur domi, per ſeſe, ùt jam aliàs diximus, obire ſolebat; quin & ab urbe Ratisbona Paſſavium deſcendere ad facienda Divina feſto Paſchatis, Pentecoſtes, Corporis Chriſti, ubi Venerabile Sacramentum ſuis manibus circumferre mos illi perennis fuit. Dies Eccleſiis peculiaribus cœnobitarum aut ſodalitatum feſtos præſentiâ, dum poſſet, honeſtabat ſuâ, cujusmodi in annuis noſtris permulta referuntur. Ratisbonæ curavit exercitium pietatis novendiale in memoriam DEI Matris expectantis partum ante Nativitatem Domini apud Carmelitas; Symphoniacos ſuos & impenſas contribuit, ac diebus ferè ſingulis ipſe præſens ſe ſtitit. Quoniam verò abſtractus ad rempublicam potiores annos aberat domo, ne quid detrimenti munia Pontificalia caperent, in ſui locum ſubſtituerat ſuffraganeum, è gente Lambergiorum, Joannem Raymundum, antè in Ordine Capuccinorum provinciæ Tyrolenſis, Rupertum apellatum. Huic poſt impetratum Ponti-

Suffraganeus.

ficis indultum addidit titulum Epiſcopi Aulonenſis, ſuáſque ipſe manus impoſuit, aſſignata qua Ordinem tueretur parœcia civitatis Tulnenſis cum decimis. Hic miniſterio ſuo ſanctè perfunctus hoc ipſo quo ſcribimus anno 1725. mercedem adiit laborum in cœlo.

Cæterùm negotia publica licèt immenſa felici tamen ingenio Philippus complectebatur, conſpectus perſæpe, diebus præcipuè, queis dimittendæ erant epiſtolæ, uno eodémque tempore quinque, ſex, quatuor minimùm exceptoribus diverſas dictare literas. Et alioqui adeò indefeſſus & impiger, ut ad indulgendum capiti laxamentum adduci vix poſſet; venabulum certè adeò raró tractavit, ut anno toto vix ſemel aut bis: Ratisbonæ cùm eſſet, nihil pene genialium remiſſionum admiſit, ſi illud demas, quo ſingulis menſibus æſtivis ter quatérve ad monaſterium Prülingenſe horæ ſpatio ab Ratisbona diſſitum auræ captandæ gratia ſolebat excurrere. Somni erat admodum parci; non ante mediam ferè noctem quieti ſe dabat: tamen diem vigiliis, ſtudiiſque præveniebat. Refectio corporis, ſi quando ſibi vacaret, modeſta & frugalis: ſtatum prandii tempus meridies aut paulo pòſt: cœnula, quam ferè ſolus capiebat, intra octavam & nonam veſpertinam. Verni jejunii tempore licèt laboribus & morbis exhauſtus adduci tamen haud potuit, ut veſceretur carnibus: poſtremis vitæ annis vinum ne délibabat quidem, in ejus vicem adhibitis, quo aſſidentes falleret, aquis colore tinctis. Non alia gratior ſuper convivio fabulatio, quàm de rebus aut publicis, aut præcipuè eruditis, in queis nihil erat, quod eum fugeret; ſua quæſtionibus quibuſque ſubtiliſſima reddebat reſponſa, nonnunquam & ſalibus intermiſtis, queis hilaritatem condire dexterrimè nôrat: neque eum à novis identidem argumentis in medium inferendis aut materia deficiebat, aut fallebat memoria, qua utebatur adeò admiranda, ut quod vel ſemel legiſſet, vel accepiſſet auditu, ſemper haberet, dum recordari vellet, in promtu: legerat autem libros in omni literarum genere, quorum veluti florem ex omnibus locis conquiſitum in privatam bibliothecam condiderat. Eminebat inter omnes velut oraculum, ſapientiæ eloquentiæque ejus vis, ut ſi quando de re politica, quod oppidò amabat, miſceretur ſermo, magiſterio quodam adverſus Legatos præcipuè juniores uteretur; nemóque ullus ei palmam faceret dubiam. Cæterùm in congreſſu nec auſterus, nec arrogans, nec aliorum contemtu gloriam captans: comis, tractabilis lætitia gravitate mixta, ſempérque ſibi ſimilis; atque auctoritas illa, quam ei ſpecies ipſa vultûs, opinióque prudentiæ conciliabat, non onerosa erat, non horrida, non illigata numeris; ſed popularis, ad infimum quemque haud anxiè ſubmiſſa; mirabili temperamento, ut nec familiaritas reverentiæ detraheret, nec reverentia confidentiam impediret; tanta paſſim gratiæ conciliatricis vi, ut nemo eſſet adeò ferreus, cujus animum, ubi ſibi ſubigendum ſumpſiſſet, officiis ſuis & comitate non faceret ſuum: nemo tam reconditi ſinûs, cujus arcana non eliceret. Mirabili pollebat arte apprehendi ſua quemque, ùt dici ſolet, anſa, quemlibet tractandi pro ingenio. Tum præcipuè in familiares ſuos ac domeſticum ſervitium, præterea ſubditos clementiam tenebat planè paternam, ob quam ab ſummis æquè ac infimis diligebatur; nequaquam tamen oblitus paſtoralis virgæ: ſi quorum, etiam procerum eccleſiaſticorum intelligebat errata, verbo aut literis caſtigabat; cujus argumenti epiſtolæ cum informatoriis de moribus nonnullorum à morte ejus repertæ ſunt haud paucæ.

Jam tolerantiam ejus in morbis multi admirati ſunt: erumpebant humores pravi in ulcera pedum, quibus ſanie putrefactis exſecanda ſæpe erant carnis fruſta; applicanda item cataplaſmata aut paſtilli rodentiſſimi, quibus ille ingemiſcere ne dignabatur quidem. Jam illæ, quæ animum pungebant ſpinæ vitæ aulicæ, æmulationes, invidiæ, obtrectationes aliáque id genus mundi bellaria nunquam ejus frontem in diverſum mutarunt: atque illa præcipuè, quæ ob amiſſam Paſſavienſem urbem, in aurem ei ab imperitis ingerebantur convitia, frementibus atque ad vindictam prurientibus ſtipatoribus, ipſe placido vultu ſedatóque excipiebat, eo uno identidem ſe ſuóſque conſolatus; dabit, inquiens, DEus etiam iſtis finem. Sed hæc ſatis ſint, quæ ut memoriam

multo-

multorum haud fugiunt, ita nobis intendêre curam, ut nihil niſi documentis aut teſtibus oculatis & familiaribus comperta ſcriberemus. Uſi præcipuè ſumus in vita Lambergii ac duorum ejus deceſſorum deſcribenda Commentariis manuſcriptis Philippi Guilielmi Hornegg viri doctiſſimi juxtà & celeberrimi ob tot libros eruditiſſimè fundatiſſiméque ſcriptos, quique annos complures à Philippi Eminentiſſimi conſiliis arcanis magna fama verſatus eſt.

EPISCOPUS PATAVIENSIS LXIX.
Raymundus.

FAmilia Rabattæa quondam inter Florentinos claruit: indè Antonius de Rabatta Joannis cognomento Vanni filius in Forojulium tranſtulit ſedem circiter annum undetriceſimum ſeculi quartidecimi. Ferunt genus eſſe non antiquiſſimum modò, ſed etiam nobiliſſimum, è quo Gaſto Foxius primus Navarræ Rex atque indè Foxana ſtirps in Francia originem duxerit; duáſque adeò exſtitiſſe generis Rabattæi ſtirpes: Foxanam in Gallia, Dorimbergicam in Forojulio: quæ ſuo loco ſint. Conſpicua ſunt merita illuſtriſſimæ Familiæ, de Auguſta Domo, de Eccleſia, belli domique poſita: neque adeò memoriam hominum excedit Rudolphus Comes Rabatta exercitus Cæſariani per Hungariam Dux, quo vix alium Carolus Lotharingus in pretio fertur habuiſſe majore. Joſephus Comes Rabatta in aula Ferdinandi Tertii Auguſti meritus, Carolum Joſephum Archiducem, Epiſcopum Paſſavienſem, ùt jam aliàs diximus, educavit, deinde Mitram Labacenſem geſſit inſigni laude. Sed honores etiam cœleſtes in Familiam intulit Aloyſius de Rabatta, Ordinis Carmelitici, ob Sanctimoniam vitæ & prodigia elogium promeritus *Beati*. Avus Raymundi Antonius in Senatu ſacro Ferdinandi Cæſaris utriusque enituit; in cujus egregia fide pietatéque pii Principes in arduis quibusque negotiis acquieſcebant. Genitorem habuit Joannem, in liberorum numero Quintus, cujus natales parens ipſe in tabulis privatis felici præſagio adnotaverat his verbis: *Anno 1669. die quarta Februarii natus mihi filius Ferdinandus Raymundus. DEus conſervet eum ad majorem ſuum honorem & gloriam pro beneficio publico, augmento & ornamento meæ Domûs!* I. 1713. Genus.

A primulis etiam annis elucebat animus ſupra ætatem ſagax, candor, innocentia, facilitas, tum pietatis & literarum conſtans amor. Dedit literis operam in Lyceis tribus Labaceſi, Græcienſi, Viennenſi, ubi ſuperato Ariſtotelis curriculo magiſterii laureâ donatus eſt, canente jam tum Promotore ſecuturas poſt Lauream infulas. Cæterùm ſic eſt in ſtadio literario verſatus, ut inſignem efferret integritatis probitatiſque famam. Adoleſcentia.

Jam in ephœbis cùm eſſet, in numerum Canonicorum Olomucenſium venit. Deinde Philoſophicis inſudantem anno 1688. die 30. Auguſti Suffragio Pontificis Eccleſia Paſſavienſis inter ſuos adſcripſit. Rude literaria donatus revertit in patriam; indè italiam urbémque Romam inviſit: cúmque interea ſtudium in ſacratioribus etiam diſciplinis poſuiſſet, contulit ſe demum Paſſaviam, ea veluti ſtatione vitæ in poſterum delecta. Néve eſſet indè excedendi ſpes aut neceſſitas, raro exemplo, togam etiam Olomucenſem poſuit, nè precibus quidem emere ſuſtinens laxamentum Legum Canonicarum.

In Collegio Paſſavienſi per gradus meruit, muneribus pleriſque per vices geſtis: quódque eniteret in eo diligens Eccleſiaſticæ diſciplinæ cura, vitæque forma ad exemplum facta; delectus eſt ad obeundas Capituli parœcias in Auſtria & Bavaria ſitas munere Viſitatoris, cujus partes pro voto Collegarum implevit, ſacris æquè rebus, atque œconomicis diligenter procuratis. Idoneus indè viſus eſt, ut etiam Capituli œconomum agere juberetur; perſpecta namq; omnibus integritate ejus & religione animi tenera, cui ærarium commune committi tutò poſſet; ídque ita planè tractavit, ut nemo ullus aut induſtriam ejus aut fidem requireret, verſatus (ùt quidam ſcripſit) inter tot cenſores ſine cenſura. II. Vita inter Canonicos.

Electio. Elato è vivis Cardinale cùm ageretur de ineundis Suffragiis, jam tum multorum haud obſcura in eum conſpiraverant vota. Virtutum enim & morum innocentiſſimorum gratia dudum ei & Cleri & populi adjunxerat ſtudia. Communi vulgi prædicatione audiebat aliis pius & exemplaris; liberalis aliis & misericors; iſtis providus & magnanimus, juſtitiâ inſignis, aſpectu comis, alloquio facilis, alitérque aliis viſus mitra dignißimus. Neque Principes habebant, quod exciperent ob æquitatem ejus orbi cognitam. Et præceſſerant omina voluntatis divinæ: die namque electionis appetente, priusquam conferrentur ſuffragia, civitatem pervaſit publica vox Raymundum Epiſcopum conclamantium; quod ſtatim exitus ratum habuit: conjectis in urnam ſententiis denique prodiit Epiſcopus Raymundus die 18. Januarii, Anno 1713.

III. Benignitas. Statim veluti copiam nunc demum nactus explicandæ bonitatis, tributa ruſticæ plebi alia ſuſtulit, alia minuit. Patrem ſeſe præbere omnibus. Nam ùt faciles accedentibus commodabat aures, ita petentibus vix negare quidpiam ſuſtinuit: cúmque nihil eſſet eo in egentes benignius, tum præcipuè miseratus eorum ſortem, quos eſurire cogit mendicandi pudor. Nec domeſticos modò, ſed longiſſimè diſſitos, quin & indignos, & quos nec ipſe noſſet, pari munificentia complexus eſt. In eos, qui ab obſequiis erant, mirè placidus & mitis; quorum ſi qui è morbo decumberent, etiam aulico è vulgo; inviſebat ipſe, recreabat alloquio. Verbo: Princeps erat ſine faſtu, ſine tumore, ſine ambitione pompæ; qui dignitatem haberet potiùs quàm oſtenderet. Nihil eum à privato mutavit honor: eundem adversùs omnes humanitatis facilitatisque modum, quem habuerat Canonicus, retinuit etiam Epiſcopus; nemóque in eo fucum aut artem aulicam ſuſpicatus eſt; nemo offenſam immeritò ſubeundam, nemo triſte quidpiam per vim aut injuriam timuit. De bonitate animi ejus, ùt erant certi omnes, ita fortunarum ſecuri ſuarum. Nihil ille deſultoriè aut per calorem decernere, neque ſpem ulli facere, animi ad violentum aliquod aut præceps conſilium concitabilis; ingenio ad charitatem adeò obfirmato, ut nihil abhorreret magis, atque ulli mortalium moleſtè facere, molliſſimas, utcunque per conſcientiam poſſet, conſectatus vias.

IV. Integritas & juſtitia. Animi religio, quâ peccati cujuslibet etiam umbram horrebat, ſubegit eum, ut nihil ſine maturo plurium conſilio faceret; ut juſtitiam, qui præſiderent, cum cura adminiſtrarent; verbo ut injuriam fieri pateretur nemini. Erant qui nominis & patrocinii ejus obtentu vectigalia Principi contermino debita ſubtraxerant: utprimùm id Raymundo innotuit, ipſe repræſentato ære flagitium expiavit. Alia ejus generis conſcientiæ tenerrimæ documenta obſervare licuit in vita ejus omni tum privata, tum publica. Ipſe non alios codices avidiùs lectitabat, quàm eos, qui de cura animi, de perfectione virtutum, de argumentis denique aſceticis tractant. Talium ille penum ſelectam congeſſerat; de hujusmodi ſerere cum voluptate ſermones. Ne quid porrò nævorum in animum irreperet, aut diligentiam effugeret, non contentus quot hebdomadis apud conſcientiæ arbitrum rationes animi expendere ſemel; id

Religio. etiam crebriùs factitabat: tum Miſſæ Sacrificium facere magno pietatis ſenſu, quem ipſe vultus prodebat. Sacris cùm operaretur creberrimè privato cultu, tum dies in Eccleſia celebriores conſecravit ipſe cœremonia publica; non alia re viſus magis geſtire, quàm ſi res divina ad amuſſim Romanorum Rituum; quorum ſcientiſſimus erat, exactè fieret. Ibi pompam explicari omnem voluit: cæterà modeſtiſſimus.

Modeſtia. Univerſus aulæ cultus modeſtiam temperantiámque ſapiebat: parcimoniam cibi ac præcipuè potûs cùm ſibi dudum privatus familiarem haberet, tum in apparatu etiam aulico conſtantiſſimè tenuit; productis non raró jejuniis

Pietas in Deiparam. in ſeram usque noctem, cujusmodi in profeſſis Marianorum ſolemnium ſibi totique aulæ ſevera lege indixerat.

Et verò honorem Virginis Deiparæ, quam à teneris impenſè coluerat, in præcipua curarum parte ducebat. Ad Odeum Patavienſe à prodigiis celeberrimum ipſe frequens graviore etiam cœlo inviſere; Ei amores conteſtari ſuos

argenteo

argenteo grandioris molis & pretii anathemate, quod Ipſum clientem refert Virgini de genibus ſupplicem. Ejus honoribus nuncupavit ædiculam Nazarenam prope locum Tirnenſem; cui imaginem intulit in paucis elegantem, celeberrimi Apellis opus: addidit inſtrumentum ſacrum materia & arte pretioſum; dúmque eo in loco ferias è curis publicis ageret, Odeum illud in deliciis habuit, identidem in contubernio & deprecatione Virginis animum laxare viſus.

V.

Cura Baſilicæ Cathedralis.

Baſilicæ quoque ſuæ decorem multis promovit partibus. Auxit ſupellectilem Sacrarii. Conſtruxit Organum pneumaticum bipertitum elegantiſſimum. Præterea ſuggeſtum ſacrum opere peregregio, qui ab ejus primùm obitu erigendus erat. Deſignaverat etiam aram majorem; at motte præventus perfectam non vidit.

Eccleſiæ.

Eccleſiam ſuam utì ceu ſponſam impensè dilexit, ita fortiter illius defendit jura, *dum Filia*, ùt ſcribit Panegyriſtes, *in Matrem contenderet.*

Officii Paſtoralis.

Quàm erat Officii Paſtoralis ab ſe rigidus religioſiſſimúſque exactor, ita piaculo ſibi ducebat, ſi vel apicem hac in parte negligeret. Quidquid ſe ad DEI cultum, ſeu animarum commodum facere didiciſſet, hoc veluti irritamentum erat ad omnia: quo illud ei ſolatium indulſit DEus, ut miſſiones Apoſtolicas in Diœceſi ſua inchoatas continuatáſque cum immenſo animarum fructu videret, hunc ille ut tantò uberiùs promoveret, ampliſſimis literis & mandatis ejus inſtituti duces munivit, atque ùt eſt humani generis hoſtis ad impedienda animarum lucra vigil & intentus, adversùs ejus machinas Raymundus operas Apoſtolicas auctoritate texit.

Sanctiorem in Clero diſciplinam in vigore continuit, ſolitus à Sacrariis arcere eos, qui mentem integram altaribus non inferrent: ſed hoc in genere plus exemplo quàm ſeveritate perfecit.

Sacro Chryſmate Fideles ad nonagies mille non ex Diœceſi modò Paſſavienſi, ſed Pragenſi etiam & Ratisbonenſi advenientes unxit, nihil moratus locorum viarúmque intervalla, non temporis & valetudinis adverſa. Hic Commentarii Paſſavienſium ita notaverunt: ſpatio annorum ſeptem & viginti Sacramentum Confirmationis in Diœceſi Paſſavienſi occaſione Viſitationum fuiſſe collatum quater centum triginta ſeptem millibus octingentis octoginta novem.

Opera nova.

Erexit templum parœciale in loco quem novum mundum appellant; illúdque Sancti Onomaſtici honoribus nuncupavit: aliud item Odeum, quod ex ipſo Raymundianum nomen obtinuit.

Arces, aulas, domos aut inſtauravit aut è fundamentis extulit; quem in cenſum meritò veniat Tirnenſe Tuſculum, leuca ferè Germanica Paſſavio in Orientem diſſitum, quod opere elegantiſſimo ab eo conſtructum ornatúmq; nos ipſi oculis uſurpavimus.

VI.

Studium utilitatis publicæ.

Verbo Princeps erat, qui totus alieno vivebat commodo, ſic ut ſupremo etiam gravatus morbo, & ipſâ die, quam vitæ ſupremam habuit, libellos ſupplices exciperet, ſignaret. Annonæ periculo ſæpenumero exemit urbem; cujus ne cum abſente Principe exularent commoda, ſtationem fixit domi; & quanquam in arcanum Senatum à Cæſare Carolo VI. cooptatus, non geſſit tamen, quæ alioſum vocarent, negotia quantumvis conſpicua; dignitatibus potiores ratus utilitates ſubditorum. Indè rem Eccleſiæ tam utiliter geſſit, ut æs alienum, quo gravata dudum & admodum fuerat, expungeret.

Supremam voluntatem non ſcripſit; haud dubiè (quod triennio ferè ante obitum declaraverat) ut hæredem faceret Eccleſiam: ita namque cuidam arcanorum conſcio aperuerat mentem: *ab Eccleſia accepi omnia: omnia reddam Eccleſiæ.* Ita exceſſit carnis & ſanguinis penitus oblitus.

Clementia & æquanimitas.

Denique exegit Pontificatum eodem tenore laudis, clementiæ, manſuetudinis: ſemper ſimilis ſui: nihil immodicè aut cupere, aut averſari; nec ſtudere præter modum, nec odiſſe; ſed minìmè omnium iraſci; quo factum, ut in ejus extis à morte ne fel quidem deprehenderint anatomici. Animum in adverſis æquè ac proſperis habebat in poteſtate: in morbis & languoribus

etiam

etiam diutinis propemodum ſine ſenſu. Pari conſtantia domeſticorum funera, quæ ſpes familiæ ejus amplas abruperant, tulit: ſic jacturas rerum familiarium per incendia, grandinem; nihilo ab ſolita comitate deficere.

Conſuetus ei cruciatus è podagra, cujus lenimentum expertus alioqui fuerat à thermis Carolinis in Bohemia: iſthuc igitur profectus è Medici conſilio: at eventu parùm proſpero: neque enim vires corporis ad uſum balnei ſuffecerant, neque deinde ſuſtineri ſe ſivit valetudo ruens. Et pharmaca & Medici, etiam è longinquo evocati, fruſtra fuerunt. Ita languentem non jam ardores articulorum, ſed laſſitudo membrorum omnium tenuit affixum ſtrato: adfluxit ad decumbentem frequens Nobilitas conventu etiam inſtituto, quo ægrotanti venerando capiti ſervitium dependerent. Media nocte, quæ diem 1722. Moritur. 25. Octobris exceperat, phreneticis convulſionibus agitari cœpit, ac pòſt paulò innocentem animam ſupremis antea myſteriis iterum ac ſæpius communitam univerſo Nobilium ac familiarium cœtu comprecante efflavit. Aperto dein pro more corpore repertum eſt è renibus alterum ex integro, alterum majorem partem computruiſſe. Annus is erat à nato Servatore viceſimus ſecundus ſupra milleſimum ſeptingenteſimum: à ſuſceptis clavibus annus decimus. Sedit univerſim annos novem, menſes novem, dies octo. Vixit annos ætatis tres & quinquaginta, menſes novem, dies unum & viginti.

EPISCOPUS PATAVIENSIS LXX.
Joſephus.

I. OCulis & teſtimonio publico debeo, ne de Joſepho Dominico Principe ſcripturus laudare potiùs videar, quàm narrare; plùſque gratiæ dediſſe aut mori, quàm veritati. In oculis omnium poſitum eſt exemplar bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate: nôrunt omnes tenorem vitæ ad numeros omnes epiſcopalis Sanctimoniæ compoſitum: quæ malo ab omnibus ſciri, quàm à me ſcribi, ne fortè non nemini videar ſperare me talia prædicantem, gratum modeſtiſſimo Præſuli facturum.

Natales. Natus eſt Styræ Oppidi ſuperioris Auſtriæ loco ſuburbano, Dynaſtiæ Lambergicæ, anno 1680. die octava Julii, quartus natu filiorum Franciſci Joſephi Comitis à Lamberg, & Annæ Mariæ è Familia Comitum de Trautmansdorff. Pater à prima adoleſcentia in palatio Cæſaris verſatus primùm ab obſequiis fuit Leopoldi Archiducis, deinde in Imperatorem electi glorioſiſſimæ memoriæ, à quo per varios honorum gradus ad ſupremam ſuperioris Auſtriæ præfecturam evectus eſt, quam annos aliquot ſupra viginti magna prudentiæ, juſtitiæ, religionis laude ad obitum usque geſſit. Non inſcitè adnotaverat calamus eruditus eundem annum fuiſſe Joſepho natalem (adde & menſem eundem) qui urbi Patavienſi fatalis ob incendium fuerat: tanquam hunc ejus inſtauratorem jam tum præparaverit DEus. Id quidem Oratoribus obſervatum relinquimus: cæterùm apparuit in puero à teneris unguiculis certius futurorum omen; pietas, innocentia, modeſtia, pudor, atque in rebus unicè religioſis acquieſcens ingenium, quod deinde Muſis cùm tradidiſſet formandum, ſic explicuit ſeſe, ut nullo negotio diſciplinarum omne genus combiberet. Certè Lincii ſuperioris Auſtriæ Metropoli, ubi literas manſuetiores in Gymnaſio Societatis JESU diſcebat, utraque laude enituit.

(Indoles à teneris.)

II. Literarum ſtudia. Emiſſus indè in provincias exteras luſtrata Germania, Galliâque, Veſontione Burgundiæ Metropoli ſtudium in cognoſcendis legibus poſuit, quod deinde Senis in Hetruria continuavit. Sic expolitum accepit Roma, ubi in Collegio Clementino naturalis ac divinæ ſcientiæ arcana ſic audivit, ut inſigni 1700. Gratia apud Rom. Pont. fama celebraretur, adeóque ſe probavit Romano judicio, ut apud Clementem XI. recèns electum non vulgarem gratiam iniret: à quo ſub ipſis Pontificatus Ejus auſpiciis aſſumtus eſt in *Prælatum* ùt vocant *Domeſticum*, ac paulo pòſt in *Referendarium utriusque ſignaturæ*: ubi quotidiana vitæ conſuetudine moribus ejus cognitis ſapientiſſimo Pontifici ſemper deinde fuit in amoribus & æſtimatione.

Sub-

Subinde Româ reverſus, quòd interea Canonicis Patavienſibus accenſus Fit Canonicus
à patruo Cardinale fuerat, Pataviam urbem acceſſit: tantas autem & peritiæ Patav.
Canonicæ, & integritatis ac diligentiæ commendationes ab urbe Roma attu-
lerat, ut anno 1703. poſt obitum Joannis Joachimi ab Aham ſacri Tribunalis 1703.
infra Anaſum Præfecti, in ejus locum Joſephus ſubrogaretur; ubi primùm Vicarius Ep.
Novembri menſe ejusdem anni pro judicio ſedit. Geſſit eam ſpartam in an- infra Anaſum.
num tertium contentione mira: neque enim à Conventibus abeſſe unquam
ſuſtinuit: lites annoſas retexi & explicari curavit. Omnibus modis juſtitiæ
gratificatus eſt. Accedebat comitas & humanitas, qua & faciles dare aures
quibuslibet, & reſponſa æquiſſima ſolebat.

Interea ætatis anno quarto & viceſimo ſuperato non diſtulit capeſſere III.
Sacerdotium, cujus initia non alibi ſanctiùs ponenda duxit, quàm apud Eam, 1704.
cui à teneris ſuos dedicaverat amores: igitur Pataviam ſe contulit, ubi in æde Sacerdotium
Virginis Auxiliatricis anno 1704. die quarta Octobris, quæ Sabbatum erat, ſuſcipit.
Hoſtiam DEO primam litavit. Advertebat jam tum oculos omnium eximius
Ejus in res Divinas ardor ac pietatis quædam effigies, ſupra modum commu-
nem elucens; qua non popularium modò venerationem ſibi adjunxit, ſed 1705.
etiam Collegarum, qui æſtimatione virtutis digniſſimum putaverunt, loco Fit Præpoſitus
inter ipſos ampliſſimo: deceſſerat Officio Præpoſiti Franciſcus Antonius Co- Cathedralis.
mes ab Harrach anno 1705. 19. Octob. in Coadjutorem Archiepiſci Salisburg.
aſſumtus. Tunc ea dignitas ad Joſephum Dominicum ritè delata eſt in cumu-
lum Præpoſituræ Matſeenſis, quæ fuerat eidem jam antea mandata.

Jam & Collegium Canonicorum Salisburgenſium inierat, ubi novus ei Canonicus
gradus ad honores patuit. Epiſcopo Seccovienſi ad Chiemenſem Cathedram Salisb.
translato in ejus locum Joſephus Dominicus anno 1712. ſubiit non ſua volun- 1712. Epiſcopus
tate, ſed tantùm meritis, quæ Franciſcus Antonius Archiepiſcopus ſtatuenda Seccovienſ.
quamprimùm cenſuit ſuper candelabrum. In eo Pontificatu decennium egit,
ſuo more, id eſt ſanctè. Quæque privatim, quæque publicè agerer, DEUM
unicè ſpectabant: cúmque multa vigilando, curando ad officium Chriſtianum
in grege promoveret, plus tamen promovit exemplo, quo omnibus præluce-
bat. Ita perfecit, ut omni hominum Ordini ſeu profano, ſeu ſacro, Nobili-
tati juxtà ac vulgo in amore pariter eſſet, ac veneratione.

Exceſſerat anno 1712. patruus ejus Cardinalis Joannes Philippus: agi- IV.
tabatur de ſucceſſore: jam tum multorum judicio Joſephus notabatur. Nec Candidatus
Suffragia deerant: pendebat electio inter Candidatos tres, quam brevi Joſe- Cathedræ
phus pro ſuo modeſtiæ ſtudio diremit: Suffragia ſibi data ad Raymundum Patav.
Rabattam transtulit. Sed Ordinem Providentiæ Divinæ haud evaſit: poſt 1723.
exceſſum denique Raymundi ad mitram Patavienſem exambitus potiùs, quàm Electio.
cooptatus eſt, ſic omnibus ferè perſuaſis, ut non dediſſe aliquid, ſed accepiſſe
reputarent, nec ejus deſiderio, ſed Eccleſiæ tantùm commodo conſuluiſſe.

Electus eſt die ſecunda Januarii anno 1723. Meminimus (& viret adhuc Gaudium
rei geſtæ memoria) quanto non dixerim gaudio, ſed omnino jubilo civium mirum ob
Patavienſium electio ſit excepta; multis etiam lacrymas lætiſſimæ rei ſenſus elect.
expreſſit. Incredibile dictu eſt, quantis lætitiæ & gratulationum Inſignibus
illa dies exacta ſit; quum jam à civibus ad Principem gaudii & devotionis con-
teſtationes mirificæ, jam à Principe ad S. P. Q. Patavienſem pleni humanita-
tis, & clementiſſimæ voluntatis nuncii commearent, patuítque tum ut cùm
maximè, quanta ſit vulgo virtuti gratia, quámque eximia in animo omnium
inſederit de Electi virtutibus exiſtimatio; quam viri etiam Principes, ad quos
electionis fama manavit, prodiderunt: nam & Pontificem conſtat Innocen-
tium XIII. & Carolum VI. Auguſtum rei geſtæ nuncio apprimè lætatos. E
Pontificio Senatu complures, aliíque Præſules gaudium ſuum literis gratulato-
riis è longinquo teſtati ſunt, præter acclamationes virorum illuſtrium aliorum
ſine numero.

Auſpicatus Pontificium eſt actu modeſtiæ: nam Patavienſes, quum more V.
ſolito illuminandis noctu ſuggeſtibus & feneſtris velut in lætitia publica appa- Initium à
ratam facerent, inhibuit; in quo omnes agnoverunt eum ingenio parere ſuo, modeſtia.

non in vanis ejusmodi oſtentibus ponenti vim ſacri Principis aut Paſtoris, ſed in eo, ut oves vocem ejus audirent. Mox igitur ſe ad mores publicos in melius formandos accinxit; principio facto ab aula: edidit decretum graviſſimum contra largitiones munerum, queis nonnunquam non ſententias modò, ſed ipſos etiam Magiſtratus & Officia jurisdicundi cum præſenti juſtitiæ peſte vendi contingit. In eo decreto conteſtatus eſt gravibus verbis, *id ſe conſcientiæ cauſa & impoſiti ab DEO muneris adactum facere.*

Salutaria Decreta.

Hinc progreſſus ad Clerum & animarum curatores, pro quibus res conſtituit duas: primùm ut ſublata, quam vocant, Beneficiorum pluralitate ſinguli ſingulis contenti degerent, quo ne ſcilicet per paſtorum aut abſentiam ab ovili, aut curas in plura diſtractas animarum ſalus detrimentum caperet. Alterum ut ii, quibus animæ paſcendæ creduntur, non modò exemplo vitæ conſpicui ſint, verùm etiam iis ſcientiis, quæ ipſorum muneris intereſt, exculti. De utroque Sanctiones tulit egregias, exempláque rigoris Apoſtoliei non obſcura ſtatuit. Illud autem peculiare, utì ſeu Parochi, ſeu ipſorum adjutores, quoties clypeum mutant, toties revocentur ad examen.

VI. Vigilantia & Induſtria Paſtoralis.

Jam vigilantia paſtoralis & induſtria, quæ rari prorſus exempli eſt, diligentiam omnium intendit. Noverunt omnes diu noctúque intentum muneri, excubare, è menſura præcepti Apoſtolici, quaſi rationem pro animabus omnium redditurum. Sic diei partes diſpenſat, ut minimum ſibi vendicet refectio aut relaxatio corporis; aliud omne aut exercitationibus ſacris, aut negotiis epiſcopalibus, atque iſtis potiſſimùm impenditur. Nihil hìc de ferarum venationibus, nihil de ſcenis aut ludieris, nihil de conventibus genialibus cogitatur. Negotium omne aut cum DEO aut de DEO, aut rebus ad DEUM ejúsque ſponſam pertinentibus. Indè ille aut coràm aut per literas induſtriam Curionum acuere; iſtorum aliorúmque præfectorum rationes exploratas habere; Libellos & negotia non alienis tantùm oculis credere: ſuismet inſpicit; cum probatiſſimis quibusque in conſilium it; illud denique certiſſima deliberatione facit, quod conſcientia, quod DEI gloria ſuaſerit: ab eo nec metu aut reſpectu hominum, nec operis difficultate deducitur. Indè nulla flagitiis impunitas, nulla ignaviæ ſpes: unus ad gratiam aditus probata merita. Quæ ut de vivente inter tot conſcios ſcribimus, ita fidem non adſtruo meam, ſed publicam.

VII. Viſitatio Generalis.

Nihil porrò illuſtrius, quàm mos ille verè Apoſtolicus, quo Paſtor ingenti labore, immenſo fructu jam annum tertium, ovile ſuum ampliſſimum luſtrando, defunctus eſt. Archiducatum Auſtriæ, quàm longè, latéque cis & ultra Danubium porrigitur, potiſſimam partem peragravit nou ſanè obiter, aut per compendia, ſed moroſè prorſus ac minutim. Diœceſis Patavienſis per Auſtriam duobus & triginta circulis, ùt vocant, ſeu diſtrictibus eccleſiaſticis conſtat; in quorum ſingulis magnus parœciarum numerus; præterea monaſteria, Præpoſituræ, aliaque Sacerdotia innumera. Hìc ille in ſingulis propè parœciis ſtationem figere; gregis ſtatum cognoſcere: ùt templis nitor, ùt ſacris Officiis accuratio, ùt Religioni Catholicæ inter populares ſinceritas, puritáſque conſtet: quàm ſtrenuè obeantur Divina myſteria; quàm ægrotis ac morientibus conſultum: quæ cura verbi Divini, ac ſpeciatim inſtitutionis parvulorum, à quibus Paſtor vigilantiſſimus nunquam dejicit oculos: ipſe collectos in cœtum tentare quæſtionibus, periculum hauſtæ doctrinæ facere; ipſe rudioribus præire verba ac dogmata veluti præmanſa tradere; præmiolis aut reprehenſionibus excitare induſtriam: horum denique inſtitutionem inter prima Curionibus commendare. Sic ille parœcias aliam ex alia luſtrat, ſæpe cœlo incommodo; multum etiam itineris Evangelizantium ſpecioſo more obeundo pedibus: nec caſas aut tuguria dedignatur: iſthic ægrotos ipſe inviſit; ſolatur; extremis præſidiis munit: ut nihil dicam de operoſis conſecrationibus Eccleſiarum, altarium, campanarum; de ſacri Chriſmatis in multa hominum millia diſpenſatione; in quibus Ille functionibus velut Officii Pontificalis propriis ſine tædio, ſine reſpectu valetudinis, nonnunquam ad usque corporis deliquium verſatur. Atque hunc in modum æſtates jam tres admirando fer-

vore

Digitized by Google

vore exegit: cùm interea neque Pataviensibus deſit ſuis. Horum pietatem multis excitavit modis: primum exemplo vitæ, quod intueri nequeunt ſine ſtimulo virtutis: in Officiis Divinis, in feſtorum ſolemniis, in proceſſibus ac pompis publicis familiam ipſe ducit, facitque quod Paſtoris eſt: *Ipſe ante oves vadit; & oves eum ſequuntur.* VIII.

Pietatem Patav promovet.

Refrixerat illa quondam ab Urbano Epiſcopo inſtituta proceſſio, quam vocant, Corporis Chriſti quot hebdomadis feria quinta celebrari ſolita. Hanc Joſephus & exemplo, & ſolertia ſua ad fervorem & frequentiam priſtinam revocavit: cúmque hactenus ſoleret in ambitu ſeu angiportu juxta baſilicam exiſtente circumduci comitatu raro, & infrequenti; conſtituit, ut in ipſa baſilica apparatu ſplendido, deſcriptis, qui adeſſent Cleri, Nobilitatis, Senatûs urbani Ordinibus, adhæc civium tribubus viciſſim convocatis haberetur: cúmque in id expendendi ſint haud modici ſumptus ob ingentem cereorum numerum, qui in procedentes diſtribuitur, cordatam protulit vocem: horum, inquiebat, ſumptuum caput facilè præſtabit ſodalitatum familiarium ceſſatio. Idque ita reapſe facit, ſodalitiis iſtiusmodi jam à principio relegatis; in quorum vicem ſubiit menſa hoſpitalis, cui plerumque Cathedrales ſuos, præterea viros religioſos familiariter adhibet.

Itaque ſumptuum, quos facit, ratio in cultum divinum, in res Eccleſiæ, ejúsque negotia impenditur. Auxit ornatum templi ſtatuis argenteis, candelabris, aliisque talibus. Ne neceſſitas eſſet curionibus beneficia retinere plura, ipſe ſtipendium de ſuo ſupplevit. Apparatus aulæ prorſus, qui Epiſcopum deceat: modeſtus, frugalis, oneroſus nemini; quod maximè patuit in longinquis adeò lentiſque ſuæ diœceſis oberrationibus, quas nullo privatorum diſpendio, ſua tantùm quadra ac ſcilicet modeſtia & frugalitate Apoſtolica hactenus ſuſtinuit. IX.

Modus expenſarum.

Denique vir, quem rerum humanarum nec amor tenet, nec cura: negotium omne conſumitur in duobus, pietate privata & zelo publico: res omnibus nota utraque. Ad privatam religionem pertinet Oratio matutina benè longa; tum ſacroſancta conſuetudo Sacrificii quotidiani: ſic enim jam indè à principio Sacerdotii in more poſitum habuit, ut dies ei nulla ſine Agni Divini immolatione tranſiret; quod quia crebriùs in die facere non licet, ita conſuevit, ut antea quàm ipſe operetur, uni Sacrificio; ac poſt itidem interſit alteri. Singularis planè in DEum Euchariſticum ab incunabulis conſueta devotio omnibus occaſionibus ſe prodit: cui geminam jungit in Chriſtum Patientem: illud novum inſtituit, ut in æde Cathedrali per tempus verni jejunii, quo Domini cruciatus recolimus, ad Concionem dicatur quotidie, diebus tantùm ſabbatinis exemtis. Nam iſtos ille dies cultui Divinæ Matris dudum ſepoſuit. Mirum memoratu quàm auſpicata Joſepho fuerit dies illa Mariana, id eſt Sabbatum. Sabbato natus eſt: ſabbato primùm ad aram fecit: ſabbato in Antiſtitem Pataviensem acclamatus: ſabbato ſancto ejusdem anni Confirmationis Romanæ Tabulas ſuſcepit. Sabbato ſacrum politicúmque regimen auſpicari voluit. Cui quid aliud ſupereſt, quàm ut auguremur aliquando ſabbatum ſempiternum, quo dicturus eſt Spiritus, ut amodo requieſcat à laboribus ſuis, DEI & animarum cauſa tam heroicè ſuſceptis? vivat interim, agátq; plurimos ſuperſtes annos in commodum, & ornamentum Eccleſiæ ſuæ, atque illo, quam gerit, animarum zelo incredibili Sacerdos magnus in diebus ſuis placeat DEO, delicietúrque delicium ſuum inter Aras, quarum omnino decem in Baſilica Cathedrali nuperrimè, id eſt hoc menſe Octobri anni 1725. ritè conſecravit.

Pietas privata.

Coronet laudes Antiſtitis optimi, ſolatióque ſit ovibus laus Paſtoris, quam ei tribuit Paſtor ſupremus per epiſtolam nuper ſubmiſſam.

Venerabili Fratri Epiſcopo Paſſavienſi
Benedictus Papa XIII.

VEnerabilis frater ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Ingenti cum animi voluptate accepimus Paſtoralis tuæ virtutis alacritatem & incredibilem aſſiduitatem, quâ inter paſcendi gregis multiplices curas, nullas omittis Pontificalis miniſterii partes, & confirmandi, ordinandi, conſecrandi munera præſtare geſtis. Non minori tamen acerbitati nobis fuit, quod eò temeritatis quidam proceſſerint, ut digniſſimam iſtam & omnium præconio celebrandam vigilantiæ, ſolertiæque contentionem vitio tibi verterent, & indè tuis laudibus detractum irent, unde nomini tuo magna accedere claritatis incrementa gratulamur. Cùm enim cætera Chriſtianæ & Eccleſiaſticæ vitæ Officia ſint Chriſti fidelibus, Clericisque communia, hoc reſervavit Epiſcopis excellentia dignitatis, poteſtas Ordinis, & infuſa per Chriſmatis myſterium virtus Spiritus Sancti: ut propterea valde abſonum eſſe debeat, ſi Epiſcoporum quiſpiam ſacras excelſi gradus functiones, tanquam laborioſas, aut minùs decoras detrectare videatur. Quanquam certè nos ſub Eccleſiaſticæ ſervitutis onere infirmitatem noſtram agnoſcimus & fatemur; DEus tamen adjutor noſter ita nobis adeſſe dignatus eſt, ut non ſolùm nonaginta tria millia, quadringentos & decem Chriſti fidelium Confirmationis Sacramento conſignare, & altaria fixa mille quingenta & nonaginta partim in Beneventana noſtra Eccleſia reſidente, partim in hac omnium Eccleſiarum ſolicitudine conſecrare potuerimus, ſed alia quoque Pontificalia munia obire, quorum indiculum fraternitati tuæ reddendum mandavimus ad gloriam Domini Largitoris, mutuæque charitatis ſolatium. Perge porrò, ut cœpiſti, Venerabilis Frater, tuum miniſterium implere, nec hominum, qui terrena ſapiunt, ſermones & judicia quidquam moreris; non enim ab humano judice judicandi ſumus, ſed illius judicium exſpectamus, cui aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum nos Sanctificationis miniſtros ex hominibus aſſumpſit, à quo, ſicut Sacerdotii dona ſuſcepimus, ita laboris præmia, & coronam fidei per gratiam ipſius conſecuturos eſſe ſperamus; ac fraternitati tuæ cum meritis animi, ſtudiique ſacerdotalis laudibus Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die 3. Februarii Anniverſaria noſtræ Pontificalis Conſecrationis. 1726.

Incitatus hoc ſtimulo Præſul alioqui currens, non modò viſitationum ſuarum curriculum laborioſiſſimum per eundem annum continuavit, ſed id egit, ut earum fructus perennis eſſet. Quæ experimentis ipſe cognoverat emendanda, confirmanda, aut promovenda per diœceſim eſſe, ſcripto complexus eſt, placitis ſaluberrimis exquiſitiſſimiſque referto, cui ob præſtantiam ſuam nihil addi poſſit, nihil detrahi; quódque intuentes animarum paſtores veluti cynoſuram, expeditum tenebunt Officii curſum, populúmque præſtabunt acceptabilem DEO, ſectatorem bonorum operum; ſed & PRINCIPI fidelem & obſequentem. Opuſculum quidem editum typis, viritimque in curiones diſtributum, committere tamen haud poſſum, quin hoc velut margaritam & ornamentum attexam operi meo, ac, ſi quid eſt in me opis, in orbis luce conſtituam.

EPISTOLA PASTORALIS JOSEPHI DOMINICI EPISCOPI ET S.R.I. PRINCIPIS PASSAVIENSIS AD CLERUM PASSAVIENSEM.

ANNO M DCC XXVI.

JOSEPHUS DOMINICUS

Divinâ gratiâ Epiſcopus & S. R. Imperii Princeps

Paſſavienſis, toti Venerabili Clero Diœceſis Paſſavienſis ſalutem in Domino.

AD ſuſcipienda Paſtoralis Curæ pondera per ineffabilem Divinæ Bonitatis abundantiam vocati, eò potiſſimùm ab ipſo Noſtri Epiſcopatûs initio Paternæ ſollicitudinis noſtræ ſtudia convertenda eſſe duximus; ut Miniſterium Noſtrum Divinâ gratiâ adjutrice jugiter adimplere ſatagentes commiſſæ Nobis Diœceſis faciem decoram undique, ſinè ruga, ſinè macula, omnium oculis exhiberemus; *Ut ita ii, qui ex adverſo* Ad Tit. 2. 8.
ſunt, vereantur; nihil habentes malum dicere de Nobis; Nihil verò ad hoc nos ſalubrius aggredi poſſe cogitavimus, quàm, ſi Paſtoralis Viſitationis auxilium adhiberemus.

Dudum ſiquidem fel. record. Wenceslaus Prædeceſſor noſter (tametſi per ſeipſum viſitationem perficere, aliorum negotiorum mole, & ſuarum virium infirmitate præpeditus fuerit) Epiſcopalem viſitationem Sacrorum Antiſtitum, omnium primum, & graviſſimum eſſe munus ſapientiſſimè definivit; quod ipſum tantò magis ad Nos pertinere intelligimus, quantò in Epiſcopali ſpecula conſtituti apertiùs edocemur, Viſitationis inſtitutum jam à primo Eccleſiæ ortu Nobis traditum, & perpetuò ejusdem uſu approbatum, atque Summorum Pontificum & Oecumenicorum Conciliorum, Tridentini præcipuè ſtatutis tantopere commendatum fuiſſe.

Ad hæc igitur conſiderationis noſtræ oculos convertentes, & quaſi ſupernè vocem Jacob ad Joſeph audientes: *Vade, & vide, ſi cuncta proſpera ſint* Geneſ. 37.
erga fratres tuos & pecora; egreſſi ſumus, & per Triennium circuivimus Ter- 14. 41. 45.
ram, & Regiones Diœceſis noſtræ.

Atque iſtud agentes cum ingenti animi noſtri ſolatio per potiorem ejusdem partem deprehendimus quidem Villicos utiles, ſedulos in Vinea Domini Operarios, ac fideles Divinorum Chariſmatum Diſpenſatores, Plebem ipſam & commiſſum Paſtoribus gregem abundare ſpirituali alimoniâ, ſanum, vegetum, inter vitæ æternæ paſcua feliciter grandeſcere; Id quod poſt DEUM omnis boni, & dati optimi Authorem, Decanis, Parochis, cæteriſque curam animarum agentibus in acceptis referimus, glorianteſ in Domino, de ſtrenua eorundem Nobiſcum in Evangelio cooperatione.

Porrò diuturnâ hâc, atque arduâ viſitatione defunctis, in illud Nobis totis viribus incumbendum eſſe putavimus; ut quem fructum Paſtoralis Curæ per plurimas Diœceſeos noſtræ partes lætantibus oculis aſpeximus, dimanaret

in omnes; & ſi qua ex parte extitiſſet manca gloriatio, & gaudium noſtrum, in Dominn ſuppleremus, quoad nos poſſumus, defectum paſtoralibus monitis, & præceptis, ex animo cupientes *parare Domino plebem* undequaque perfectam.

Eapropter viſum eſt, ſingula maturô conſiliô expendentibus Nobis, ſuper quibusdam, quæ in curandis animabus præcipua, & certè peropportuna media eſſe judicavimus, diſtinctiùs aperire mentem noſtram, eámque hâc paſtorali inſtructione communicare cum iisdem omnibus, quos in partem diœceſanæ noſtræ ſollicitudinis inſtituentes aſſumpſimus, Decanis, Parochis, & quibuslibet animarum curam in hac commiſſa Nobis à Domino Vinea exercentibus; ut quandoquidem ſingulis, corpore, & vivâ voce hortatores præſentes ſemper eſſe nequimus, jungeremur tamen animô, Viris Nobis in Chriſto conjunctiſſimis, & paſtorali hôc mandatô, ſi non auribus, animis certè veſtris inſonaremus ea, quæ vos facere, & Nos vobis facienda loqui conveniret. Veſtrum erit iſta, quæ vobis ſcribimus, vigilantibus in animarum ſalutem oculis relegere, exequi, & pro menſura veſtri Officii, bene monentibus Nobis &
Actor. 20. præcipientibus obtemperare; Teſtis enim Nobis erit vel hæc ipſa pagina, *quàm nihil ſubtraxerimus utilium, quò minùs annunciaremus vobis,* & doceremus vos pro paſtoralis Noſtri muneris ratione.

§. I.

De Adminiſtratione Baptiſmi.

Atque ut ab eo ordiamur Religionis noſtræ Chriſtianæ myſterio, per quod regenerati in vitam æternam de Chriſti fidelium numero exiſtere incipimus, Baptiſmi videlicet Sacramento: cùm illud cæterorum omnium principium, janua, & fundamentum ſit, medium ad ſalutem præ cunctis cæteris neceſſarium, uti, quæ de ejus ſubſtantia ſunt, materiâque & forma nobis appellantur, à Parochis, aliiſque animarum Paſtoribus non ignorari facilè credimus; ita ut iſta etiam, & quâ ratione Baptiſmus ritè conferri debeat, ab iis perſonis, quibus urgentis neceſſitatis tempore baptizare natas proles incumbit, quàm fideliſſimè teneantur, vehementer exoptamus: Quantùm enim in Nobis eſt, parvulis omnibus recèns natis de hoc ſacratiſſimo ſpiritualis regenerationis lavacro, & unico originalis noxæ remedio ſollicitè providere & cupimus, & cupere debemus; ac proinde omnibus Parochis, & Vicariis ſive Sæcularibus, ſive Regularibus diſtrictè præcipimus, & mandamus, ut, quamprimùm hæ præſentes Paſtorales noſtræ ad manus eorum pervenerint, de pagis ſingulis & oppidis ſuarum reſpectivè Parochiarum Obſtetrices omnes, cæteráſque fœminas in abſentia Obſtetricum ordinariarum puerperis aſſiſtere ſolentes, citra moram ad ſuam convocent præſentiam; à convocatis rigoroſô & diſtrictô examine exquirant, num materiam & formam Baptiſmi, ab eis in caſu neceſſitatis conferendi, debitè calleant? ac licèt earum pleræque in recitanda verborum forma, reliquâque ſacramentali actione enarranda ſat dociles, & inveniri ſoleant inſtructæ, ubi tamen ad rem ventum eſt, compertæ ſunt non infrequenter deficere, graviſſimè errare, & nullum conficere Sacramentum; quamobrem ut huic etiam malo hortamentis noſtris. & ſuggeſtis opportunis induſtriùs obviam eamus, ſedulò curent Parochi, cæterique Animarum curatores, ut hujusmodi fœminæ, coram- & in ſua præſentia, cum ſimultanea verborum prolatione, & aquæ affuſione id agant circa infantem aliquem fictitium, quod circa verum & naturalem agere oportet; ut vel ſic laudabiliter & promptè condiſcant, quod ab eis poſtea periculi tempore (quô plerùmque timore perculſi, & vel maximè ſexus iſte, vacillare ſolemus) utiliter eſt & neceſſariò actitandum. Nec hoc ſufficere debet zeloſis Animarum Paſtoribus, quin eas ultroneè pro caſibus in collatione Baptiſmi ſæpiùs contingere ſolitis, ſedulò inſtruere conentur: v. g. quid factu opus ſtante dubiô, an infans vivat? atque ejusmodi. Inſtruant eas igitur, infantem ſub conditione baptizandum: ſcilicet *ſi vivis, ego te baptizo in Nomine Patris &c.* Item quòd, ſi in

partu

partu difficiliore ſolus pes, vel manus promineat, reliquô prolis Corpuſculô adhuc intra uterum maternum reconditô, circa partem illam patentem Baptiſmum ſub conditione conferre valeant; iterandum tamen in capite, poſtquam infans integrè in lucem editus fuerit, videlicet: *ſi nondum es baptizatus, ego te &c. &c.* & hoc ob graviſſimorum Theologorum ſententiam, volentium Baptiſmum in manu, vel pede collatum eſſe dubium. Volumus autem & ſeriò mandamus, ut Obſtetricum, cæterarúmque Fœminarum cum puerperis agere ſolentium, convocatio, examen, inſtructio, & ipſa practica Baptiſmi conferendi exercitatio, ad minus ſemel per annum inſtituantur, proindéque Parochi annuatim conſuetam de obſervata, diebus Dominicis & feſtivis, conciones inter & Catecheſes, alternatione, ad Officium noſtrum Eccleſiaſticum relationem tranſmittentes adjungent quoque alteram: nimirùm quòd tali anno, menſe, die, conformiter ad hoc mandatum, omnes obſtetrices, cæteráſque fœminas puerperis inſervientes, coram ſe citatas, & rigorosè examinatas, debitè inſtruxerint, exercitiúmque Baptiſmi practicum ab iisdem in ſua præſentia fieri curaverint.

Injungimus inſuper omnibus, Parochis, Vicariis, Concionatoribus, & Curatis, ut in Concionibus & Catecheſibus ſæpiùs de Baptiſmo ediſſerant, ut in caſu neceſſitatis, quô quilibet hoc ſacrum regenerationis lavacrum adhibere poteſt, imò & Charitatis lege tenetur, omnes ſufficienter inſtructi, quid facere debeant, ritè calleant.

Decanos autem ſtrictiſſimè obligamus, ut ſuis in Viſitationibus ſpecialiſſimè ad hoc reflectant, ſedulò inquirentes, an Parochi hæc noſtra mandata ad amuſſim obſervent, mandéntque executioni. Hinc obviam proximam ex obſtetricibus de Baptiſmo examinent; quam, ſi minùs inſtructam & rudem invenerint, Parochum acriter arguant, ſeriò eundem ſui Officii commonentes, qui ſi in ſuæ negligentiæ torpore perſtiterit, eum Officio Eccleſiaſtico denuntient, ab eodem ſeveriùs corrigendum.

Quòdſi non obſtante hâc curâ, & ſollicitudine noſtrâ paſtorali, quam peculiari diligentiâ, & quantùm Nobis Dominus dedit, vigilantiæ circumſpectione in parvulorum ſalutem impendere ſatagimus, nihilominus Parochorum aliquis adeò ſuæ vocationis & miniſterii immemor, & poſthabitis hîſce noſtris mandatis, in tantam prolaberetur ſocordiam, ut vel unicus parvulus, ob ejusdem in examine, & inſtructione fœminarum culpabilem negligentiam, ab obſtetrice non legitimè baptizatus (quod tamen Clementiſſimus DEus benigniſſimè avertat) absque vero Baptiſmo deceſſerit, talem tremendo Divinorum judiciorum Tribunali committimus, ubi quid ſupremo Animarum Paſtori, præceptorum divinorum, noſtrorúmque prævaricator ejusmodi temerarius, & Ovium ſuarum deteſtabilis neglector reſpondere habeat, jam nunc ſecum diſpiciat.

§. II.

De Catechizandis parvulis.

Omnibus equidem Chriſti fidelibus, quorum directionem Nobis ab alto demandatam dignoſcimus, debitorem Nos profitemur, ſingularem tamen paſtoralis muneris noſtri curam & ſollicitudinem plusquàm paternam expoſcit ea Chriſti portio, quæ viribus infirma, memoriâ labilis, ac judicii penitùs expers ſemetipſam juvare neſciens, viam mandatorum Domini quaſi ſerpendo ingreditur, ætas videlicet tenera, à cujus recta, vel prava inſtitutione, cura, vel neglectu, potiſſima Reipublicæ Chriſtianæ incrementa, vel damna omni tempore extitiſſe indubitatum eſt.

Eapropter, cùm tenella hujusmodi Eccleſiæ Chriſti germina aut intellectu non aſſequantur, quæ in Catecheſi & Doctrina Chriſtiana ipſis proponuntur; aut eorum, quæ etiam capiunt, ob indolis volubilitatem facilè obliviſcuntur, omnibus Parochis divini verbi præconibus aut quibusvis Curam animarum quomodolibet exercentibus diſtrictè præcipimus & mandamus, ut

&

& adultos, maximè verò parentes omni ſtudiô & dictionis efficaciâ adhortentur, qu. tenus & ipſi Catecheſibus frequenter adeſſe ſatagant: tum ut ea, quæ fortè damnabili neſciverunt ignorantiâ, ſalubriter & ipſi addiſcant; tum ut proprios liberos, cæteróſque domeſticos, domi ſuæ bonis moribus, verbis, & exemplis inſtruere, atque ea, quæ ad Chriſtianam Doctrinam pertinent, ſedulò edocere, eadémque crebrò, quæ illos Eccleſiæ Miniſtri edocuerunt, cum
1. Tim. 5. v. 8. fructu repetere valeant. *Si quis enim horum, & quidem domeſticorum* (in ſpiritualibus potiſſimùm, & animæ ſalutem concernentibus) *curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior.*

Matth. 4. v. 4. Cùm deindè *non in ſolo pane vivat homo, ſed in omni Verbo, quod procedit ex ore DEI;* Patres-Matréſque familias enixè admoneantur, poſitâ ipſis ob oculos eorum erga filios Chriſtianè inſtituendos obligatione longè graviſſimâ, cujus neglectum perituræ æternùm proles, ipſis in die illo tremendo oggeſturæ & exprobraturæ ſunt, admoneantur, inquam, enixè, ut refectionis potiſſimùm tempore, relictis ſcurrilibus & obſcœnis ſermonibus, ſtultiloquiis, & aliis, quæ ad rem non pertinent, & quorum Apoſtolus nec nominationem admittit, audita in Concione vel Catecheſi pro ſpirituali Animæ pabulo denuò ruminanda proponant, ruminata ſollicitè inculcent, & inculcata fructuosè doceant conſervare.

Occurrit inſuper hôc locô, adultorum quorundam non exiguô numerô error damnabilis, qui depravatô Sæculi noſtri more & judiciô perversô ſibî noxiè perſuadent Catecheſes, doctrináſque Chriſtianas pro parvulis tantummodò inſtitui; unde neceſſe eſt fieri, ut, cùm ejusmodi natu grandiores pueritiæ ſuæ tempore parùm aut nihil de rebus ad ſalutem ſcitu neceſſariis audiverint, principaliora fidei noſtræ myſteria haud rarò penitùs ignorent; &, quod magìs eſt lamentabile, ea, occaſione habendarum Catecheſium, addiſcere verecundentur, quorum tamen notitia omnibus adultis per ſe neceſſaria ad ſalutem eſſe dignoſcitur. Horum Nos ſaluti modis omnibus conſulere cupientes, eos, qui curam earundem Animarum gerunt, ſeriò admonemus, ut deteſtabilia hujusmodi perditionis & errorum Zizania è mentibus talium penitùs evellere, & deſtruere adnitantur, docentes eos graviſſimam obligationem, quâ ſinguli adſtringuntur ad devotam & frequentem Verbi Divini, Myſteriorúmque fidei vel hoc ipſo ex Capite auſcultationem, ne ex horum neglectu,
1. ad Corinth. 14. v. 38. & culpabili contemptu olim audire cogantur, quod minatur Apoſtolus: *Si quis ignorat, ignorabitur.*

Cùm deinde Oraculis Divinis, unanimi ſanctorum Patrum, cunctorúm-
S. Auguſt. que Catholicorum conſenſu edocti ſimus; quòd *ſicut totum hominis malum eſt amare ſeipſum; ita totum hominis bonum ſit amare DEum;* etiam puſilla hæc & innocua ætas, quam Dominus ad ſe venire voluit, palámque profeſſus eſt, ejusdem eſſe Regnum Cœlorum, edocenda erit tantum hominis bonum, *quod eſt, DEum Conditorem & Dominum ſuum diligere ſuper omnia;* Idcircò Parochi, Curati, & Concionatores, non in ſuis duntaxat Concionibus, ſed Catecheſibus etiam, quas juxta laudabilem Diœceſeos noſtræ morem ſingulis Dominicis, feſtisque diebus alternis inſtituunt, agant frequentiùs de ineffabili amoris DEI, ſuper omnia, excellentia, implantando ſenſim teneris mentibus præceptum iſtud, quod eſt profectò primum & maximum in lege, & quod unicum, ſi perfectè adimplebitur, ſufficiet; hinc frequenti dictione populum è ſuggeſtu edoceant motiva, neceſſitatem, utilitatem, & modum, quô tam pretioſiſſimum actum practicè elicere poſſit, qui fermè ſimilibus, aut aliis ad id conceptis verbis exprimi poterit: *DEus meus amo Te ſuper omnia ex toto corde, quia Tu es, nempe ſummum Bonum, omni amore propter Tuam infinitam Bonitatem digniſſimum.*

§. III·

§. III.

De Sacramento Pœnitentiæ.

QUoniam verò *Potiſsimus Charitatis index eſt aſsidua peccatorum Confeſsio;* S. Laurent. Juſtinian. de *hæc autem ſalutarem remiſsionis fructum non operatur, niſi debitâ pœnitentis diſpoſitione formata peragatur.* abitu c. 15. Hinc omnibus & ſingulis Animarum Rectoribus in id peculiariter incumbendum, quò planiùs aptiùsque fideles ſibi commiſſos de tam ſalutari ſimul atque neceſſario peccatorum remedio, déque ad valorem ejus requiſitis inſtruere valeant, abſterrentes eos maximè à damnabili illa, & planè diabolica verecundia, quâ miſeri, inſtigatione dæmonis (*qui peccato fiduciam præbet, Confeſsioni verò verecundiam*) victi, abominabile Chryſoſt. ſcelerum graviſſimorum virus, haud rarò damnoſiſſimâ reticentiâ deglutiunt; hom. 3. de Unde non tantùm ſalutarem juſtificationis effectum non conſequuntur, ſed pœnit. enormiori inſuper ſeſe contaminantes Sacrilegii flagitiô, in tam deplorando damnationis ſtatu, ſæpiùs ad extremum usque perſeverantes, æternùm pereunt. Hinc omni verborum vî, & ſtudioſiſſimâ dictionis energiâ ſimiles edocere conentur, *quàm impium ſit dimidiam ſperare veniam, quàm ſtolidum in* S. Auguſt. *hoc ſacratiſsimo ſacramentali foro erubeſcere coram Sacerdote, qui æquè homo, ipſe peccator miſer, circùmdatus infirmitatibus,* ad ſtrictiſſimum inſuper omni jure obligatus ſigillum, quô de auditis in Confeſſionali altiſſimum illi imponitur ſilentium (egregiô in hanc rem adductô invictiſſimi Chriſti Martyris Beati Nepomuceni exemplô, qui ob ſanctiſſimè cuſtoditum ſacræ Confeſſionis ſecretum, & erubeſcentium peccatorum Patronus mirificus, & Confeſſariorum norma effectus eſt perfectiſſima, Deô per latum terrarum orbem quotidianis illum condecorante miraculis, & linguam ejus benedictam in inſigne ſacratiſſimi ſilentii præmium ad noſtra usque tempora incorruptam conſervante) quàm neceſſaria ſit omnium revelatio in Confeſſione peccatorum; nam *qui promereri* S. Gregor. lib. *vult, quod expetit, debet malum confiteri, quod fecit;* 8. moral. nimirùm ut peccata à nobis commiſſa olim in extremo judicii die tegantur coram Angelis & hominibus, manifeſtanda cæteróquin in conſpectu omnis creaturæ, comminante Deô per os Prophetæ: *Revelabo pudenda tua in facie tua, & oſtendam in gentibus nuditatem* Nahum, 3. *tuam, & in Regnis ignominiam tuam.* Animentur præterea ad ſinceram omnium ſuorum peccatorum Confeſſionem in ſpe & conſolatione ſcripturarum, quibus toties peccatori ritè confeſſo venia promittitur, & pignus gratiæ, & amicitiæ cum DEO reparandæ offertur. *Mira ſanè compenſatio, ſtupenda viciſ-* Caſſiodor. *ſitudo, Domino ſuo propria mala dicere, & ab eodem præmia ſalutis accipere; quis* ſuper Pſalm. *non incitetur illi ad præmium confiteri, cui non poſsis negare, quid feceris?*

Ut autem ſaluberrimum hocce expiationis remedium nulli fiat petra ſcandali, aut lapis offenſionis, ſed potiùs manſuetudinis, & benignitatis melle conditum omnibus dulceſcat; Confeſſarios enixè, & quantum poſſumus, in Domino exhortamur, ne in hoc ſacroſancto propitiationis Tribunali, laxatis impatientiæ habenis, & poſthabitâ omni diſcretione in clamoſas prorumpant reprehenſiones, & invectivas ardentiores, à modeſtia clericali longè alienas; quamvìs enim monente Apoſtolô *in omnibus oportet exhibere nosmetipſos, ſicut DEI Miniſtros, in multa patientia,* peculiari tamen benignitatis conſuetudine, & diſcretionis modô opus eſt in hoc propitio miſericordiæ foro, ut fideles ad id in ſpiritu humilitatis, & animô contritô confugientes, ſacramentale vulnerum ſuorum eò ſalubrius ſuſcipiant medicamen, dum correctionis acetô plagæ quidem mordentur, oleô tamen manſuetudinis ſimul foventur, admonente Nos denuò Apoſtolô: *Fratres, etſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos,* ad Galat. 6. *qui ſpirituales eſtis, hujusmodi inſtruite in Spiritu lenitatis;* v. 1. Et Chriſtô ipſô: *diſcite à me* (non utique mundum fabricare, aut ſuſcitare mortuos, ſed) *quoniam mitis* Matth. 11. *ſum, & humilis corde.* v. 29.

Quamobrem in illos Rigidiſtas gravi objurgatione non poſſumus non invehi; qui, dum propriæ infirmitatis, & miſeriarum obliti, peccatis iraſcuntur ultra modum alienis, unde deploranda non paucis ruina fuit animabus, &

Scopulus, in quem miſerè colliduntur tot pœnitentes cæteróquin bene diſpoſiti, dum vix primô auditô peccatô, importunâ ſimilium Confeſſariorum interpellatione turbantur, adeò, ut haud rarò noxiô timore perculſi, reliqua peccata omninò reticeant, unde tot Confeſſiones, & Communiones Sacrilegæ, tot deſperationes, & quod edicere horremus, ſæpiùs finales.

Chryſoſt. l. 6. *Quid eſt?* invehitur in ejusmodi Chryſoſtomus, *quid eſt, quòd poſteaquàm Terribilis mitiſsimi Paſtoris elegit Officium, Paſtoris perſonam induit, Miniſtri ejus, ipſi ex hominibus, & maſſa peccatorum aſſumpti, ferocitatem luporum imitari non vereantur?* Imprimant ſibi, & jugî revolvant memoriâ ſanctum illud Scripturæ
Epheſ. 4. v. 8. præceptum: *declina pauperi* (pœnitenti) *ſine triſtitia aurem tuam* (in Confeſſionali) *& redde debitum tuum, & reſponde illi pacificè in manſuetudine.* Diſcant igitur Confeſſarii agere conſcientiarum medicos, non tortores: Chirurgos, non Carnifices; Directores, & non Tyrannos; diſtrictiſſimam alioquin olim ſupremo judici rationem reddituri, ſi poteſtate, quæ ipſis collata eſt in ædificationem, abuſi fuerint in pœnitentium perditionem.

Nolumus tamen, ut affectatô nimiùm ſimulatæ manſuetudinis ſtudiô, in alterum, & priori haud minùs pernitioſum prolabantur conniventiæ & adulationis extremum; Recta Chriſtianæ Virtutis ratio ſemper, & ubique medium tenere novit. Evitent igitur nimiæ indulgentiæ laxitatem, erga inveteratos præſertim, & graviorum vitiorum habitibus imbutos pœnitentes. Hos namque omninò redargui, & duritiem cordis eorum (auditâ tamen priùs pacatô animô, integrâ peccatorum ſuorum Confeſſione) ſeverioribus etiam verborum reprehenſionibus, ſi tamen ita in Domino videbitur, frangi oportet, propoſitô nervosè perdendæ ſalutis periculô, in quo continuè verſantur, ſi non ſerium emendationis, & fugæ occaſionum proximarum aſſumant ſtu-
S. Gregor. lib. 20. morali: relat. Can. diſciplina D. 45. Idem ibid. dium. *Attamen ſeveritas correctionis nunquam ſit ſinè miſericordiæ lenitate; hoc nimirùm illa Tabernaculi arca ſignificat, in qua cum Tabulis & virga, ſimul & Manna repoſitum eſt. Sit itaque amor, ſed non emolliens ad præſumptionem; Sit rigor, ſed non exaſperans ad deſperationem; Sit zelus, ſed non immoderatè ſæviens; Sit pietas, ſed non plùs quàm expediat parcens; Regat ergò diſciplinæ rigor manſuetudinem, & manſuetudo ornet rigorem, & ſic alterum commendetur ex altero.*

Dolor, hic etiam Sacramenti hujus pars præcipua, & prioris vitæ lugens & mœrens deteſtatio commemoranda veniunt; & quidem declarante Sacrô Conciliô Tridentinô dolor ille & contritio imperfecta, quæ attritio dicitur, & vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu concepta, ſi voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ, verum eſt Dei donum, & Spiritûs Sancti impulſus, non quidem inhabitantis, ſed moventis, quô pœnitens adjutus ſibi viam ad juſtitiam parat, & ſic cum Sacramento Pœnitentiæ ad DEI gratiam impetrandam ſufficienter, & proximè diſponitur. Itaque populum omninò erudiant, edoceántque de hujus doloris cum Sacramento Pœnitentiæ ad juſtificationem ſufficientiâ. Quia tamen inter plebem ruri, & in locis, à Sacro-Sanctis Eccleſiis, Earúmque Miniſtris remotiùs habitantem, haud rari caſus contingere poſſunt, quibus pauperculi plures horren-
In appendice fol. 308. dô mortis periculô derepentè occupati, & Sacerdotis præſentiâ deſtituti, ante hujus adventum ſæpeſæpiùs decedunt, hinc totis viribus perfectam contritionem, utpotè ſufficiens in hoc rerum articulo abſque reali Confeſſione juſtificationis remedium eisdem ſuggerant, unà cum iis quà è ſuggeſtu, quà in Catecheſi, ejusmodi actum frequentiùs eliciendô, ut exinde laudabiliter habituati, caſu neceſſitatis emergente, ſimiles actus promptitudine expeditâ per ſemetipſos elicere poſſint ac valeant. Formulam autem hujus pretioſiſſimi actûs dare haud poſſumus meliorem eâ, quàm præſcribit noviſſ. Rom. Concilium Lateranenſe. *DEus meus! & Dominus meus! cùm ſis ſummum, & infinitum, & perfectiſſimum Bonum, Te amo ſuper omnia, & ideò me pœnitet, & ex toto corde doleo, quòd Te toties offenderim peccatis meis, abominor ea omnia, & deteſtor ſuper omnia mala, maximâ cum diſplicentiâ, & rogo humiliter veniam cum firmo propoſito, adjuvante Divinâ Tuâ gratiâ, imposterùm Te non ampliùs offendendi.*

§. IV.

§. IV.

De Sacramento Euchariſtiæ.

POſtquam ergo Sacræ Confeſſionis Expiatoriô ſeipſum probavit homo, ut dignè edere poſſit de pane illo, & bibere de Calice, de quibus in Eccleſia DEI, in omnium ore tam conſonum eſt, ut nec ab infantium linguis veritas veri Corporis, & Sanguinis Chriſti, inter Communia Sacramenta fidei taceatur; *quia in illa myſtica diſtributione ſpiritualis alimoniæ hoc impertitur, hoc ſumitur, ut accipientes virtutem cæleſtis cibi, in carnem ipſius, qui caro noſtra factus eſt, tranſeamus.* S. Leo Epiſcopus diſt. 2. c. in quibus. Idcirco docendus eſt populus Chriſtianus, quantùm humano intellectu percipi poteſt, certiſſimâ fide credere, quòd in hoc Sacramento ſit verum Corpus, & verus Sanguis Chriſti JESU; neque enim veritas mentitur, quæ apud Matthæum, Marcum, & Lucam, hoc Sacramentum inſtituens ac porrigens ſimpliciſſimè dixit: *Accipite, & comedite, hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis tradetur: Hic eſt Sanguis meus Novi Teſtamenti, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum;* ita ut panis vinique ſpecies aliud non ſint, quàm ſpecies ſacramentales, & accidentia ſinè ſubjecto, ſub quibus tamen latent res eximiæ, Divinitas nimirùm & Humanitas, Anima, Corpus, & Sanguis Chriſti, verus DEus de DEO vero. Inſtruant inſuper plebem ex Verbis Domini, ut credant: *poſt Conſecrationem ſub ſpeciebus panis & vini, utramque Corporis, & Sanguinis Dominici ſubſtantiam contineri; nec jam dividi Chriſtum, aut Sanguinem Ejus à carne ſeparari unquam poſſe, quoniam ampliùs non moritur; adeóque ſub alterutra ſpecie Chriſtum integrum contineri, & ſub una ſpecie tantum à fidelibus, quantum ſub utraque ſumi.*

Nullus ergo dubitandi locus relinquitur, quin omnes Chriſti fideles pro more in Catholica Eccleſia ſemper recepto, Latriæ cultum, qui vero DEO debetur, huic Sanctiſsimo Sacramento in Veneratione exhibeant; neque enim ideo minùs eſt adorandum, quòd fuerit à Chriſto Domino, ut ſumatur, inſtitutum; Conc. Trident. ſeſſ. 13. c. 5. *Nam illum Eundem DEum præſentem in Eo adeſſe credimus, quem Pater æternus introducens in Orbem Terrarum dixit:* Pſal. 96. *& adorent Eum omnes Angeli DEI, quem Magi procidentes adoraverunt,* Matth. 2. *quem denique in Galilæa ab Apoſtolis adoratum fuiſſe Scriptura teſtatur;* Luc. 24. v. 52. Omnium igitur piorum Fidelium Corda, Ora, & Labia ſolvantur in Laudum cantica, hymnos perſonent lætitiæ ſalutaris huic Auguſtiſſimo Sacramento; Pſallant Fide, Spe tripudient, exultent Charitate, & devotione plaudant, quando Cœleſtis iſte Rex gloriæ à ſæculis abſconditus, & ſolâ Fidelium Fide viſibilis in publico circumfertur Triumpho Proceſſionum.

Atque eas quidem Supplicationes ſolennes, quibus ritu, & conſuetudine Univerſalis Eccleſiæ Divinum hoc Ferculum quotannis in Theophoria adorandum per compita circumfertur, non ſolas hic meminiſſe intelligi volumus; Verùm, eſt alius landatiſſimus mos quidam, & publicus Latriæ honor, quem huic Auguſtiſſimo Sacramento, in quibusdam Diœceſcos noſtræ locis ingenti noſtrô ſolatiô exhiberi vidimus, quémque morem per univerſam noſtram Diœceſim vigere, & perennare vehementer exoptamus; ſunt quippe, & vel exinde nobis commendatiſſimi, qui, dum ad moribundos Sacrum Viaticum deferunt, non contenti, quòd DEum hunc abſconditum prælatâ face, & ritu ubique receptô, moribundi domui per pagum inſerant; verùm, ut, quoad fieri poteſt, iſtud ſolemniter & pompâ publicâ fiat, antè de pago evocari curant incolas, & in comitiva comprecantium, pulchro ordine ad ægroti domum accedunt; Hunc morem, hunc ritum, quoad fieri poteſt, ſanè ardentiſſimè cupimus, per omnes noſtras Eccleſias propagatum. Eapropter ubi Sanctiſſimum hoc Sacramentum deinceps per modum Viatici ad moribundos, vel ægrotos deferri contigerit, ad majorem tam præcelſi, & adorandi Sacramenti venerationem, fidem, & cultum in fidelium animis augendum, Parochi ſingulari diligentiâ in id incumbant, ut Parochiani, tam ex Eccleſia, quàm è pago, huic excellentiſſimo Salutis Memoriali obviàm venientes, illud ad domum infirmi piè & religioſè admodum comitentur: Fiétque iſtud eò majori

cum decentia, in locis præſertim ab Eccleſia Parochiali remotis, ſi Parochus ad proviſionem infirmi vocatus, ſimul eâdem occaſione intimabit loci Judici tempus adventuri circiter Divini Hoſpitis, ut tempeſtivè, vel oſtiatim, vel datô campanæ ſignô, populum convocare valeat ad procedendum obviàm, & ad extra pagum religioſè excipiendum Salvatòrem noſtrum Dominum JESUM Chriſtum ſub ſpeciebus panis latentem, quem dein compoſitô ordine, alacri animo, prona voluntate, altâque voce ad lectulum usque infirmi comitabuntur.

Quantum autem ex hoc religioſiſſimo more in Diœceſi noſtra aliquibus in locis jam laudabiliſſimè introducto, boni, emolumentique tum ſpiritualis, cùm temporalis devotis fidelibus obveniet, ipſa dabit experientia; DEus enim omnium bonorum Largitor Optimus ab humanis ſtudiis ſe vinci non patitur; &, ſi Eundem in Sanctis ſuis laudare jubemur, digniùs profectò, juſtiùs, nobisque ſalutariùs, id etiam præceptum implebimus, cùm in Sui, quò nos quotidie ſpiritualiter reficit, memoriam Corporis, feſtivas venerationis laudes, & ſingulares devotionis gratias referemus.

Peropportuna inſuper, cùm ægrotanti de cœleſti hoc pane proviſum eſt, zeloſioribus animarum Paſtoribus catechiſandi, & de hoc excellentiſſimo Myſterio, aliisque Fidei Catholicæ articulis ediſſerendi, ſe velut ipſam offert occaſio, ubi parvuli, & adulti copioſiùs eò loci confluentes, ſacram doctrinam, ac Catecheſim de hoc Myſterio eò avidiùs, & fructuoſiùs excipient, quò rem ipſam, de qua dicitur, paulò antè, oculis contuiti, vel ex ipſa rerum geſtarum circumſtantia redduntur attentiores; & proderit eum in finem diſpenſatis munuſculis in bene meritos, doctrinam hujusmodi ordiri in parvulis; ſummatim deinde eam complectendo claudere, & ſermonem terminare ad adultiores; id quod in pagis à Parochia remotioribus, unde parvuli rariſſimè, hyemali præſertim tempore ad Eccleſiam Parochialem convenire poſſunt, non tam utile, quàm ſummè neceſſarium eſſe dignoſcimus.

Ordinamus præterea, ut populus ſingulari ſedulitate erudiatur in admiranda illa perfacili, & omnibus quovis locô & tempore obviâ, ſpirituali communicandi methodô, quâ rite utentes iisdem (imò ſæpiùs juxta devotionis menſuram majoribus) gratiarum donis cumulantur, quibus perfunduntur re ipſâ Communicantes Corpori & Sanguini Domini; quilibet autem ſe hôc ſanctô Communionis ſpiritualis exercitiô quotidiè fructuoſè reficere poterit inter ipſa Miſſarum Solemnia, eliciendô actus contritionis perfectæ, Fidei vivæ, & ardentiſſimi deſiderii ſumendi, ſéque intimè uniendi Chriſto in hoc Sanctiſſimo Sacramento. Quem in finem quarta Dominicæ Orationis petitio

Math. cap. 6. v. 11. Diſt. 2. cap. credere de conſecrat.

dirigi poterit dicendô, devotiſſimo mentis affectu: *Panem noſtrum quotidianum* (Evangeliſta ſcribit ſuperſubſtantialem) *da nobis hodie* &c. *Itaque credere in JEſum Chriſtum, hoc eſt, manducare panem vivum: qui fide firma credit in Eum, manducat.* Nec defraudandi ſunt hoc divino Communionis ſpiritualis convivio illi, qui à Miſſarum ſolennium aſſiſtentia ruri vitam agentes, aut domi excubantes impediuntur: Nam & hi, corpore tametſi ſemoti, ardenti tamen mentis deſiderio accedere poſſunt ad ſpiritualem hujus Auguſtiſſimi Sacramenti participationem, ſi eodem pietatis, fideíque ſenſu dictam Dominicæ Orationis petitionem; *Panem noſtrum quotidianum* &c. eò dirigant; neque enim credimus, ullum Catholicum ſuæ profeſſionis adeò immemorem fore, qui non ad minùs ſemel de die, toto cordis affectu dicere ſoleat: *Pater noſter &c.*

§. V.

De Proviſione infirmorum.

EQuidem in iis omnibus Divinorum Chariſmatum donis, quæ ad proximum, & commiſſas Paſtori Oves diſpenſanda veniunt, promptos, alacres, & minimè ſegnes nos eſſe convenit, ubi tamen illius generis opus eſt, quæ infirmis fidelibus Divina miſeratio auxilia conſtituit; hic enimverò minimè tardandum, ſed feſtinandum, provolandum eſt; eô enim vel maximè temporis

poris articulô partes boni Paſtoris, Zeloſique Animarum Curatoris exigunt, ut ſit Charitate inflammatus, firmatus Conſtantiâ, in fervore circumſpectus, invictus in labore; Atque hinc Parochos, cæteròſque Curatos admonemus in Domino, enixè deprecantes, ne usque eò ſpectent, dum ad infirmum pro Sacramentorum adminiſtratione primò ipſi evocentur, & accerſantur, ſed quamprimùm alicujus ægroti notitia ad eos pervenerit (curabunt autem diligenter, ut ad eos quamprimùm poteſt, perveniat) ultrò viſitatum accedant, eundem ad patientiam Chriſtianam, reſignationem, & cum Divina Voluntate conformitatem cohortando, per varios, virtutum Theologicarum præſertim, actus, ad fructuoſum Sacramentorum uſum ſollicitè diſponant. *Novit juſtus* (Zeloſus Parochus) *Jumentorum* (Ovium) *ſuorum animas*; *viſcera autem impiorum* (negligentium, & deſidioſorum Parochorum) *crudelia*. Si ergo Paſtor gregis temporalis integros ſuos ponit labores in paſcendis, fovendis, & cuſtodiendis beſtiis, quid non fieri oportebit à Paſtore Animarum Chriſti Sanguine redemptarum? quò autem notitia de ægris, & morbô tentatis eò citiùs ad aures deferatur Parochorum, hi è cathedris promulgabunt, ut ſi infirmus quiſpiam præſentiam Parochi ipſe non poſtulet, & proviſionem differre cogitet, loci Judex, vel vicinus quicunque demum de Communitate alius ſtatim morbi initiô, infirmi ſtatum Parocho ſignificet, cujus poſtea erit ægrotum quantocyùs inviſere, ac juxta circumſtantiarum exigentiam, omnia ad ſalutem animæ neceſſaria & proficua ſollicitè diſponere. Proverb. 12. v. 10.

Porrò, quia ùt dolentes inaudire debuimus, execrabilis ea eſt quorundam Curatorum avaritia, ut usque ad Sacramentorum ipſorum contemptum & injuriam pervadat interdum, dum, niſi numeratô pretiô, infirmis Sacramenta conferre detrectant; Nos hujusmodi cupiditatem longè praviſſimam, & Sacris Conciliis damnabiliter inviſam, & per Generalia aliunde à Prædeceſſoribus noſtris jam olim edita graviſſimè prohibitam, præſentibus ampliùs comprimere volentes, Parochis omnibus & Vicariis tam Sæcularibus, quàm Regularibus, & quibuscunque Eccleſiarum Miniſtris ſeveriſſimè prohibemus iteratò, & interdicimus, ne non tantùm occaſione proviſionis infirmi, quid ob Sacramentorum adminiſtrationem à quopiam, veluti debitum exigant, aut recipiant; ſed & ſtrictiſſimè mandantes præcipimus, ut etiam ultrò ac ſpontaneè oblatum, quaſi non debitum, modeſtè recuſent. Huic noſtræ Conſtitutioni contravenientes, præter indignationem noſtram, etiam triginta Imperialium mulctam ſe noverint incurſuros.

Haud minori doloris ſenſu inſpicimus pravam illam conſuetudinem, & in aliquibus Parochiis Jurisdictioni noſtræ ſubjectis ab antiquo quidem receptum, ſed ſanè abolendum morem, quô Parochiani ex remotis ab Eccleſia Parochiali locis adminiſtrationem Sacramentorum pro infirmi proviſione petentes, Curato de equis providere, & ſi ipſimet pauperculi equos non habent, eidem Curato, ſi proprios jungat, vecturam ſolvere, vel cum magna difficultate, & magnis reſpectivè expenſis equos aliunde procurare tenentur. Exindè autem haud rarò contigiſſe conſtat, ut ruſticis Taxæ & pecuniis, pro ſolvenda vectura parcere volentibus, aut etiam equos conductitios, meſſis præſertim, & vinmiarum tempore, difficillimè habere cùm poſſent, proviſio infirmi ſæpiùs ad ultimum quaſi momentum perniencioſiſſimâ dilatione prorogata fuerit; infirmis interim absque Sacramentorum adminiſtratione, vel planè decedentibus, vel ſaltem in ſtatum repoſitis, quô mentis haud ampliùs compotes, & ſenſibus deſtituti debitè ad æternitatis iter diſponi haud ampliùs potuerint.

Cùm igitur non tam conſuetudo, quàm corruptela meritò ſit cenſenda, quæ profectò Sacro-Sanctis eſt Canonibus inimica, imò ſaluti animarum plurimùm præjudicioſa, honeſtati inſuper, ac dignitati Statûs Clericalis haud parùm contraria, eam ob rem eandem hiſce in perpetuum abrogatam declaramus, contravenientibus pœnâ triginta ad minùs imperialium mulctandis. Itaque Curatus ad proviſionem infirmi proprios equos non habentis procedens, vel equis utatur propriis, citra tamen ſolutionis prætenſionem; quòd ſi

proprios non habeat, antè, quàm ſuos gravet, Chriſti ſuorúmque Apoſtolorum more, pedes potiùs incedat,

§. VI.

De Dominicis & Feſtis diebus.

HActenus de Sacramentorum adminiſtratione, iisque, quæ ad ſalutem ſuam facientia, pro Officii noſtri debito exigere à nobis poterat commiſſus nobis à Domino Grex fidelium; nunc ad ea, quæ ex ipſorum parte ad finem hunc, & præcipuè ad Reverentiam Eccleſiarum, atque devotam Feſtorum celebrationem ſpectare dignoſcuntur, convertimur: quòd ſi enim Templum Hieroſolymitanum, ubi ſanguis brutorum animalium effundebatur, tantæ venerationis habebatur, ut ad illud non ſolùm Judæi Divinæ Legis notitiam habentes, verùm etiam Nationes à Teſtamento DEI longè remotæ,
Act. 8. v. 27. ut de viro Æthyope in act. Apoſt. legimus, ſumma cum devotione concurrerent; quantò magis Templa Chriſti, ubi non jam ſanguis Taurorum effunditur, ſed Corpus & Sanguis JESU Chriſti perficitur, & à Fidelibus ſumitur, atque DEus quoque tam evidentibus oraculis ibidem ſupplicum preces exaudire, pollicere dignatus eſt, Religioſis obſequiis veneranda ſunt. Ut igitur cultus atque honor Eccleſiarum DEI in omnibus & ab omnibus decenter cuſto-
Greg. 9 cap. decet Domû. de immunit. Pius V. in Conſt. cùm primû, Clemens XI. diatur, & digna reverentia exhibeatur, Univerſis Eccleſiarum Rectoribus diſtrictè præcipimus; quatenus populum ſibi commiſſum in ſuis prædicationibus frequenter moneant, & piis ſtimulis inducant, ac ſtudioſè compellant, ut juxta Summorum Pontificum Decreta, in Eccleſia, vana & multò magìs fœda ac profana ceſſent colloquia, & quæcunque alia, quæ Divinum poſſunt perturbare Officium, aut oculos Divinæ Majeſtatis offendere, ab ipſis prorſus ſint extranea, dignóſque ſe aſpectibus DEI & Angelorum, quorum conventus ibi
Concil. Parif. 6. lib. I. c. II. adeſſe minimè dubitantur, exhibeant: ne Chriſtus iterum Templum ingrediatur iratus, & non niſi flagellô adhibitô, de ſpelunca latronum & Domo negotiationis, Domum faciat Orationis; pro eo enim, quòd Sanctum Suum vio-
Ezechiel 5. 11. laverunt, non miſerebitur; *quoniam ultio Domini, ultio Templi ſui.*
Jerem. 51. 11. Præterea cùm Eccleſiam, in qua Sacra peraguntur, conveniat externis vacare impedimentis, & in ea nihil inordinatum eſſe oporteat, idcirco decernimus: Concurſationes pauperum quorumcunque miſerabilium, qui celebrantibus & orantibus impedimento ſunt, ab omnibus Eccleſiis, cùm Sacra fiunt, arcendos eſſe, necnon juxta Sacrorum Canonum Conſtitutiones fœminas (quas propter Angelos DEI velari Apoſtolus præcipit) diſtinctô à maribus ordine manere, & non niſi velato capite Eccleſiam ingredi debere.

Quemadmodum verò *Domum Domini decet Sanctitudo*, ita Dominicos feſtóſque dies debitâ celebrari devotione neceſſe eſt; ad hoc ſiquidem unum eosdem inſtitutos eſſe ex Apoſtolorum traditione & Eccleſiæ authoritate conteſtatum habemus, ut fideles Chriſtiani ab externis, quæſtuoſisque operibus abſtinentes, liberiùs & majori cum pietate Divino cultui vacarent, atque ſe-
ad Roman. 13. 12. 14. cundùm Apoſtoli monitum *abjicientes opera tenebrarum & induentes arma lucis, in diebus iſtis honeſtè ambularent; non in commeſſationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitiis, ſed induantur Dominum JEſum Chriſtum.* Quoniam verò nihilominùs experientiâ edocemur, quòd aliquibus in locis, non ſinè ſcandalo hæreticorum, tam Solennes & Religioſi dies quaſi toti per luxum & laſciviam agantur, & populus maximè in Feſtis ſolemnioribus peractô prandiô ad ſaltationes, jocos, & luſus declinet, unde committendorum peccatorum occaſio non levis: deinde blaſphemiæ, ebrietates, periculoſæ rixæ, aliáque peccata ſubſequuntur, atque ita, quod cum amaritudine cordis noſtri recolimus, Chriſtus Dominus Salvator noſter, quem Judæi Dominum gloriæ non cognoſcentes, in die feſto crucifigere exhorruerunt, à multis Chriſtianis, qui in luce veritatis verſantur, in ipſo die Dominico, quô DEUS Lucem Mundi condidit, Manna pluit de Cœlo, Chriſtus Author Vitæ à mortuis reſurrexit, Paraclytum Spiritum Apoſtolis miſit de Cœlis, aliisque Feſtis
DEI

Google

DEI & Sanctorum honori dicatis, eorundem ſceleribus, quantum ex parte illorum eſt, rurſum crucifigatur.

Ex quo dubitandum non eſt, magna ex parte tot calamitates, quibus conterimur, à DEO tantis flagitiis excitato jure infligi, *quia enim Sabbatha mea violaverunt*, ait Dominus per Prophetam: *effundam furorem meum ſuper eos, ut conſumerem eos.* Ad Divinam igitur placandam & avertendam iram, omnibus & ſingulis Eccleſiarum Rectoribus præcipimus: ut non modò populum ſuum frequenter & feriò commonefaciant, quatenus diebus dominicis & feſtis à quibuslibet prohibitis operibus ſe contineant, & ante prandium ſacris omnibus Eccleſiæ Myſteriis, Divinique Verbi prædicationi omni devotione interſint; verùm etiam in omnibus totius Diœceſis Noſtræ Eccleſiis, in quibus necdum celebrandi Veſperas poſt prandium laudabilis conſuetudo viget, eadem introducatur: aut ſaltem alia pro commoditate cujusque loci devotio inſtituatur. Volumus autem ut hoc noſtrum mandatum omnibus jurisdictionem ſæcularem exercentibus notum faciant, eósque quoad poſſunt, adhortentur, ut eo tempore, otioſam, & vagam turbam è tabernis, foro, & plateis abigant, pœnisque propoſitis, rebus ſacris intereſſe compellant: neque certè ulla Reipublicæ adminiſtrandæ ratio melior eſſe poteſt, quàm quæ primas Divino Cultui & Religioni tribuat. Ezech. 20. 30.

§. VII.

De Memoria Chriſti patientis.

JAm verò ad ea, quæ pietatem alere, & Devotionem in Fidelium animis inflammare ſunt apta, conſiderationis noſtræ aciem extendimus; inter quæ ſanè primo loco venit patientis Domini Noſtri JESU Chriſti frequens & devota memoria; Suffragatorem omni majorem exceptione habemus Divum Bonaventuram, cujus illud Religioſiſſimum effatum fuit; *Si ampliùs de virtute in virtutem, de gratia in gratiam, de bono in melius proficere velimus, quotidie quantâ poſſumus devotione, Dominicam Paſſionem meditari debemus; Cùm ob eandem vel unam ſolùm lacrymam emittentes plus mereamur, quàm ſi usque ad terram promiſſionis peregrinaremur.* S. Bonavent. lib. de Paſſion. Domini. Idcircò ad jugem amorem, gratámque Memoriam Domini Noſtri JESU Chriſti tanta pro Nobis paſſi, devotô Compaſſionis affectu perpetuò fovendam præcipimus, ordinamus, & mandamus, in omnibus deinceps Diœceſeos noſtræ Parochiis quâlibet feriâ quintâ veſperi, certum ſignum campanæ ære dari in memoriam ſudoriferæ Chriſti in horto pro nobis orantis agoniæ; Aliud item quâlibet feriâ ſextâ, horâ nonâ matutinâ in memoriam Ejusdem pretioſiſſimi Salvatoris Noſtri, in Cruce pro omnium ſalute ſpiritum in manus Patris ſui æterni reddentis. Hujusmodi autem mandatis noſtris, quàm executioni mandentur, priùs præmitti volumus debitam è ſuggeſtu ad Parochianos de voluntate hac intentionéque noſtra inſtructionem, ac monitionem, quatenus ad dicta duo campanæ ſigna omnes flexis genibus devotè orent, Dominum pro ſe paſſum piè meditantes amandô, & peccata propria, & aliena, utpote unicam Paſſionis & mortis Chriſti cauſam doloroſè deteſtando.

§. VIII.

De cultu Beatiſſimæ Mariæ Virginis, Sanctorum; & Defunctorum memoria.

PRæterea, cùm juxta Catholicæ Eccleſiæ uſum, à primævis Chriſtianæ Religionis temporibus receptum, ſanctorúmq; Patrum conſenſum, & Sacrorum Canonum Decreta Beatos illos cœleſtis Aulæ Proceres (ex quibus non ſecùs ac ex igne ſplendor, odor ex unguento, noſtrûm omnium dimanat utilitas) Sanctos nimirùm unà cum Chriſto regnantes, & orationes ſuas pro hominibus DEO offerentes, bonum atque utile ſit ſuppliciter invocare, & ob beneficia impetranda à DEO per Filium ejus JEſum Chriſtum, qui ſolus noſter Redemptor & Salvator eſt, ad eorundm Orationes, opem & auxilium

con-

confugere. Hinc omnes curam animarum, aut docendi munus quomodolibet ſuſtinentes hortamur in Domino: ut populum de invocatione, & interceſſione Sanctorum, nec non de Sacrarum reliquiarum honore diligenter inſtruant, id, quod congruentiſſimè explicabunt per nonum Symboli Apoſtolici articulum: *Sanctorum Communionem*, quô pii in Chriſto fideles omnium bonorum operum Eccleſiæ militantis ſeſe participes reddere valent: Teſte Pſalte Regiô: *Participes ego ſum omnium timentium Te, & cuſtodientium mandata Tua.* Itaque horum (Sanctorum) meritis aſſociari, & orationibus adjuvari ritè petimus; qui unô Spiritu Nobiſcum colligati, velut ejusdem Corporis membra, utique & nobis Lege Charitatis obligantur, quâ pro invicem, membra ſolicitudinem gerere & orare jubentur; ut ſalutem conſequantur; quod eò magis Sanctos in alia vita pro nobis facere confidimus, quô illis poſt infirmæ carnis depoſitionem & ferventior charitas, & Securis promptior acceſſit facultas. Deferimus autem Chriſti concivibus in Cœlis Venerationem, honorem, & cultum, non utique *Latriæ*, uni, Solique DEO viſibilium, & inviſibilium Creatori debitum, quô Ipſum tanquam ſummum Optimum, & Maximum Dominum Noſtrum ſupremo Religionis actu conteſtantes adoramus; ſed Illum, quem *Duliæ* vocamus, quô illos, ùt DEI amicos, noſtróſque apud Eum Interceſſores, Advocatos, & Patronos venerantes agnoſcimus, Sanctâ Matre Eccleſia ipſa notabilem inter duplicem hunc cultum differentiam piè nos docente, dum in Symbolo Apoſtolico orare præcipit: *Credo in DEum Patrem* &c. Qualem credulitatis actum utique nulli Sanctorum tribuit; dúmque in Lytaniis preces ad Sanctiſſimam Trinitatem, & ſingulas Perſonas Divinas dirigendô, religioſiſſimè orat: *Miſerere nobis*; ad Beatiſſimam Virginem verò, cæteróſque Sanctos hâc formâ utitur: *Ora, vel orate pro nobis.*

Pſalm. 118.
Concil. Mogunt. 4. c. 45.

Porrò de Domina noſtra glorioſa ſemper Virgine MARIA loquentes, quæ DEum, & Dominum noſtrum JEſum Chriſtum peperit, quam ideò omnes Sancti & Catholici Patres DEI genitricem appellant, quàm excellentiorem ſuper omnes Sanctos *Hyperduliæ* cultum, illi ob Maternitatis Divinæ prærogativam privativè debitam, quàm tenaciſſimum filialis amoris affectum, devotionis conſtantiam, & invocationis fiduciam erga Eandem Mentibus fidelium noſtræ curæ commiſſorum inſtillari, imprimíque cupiamus, explicare Verbis non poſſumus. Quippe: *Si omnia dona, virtutes & gratiæ Spiritûs Sancti per manus bujus potentiſsimæ Cæli, Terræque Reginæ diſpenſantur, quantô devotionis affectu à nobis Eam DEus bonorari voluiſſe cenſendus eſt, qui totius boni plenitudinem poſuit in Maria? proindè, ſi quid ſpei in nobis eſt, ſi quid gratiæ, ſi quid ſalutis, ab Ea noverimus redundare.* Totis ergo medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus MARIAM hanc veneremur, *quia ſic eſt voluntas Ejus, qui totum nos babere voluit per Mariam.* Hæc enim Judicis & Miſericordiæ Mater, ſuppliciter & efficaciter ſalutis noſtræ negotia pertractabit; Siquidem ei nec facultas deeſſe poterit, nec voluntas; pertractabit, quia Regina Cœlorum eſt, quia miſericors eſt, denique quia Mater eſt Unigeniti Filii DEI. Ita eſt, ita ſacræ teſtantur paginæ, ita confirmant Patrum Teſtimonia, ita unanimis Catholicorum conclamat aſſenſus; ita inter Aſcetas jam in proverbium abiit, illud Sancti Ignatii Martyris effatum: *nunquam malè peribit, qui Genitrici Virgini devotus, ſedulúsque extiterit.*

S. Bernard. Serm. de aquæ ductu.
Idem ſerm. 2. in Dom. 2. poſt Epiph.
apud Mikov. p. 2. d. 357. n. 78.

Ad hæc, cùm, ut ex ſententia D. Auguſtini loquamur, unum ex ſanctioribus exercitiis, & unà ex magis piis curis, quibus ſe exercere Chriſtianus poteſt in hac vita, ſit laudabilis illa, & excellens virtus miſericordiæ, quâ quis fidelium defunctorum, qui cum pietate dormitionem acceperant, in igne purgatorio pœnas piô compenſationis affectu mitigare contendit; Idcircò Parochos, cæteróſque animarum curatores impensè hortamur, ut populum non tantùm ad annuam in Chriſto fidelium defunctorum commemorationem devotè obeundam, ſed ad continuam pro iisdem, piis in operibus commiſerationis memoriam recolendam ſedulò inſtruant. *Sancta enim & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur.*

hom. 16. inter 50.
Machabæor. 12. v. 46.

Indè

Indè fiet, ut & ipſis olim eâdem menſurâ, quâ menſurati ſunt aliis, remetietur, Chriſtô ipſô *Beatos* pronunciante *miſericordes, quoniam miſericordiam conſequentur.* Ubi econtra minatur *Judicium ſinè miſericordia illi qui non fecit* Jacob. 2. v. 73. *miſericordiam.*

Adjuvantur autem piæ in Purgatorii pœnis detentæ Animæ potiſſimùm acceptàbili Altaris Sacrificiô, Sacro-Sanctæ Communionis, Eleemoſynarum, & Jejuniorum oblationibus, orationum Suffragiis, & Indulgentiarum Theſauris, iis potiſſimùm Trecentorum annorum per modum Suffragii Eisdem applicabilibus, quas Sanctiſſimus Dominus Noſter Benedictus Papa III. hodie feliciter regnans benignè conceſſit recitantibus devotè, & flexis genibus ter de die ad Salutationis Angelicæ pulſum tria conſueta Ave MARIA &c. útque tam ſalutarem pro defunctis memoriam, quantum in nobis eſt promoveamus, ſtatuimus hiſce, & decernimus, ut in ſingulis Eccleſiis veſperi, poſt Tertium Salutationis Angelicæ pulſum, ſignum campanâ alterâ detur populo, quò ad ferventem hanc, & piam defunctorum memoriam faciendam admoneatur.

§. IX.

De mutuo per preces auxilio.

DEnique, cùm inter alia, quæ Sapientia Dei Chriſtus Dominus noſter in toto Sancti Evangelii decurſu ſumma cum ſollicitudine nobis commendavit, Oratio præcipuum habeat locum, cujus uſus & exercitium hoc, S. Carol Borom. Chriſtiano adeò debet eſſe proprium, ut DEus propter ipſam Eos ab omnibus Mundi Nationibus diſſimiles facere voluerit dicendo: *Domus mea Domus Orationis vocabitur.* Et inſuper Jacobus Apoſtolus moneat, ut *oremus pro invicem;* eapropter omnibus Curam Animarum per Diœceſim noſtram quomodocunque ſuſtinentibus præcipimus, & mandamus; ut, ſi quem ſuos inter Parochianos tribulatione, adverſitate, aut quâcunque demum neceſſitate gravatum deprehenderint, integram quàm diligentiſſimè exhortentur communitatem, ad Hugo Cardinal S. Chryſoſt. hom. in cap. 1. Cor. 2. ſuccurrendum per Orationis auxilium ejusmodi miſero & afflicto; *quod enim Dominus uni forſan ex illis negaret, omnibus in nomine Ejus ad Orationem congregatis non negabit.* Cùm *perſæpe DEus quaſi pudore commoveatur, quando multitudinem ad precationem concordem, atque conſpirantem cernit.* Et certè, quæ quantáque apud DEum efficacia inſit precibus, & Orationibus publicis, factô primitivæ edocemur Eccleſiæ, ubi Petrus quidem ſervabatur in carcere, *Oratio autem fiebat ſinè intermiſſione ab Eccleſia ad DEum pro Eo,* eáque precum iſtarum vis Actor. 12. fecit, ut inauditô prodigiô exemptus vinculis Petrus, voti ſui compotem redderet ſinè intermiſſione orantem pro Capitis ſui ſalute primitivam Eccleſiam. Præcipuè autem publicis communitatum precibus commendare noverint Parochi fœminas puerperas, & jam partui proximas, quò citæ, partum feliciter enixæ, edant prolem, ſacris undis in ſpem vitæ æternæ novum hæredem abluendum.

§. X.

De Subditorum in Principem obſequio & præſtandis Tributis.

SUbditorum in Principem & Magiſtratus obſequium, item præſtanda ab ipſis Tributa de illo genere actionum ſunt, quæ quidem inferiores omnes, ſed plebem, & eam maximè attinet, quæ rus colit, & durô Vomere Terram exercet; Ac proindè ſuâ etiam intereſſe credant animarum Paſtores, admonere & erudire plebem, tam ut iſta faciat, quàm ut ita faciat, prout Officium Chriſtianorum ſecum fert. Præbebit autem de his diſſerendi locum quartum Decalogi præceptum: *Honora Patrem tuum* &c. hìc enim edocendi ſunt fideles, per Parentes, non tam carnales & naturales noſtros progenitores, quàm poteſtates Eccleſiaſticas, Epiſcopos nimirùm, Decanos, Parochos, cæteróſque animarum Directores; item Sæculares, ùt Imperatorem, Reges, Principes, Dominos Territoriorum, Præfectos, Judices, ac Magiſtratus intelligi, illíſque omnibus reſpectivè tanquam legitimis ſuperioribus à DEO propoſitis obediendum, Eíſque omnem obſervantiam, honorem, amorem, & timorem eſſe deferendum præ-

Rom. 13. v. 1. cipiente Apoſtolô: *Omnis Anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, non eſt enim poteſtas niſi à DEO, quæ autem ſunt poteſtates, à DEO ordinatæ ſunt, itaque qui reſiſtunt poteſtati, DEI Ordinationi reſiſtunt: qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt; ideò neceſsitate ſubditi eſtote non ſolùm propter iram ſed etiam propter conſcientiam. ipſi enim pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.*

Quamobrem pariter erudiantur de gravi obligatione, quâ tenentur in conſcientia ſolvere Tributa, contributiones, aliáque ſimilia cujuscunq; Tituli, & nominis, onera præſtare; *magnum enim eſt, & ſpirituale documentum, quô Chri-*
S. Ambroſ. cit. in cap. Magnum: cauſ. 11. q. 1. *ſtiani Viri ſublimioribus poteſtatibus docentur eſſe ſubjecti, ne quis Conſtitutionem terreni Regis (aut cujusvis alterius legitimi Domini) putet eſſe ſolvendam:* quia ſi cenſum DEI Filius in Capharnaum pro ſe & Petro ſtaterem in ore piſcis inventum
Matth. 17. ſolvit, quis tantus erit, qui non putet eſſe ſolvendum? præcipiente denuò A-
Rom. 13. poſtolô: *cui Tributum, Tributum; cui Vectigal, Vectigal, reddite ergo quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt DEI DEO:* Quomodo enim Imperator, cujus præcipua cura potentiæ & Principatûs eſt, ut hoſtium incurſus elidat, ut injuſtos Eorundem violentiæ motus gladiô potentiæ concidat, Juſtitiam miniſtret ſubditis, pacem patriæ conſervet, Leges ſaluberrimas condat, ac terrâ maríque militares copias diſponat; hæc aliáque plurima his ſimilia, valebit præſtare? niſi & ſubditi (quibus longè optatius eſſe debet, modicum in Tuto & Tranquillo poſitis, & ſecuris ab hoſtium direptione poſſidere, quàm abundare pluribus, ac fortunas ſuas omnes & facultates, quin vitam ipſam patére invaſioni hoſtili indefenſas) manus conferant liberales contribuendô ea, quæ ad commune patriæ bonum inevitabiliter neceſſaria eſſe dignoſcuntur? *Cùm*
Tacit. Hiſtor. lib. 4. *neque quies gentium ſinè armis, neque arma ſine ſtipendiis, neque ſtipendia ſine Tributis haberi poſsint.*

Studeant itaque neceſſitatem convertere in virtutem, ac contribuere corde bono, animóque per amorem ſincerum in Deum elevatô; comparaturi ſibi exindè centuplicatô fœnore bona longè pretioſiora & æternùm duratura in Cœlis. Si enim promittente Dominô, dans uni ex minimis aquæ frigidæ calicem in nomine tantùm diſcipuli, non perdet mercedem, quantum non habebunt ſperandum pendentes, animô in cœleſtia intentô, tot nummos in labore, & ſudore vultûs comparatos? Eſt item populus frequenter in Concionibus commonendus, ut DEum optimum maximum pro poteſtatibus deprecetur, peculiariter autem pro Auguſtiſſimo Romanorum Imperatore, Domino noſtro Carolo Sexto, ut Eundem Prole maſculâ, à qua Salus Reipublicæ Chriſtianæ plurimùm dependet, beare dignetur, ut ſic quietam & tranquillam vitam agentes, in omni pietate Curſum noſtrum conſummare valeamus.

His itaque Noſtris Paſtoralibus admonitionibus, inſtructionibus, ac Decretis, quæ omnia ab omnibus inviolatè ac ſub Divini Judicii interminatione ſervari cupimus, præcipimus, & mandamus, nihil ampliùs adjicimus, quàm quòd omnes, & ſingulos dilectiſſimos noſtros in Chriſto & in Vinea Ejusdem nobiscum Cooperatores ex ore Principis Apoſtolorum ſupremùm alloquamur: *Chariſsimi, paſcite, qui in vobis eſt, gregem DEI, providentes non coactè,*
1. Petri 5. *ſed ſpontaneè ſecundùm DEum; neque turpis lucri gratiâ, ſed voluntariè; neque ut dominantes, ſed forma facti gregis ex animo. Et cùm apparuerit Princeps Paſtorum percipietis immarceſcibilem gloriæ coronam,* quam ſicut vobis ex totis viſceribus precamur, ita pariter Epiſcopalem noſtram Benedictionem permanenter impertimur.

COROL-

COROLLARIA.

I.

Concluſio de ſerie Præſulum Laureacenſium, & primis, qui feruntur, Epiſcopis Patavienſibus.

PErvaſimus faventibus Superis impeditiſſimum omnium argumentum de rebus Laureacenſibus & Patavienſibus. Facimus vota cœlo, ut exiſtant aliquando lucidiora præſertim de Laureacenſibus documenta, quorum ope probabilior evadat hiſtoria. Inceſſimus, ùt potuimus, in ea temporum caligine. Permiſimus ferè Chronicis nomenclationem illam Præſulum, quam hactenus obtinuerunt, niſi ubi ratio traxit in diverſum. Detulimus traditioni de *Erchenfrido, Ottocaro, Brunone, Theodoro ſecundo.* Sed, ut verum fatear, concoquere ſatis haud quibam, ut eos in cenſum Epiſcoporum Patavienſium inferrem; idémque judicium ex meditationibus ſecundis, quas eodem ſuper argumento ſæpiùs libuit inſtituere, deliberatum hauſi. Laureacenſes alii vocent, per me licet: mihi & hoc dubium. Dabo hìc breviter cogitata mea, quæ, animum ad pridem ſcripta reflectenti, ſubvenerunt.

Quamdiu res Romana per Noricum & Rhætiam conſtiterat, do, ſedem Laureacenſem ſuos ordine Præſules habuiſſe. At poſtquam limite Danubiano perrupto, ea rerum permixtio, Barbaris omnia raptantibus, facta eſt ſeculo ſexto: poſtquam nulli certi regionum domini, ſed omnia vi & rapto diſcerpta ſunt, exciſæ civitates, Eccleſiæ, ſacra juxta & profana peſſumdata; poſtquam interclusum ferè cum urbe Roma commercium indè per Longobardos, hinc per Hunnos & Sclavos, neſcio, quæ tandem conſtitui ratio queat, ut indè ſubmiſſos arbitremur Archiepiſcopos, aut dictata ſacrorum jura. Reperam hìc breviſſimè viciſſitudines limitis Danubiani, ſtatúmque primorum ſex à Chriſto Nato ſeculorum, ut indè conjectura ſumi de ſerie Præſulum Laureacenſium poſſit.

Danubium quidem Pannonicum convulſerant primùm Hunni ſeculo quarto: quanquam enim dudum antea Marcomanni, Quadi, Sarmatæ, deinde Wandali, Gothi, Gepidæ aliìque limitem illum tranſcenderint, nequaquam tamen Romanos ex integro de Pannonia depulerunt, quin ferè pactá cum eis ſocietate coaluêre velut in unum Imperium. At Hunni Romanos ejecêre funditus: ubi commodum velut in ſupplementum rerum primá parte dictarum ſuccurrunt verba Scriptoris Anonymi, qui circa annum 873. de converſis Bajoariis & Carinthanis Hiſtoriam brevem conſcripſit; cujus magnus erit uſus in rebus Salisburgenſibus. Is ita memorat: *Antiquis temporibus ex meridiana parte Danubii in plagis Pannonie inferioris & circa, confines regiones Romani poſſederunt, ipſique ibi civitates & municiones ad defenſionem ſui fecerunt, aliaque edificia multa, ſicut adhuc apparet: qui etiam Gothos & Gepidos ſuæ ditioni ſubdiderunt. Sed poſt annos Nativitatis Domini CCCLXXVII. & amplius, Hunni ex ſedibus ſuis in Aquilonis parte Danubii & in deſertis locis habitantes, transfretantes Danubium, expulerunt Romanos, & Gothos atque Gepidos. De Gepidis autem quidam adhuc reſident.* &c. ex quibus firmantur ea, quæ dixeramus pag. 51. de prima Hunnorum irruptione.

Sed anno 427. denuo Romani cum Gothis Pannoniam recuperaverunt ejectis Hunnis, diſpoſitáque tum erant de integro præſidia ſeu cuſtodiæ milita-

res ſecundùm Danubii ripam, ùt videre eſt in Codice Theodoſiano Notitiæ veteris Imperii.

Sed poſt annos circiter ſex redière rurſum Hunni Pannoniámque Romanis pulſis tenuêre usque ad obitum Attilæ, per annos viginti & amplius: per quod tempus etiam Noricum & Rhætia ſecunda ſeu Bojaria, hinc ab Hunnis, indè ab Alemannis, Turingis, aliisque Germaniæ magnæ populis permiſta raptatáque fuit.

Attila demortuo Pannonia quidem & Noricum ſub jus rediit Romanum, quanquam Pannoniam inſiderent Gothi & Gepidæ, conceſſione Marciani Auguſti.

. Subinde autem Noricum Ripenſe hinc ab Rugis, ſuprà ab Alemannis, qui Bojariam pro libito habebant, occupatum eſt ſeculo quinto adulto.

Quum autem Odoacer Herulus ſibi regnum Italiæ vindicâſſet, is anno 488. Noricum Ripenſe, debellatis Rugis, redegit in ſolitudinem.

Paulo poſt Theodoricus Gothus, Odoacro perempto, Pannoniam cum Noricis denuo reſtituit.

Bajoariam tamen usque incubabant Alamanni: quos demum Franci anno 496. deviƈtos indè pepulerunt: Boicámque ſub ditionem acceperunt.

Hinc diœceſis Laureacenſis bipartito gentium dominatu diviſa; nam Noricum & Pannoniam Italiæ Rex Theodoricus, Bojariam & partem Rhætiæ obtinebant Franci.

Laureacenſium Archiepiſcopus eo tempore *Theodorus* erat, cui Symmachus Pallium ſubmiſit cum literis dudum recitatis. Et hic tertius eſt poſt *S. Maximilianum* & *Conſtantium*, quem Archiepiſcopum Laureacenſem appellare poſſumus *certum*. An quisquam ei ſucceſſerit, ignotum eſt. Id certè credibile: nam Theodorico Gotho regnante res erant Norici pacatæ. Eo quoque demortuo ad annum 526. Juſtinianus Imperator orthodoxus Princeps Noricum Pannoniámque depulſis Gothis tenebat, eſtò Longobardis Arianis habitandam conceſſerit; partem etiam ſuperiorem ſubegerint Franci.

Sed anno 568. res in totum converſæ per exceſſum Longobardorum. Nam Hunni Avares cum Sclavis, populus religionis expers id omne terrarum inundarunt. Hic jam perpetuum inter hos & Francos certamen, vaſtitates annuæ in Bojariam illatæ. Laureacum urbs aut exciſa, aut certè miſeris habita modis, unà cum traƈtu regionis circumſito. Ab hoc tempore an quisquam fuerit certus & ordinarius (ùt vocant) Laureacenſium Antiſtes, ut mentem ſimpliciter nudem, ignoro. Traditio eſt de *Philone* quodam Romano, qui anno 615. inierit, ſederitque per annos 45. Memoriæ ſunt de *Erchenfrido*, *Ottocaro*, *Brunone*, *Theodoro*, quos Pataviæ ſediſſe plerique volunt per ſeculi ſeptimi decurſum. Alii malunt eos appellare Antiſtites Laureacenſes, ſede licet ſua per hoſtem excluſos. Quibus traditionibus ac Memoriis, quantum tribuendum ſit, non ſtatuo ſatis: neque enim vetuſtæ ſunt admodum, neque in adſignandis texendisque temporibus inter ſeſe conſentiunt.

Illud unum videtur minimè vanum, aut abnuendum, fuiſſe videlicet aliquos illorum nominum Antiſtites. Neque enim temere iſtiusmodi confinguntur; & apertum eſt, Francos Antiſtites curam Apoſtolicam has etiam in partes naviter extendiſſe, curaſſeque etiam ævo Juſtiniani in Eccleſiis Aquilejæ ſubjeƈtis conſtitui Sacerdotes, *Bernenſi*, *Tiburnienſi* & *Auguſtana*, de quo querelæ Aquilejenſium ad Mauritium Imperatorem. *Erchenfridus*, *Ottocarus*, *Bruno* nomina ſunt Francica ſeu Teutonica, quos à Francis ſubmiſſos eſſe vel hoc ipſum ſuadet. Quâ verò ratione ſubmiſſi ſint, an contemplatione Metropolis Laureacenſis, an ut propriam Pataviæ ſedem haberent, an tanquam Epiſcopi merè regionarii aut vagantes, ambigitur.

Illud movet non fuiſſe merè regionarios, quòd in Annalibus & Catalogis adeo conſtanter nuncupentur Epiſcopi Patavienſes, quod non videtur excogitatum, ſed hauſtum ex antiquioribus documentis. Attamen ex aliis iisq; certiſſimis inſtrumentis demonſtravimus, in ſerie Præſulum Patavienſium fuiſſe

primum

primum *Vvilonem* anno 737. Laureaco Pataviam profugum, cui etiam ædes ibidem per nobiles quosdam conjuges donatæ ſunt habitandæ.

Res eò redit, ut *Erchenfridus* & reliqui ſupra dicti non fuerint Epiſcopi Pataviensſes proprii, ſed inquilini duntaxat: proinde aut regionarii, aut Laureacenſes, nempe, ùt dixi, cnntemplatione & reſpectu Sedis Laureacenſis conſtituti, quod omnino videretur, niſi obſtaret Philo Romanus, quem ferunt eodem tempore Archiepiſcopum fuiſſe Laureacenſem, ex urbe Roma ſubmiſſum. Hic neceſſe foret habere perſpectos annos utrorúmque, quo pateret, an ipſi tempore inter ſe concurrerint. Sed ſanè de annis, ùt ſuprà monui, ſtatui certi nihil poteſt. Quod ſi fuit, ut eodem tempore Epiſcopatum gererent, fieri ſanè haud poterat, ut eſſent ejusdem ſedis; niſi id fuerit, ut alium Romani, Franci alium ad eandem deſtinârint ſedem. Duces certè Bojos haud fuiſſe immemores reſtituendæ Metropolis Laureacenſis, patet exemplo Ducis Hugiberti, qui cùm primùm per Hunos poterat, Vivilonem eò ſubmiſit.

Dicamus igitur Erchenfridum & illos reliquos fuiſſe à Francis, aut Bojis deputatos Laureacum, ob hoſtes tamen omnia circum inſidentes ejus Cathedræ poſſeſſionem ne unquam obtinuiſſe, multo minùs dignitatem Metropolitanam: quam etiam ob cauſam Theodo II. Dux alium ſubinde Epiſcopatum loco tutiore fundavit, Salisburgi; túmque primùm Gregorius PP. II. Hierarchiam Bajoariæ meliùs ordinandam ſuſcepit, conſtituto etiam Ratisbonæ Wicterpo Epiſcopo, item Corbiniano Friſingæ: cui propoſito pariter inſiſtens Gregorius PP. III. ſubmiſſo Bonifacio, manum addidit ſupremam, diviſis ritè diœceſibus, & Epiſcopis ſtabiliter inſtitutis.

Superioribus enim ætatibus etſi plures in Bojoariam venerint, ibique curam geſſerint Apoſtolicam Epiſcopi, ut quorum nonnullos jam à principio redactæ in ditionem Francicam provinciæ verſatos ibidem eſſe, leges Bawariorum notant; præterea tabulæ Ratisbonenſes plures nominent, ùt *S. Lupum, Ratharium*, *S. Emmerammum*, *S. Erhardum*, *Albertum*, *Welipholægum*, *S. Rudpertum* & alios, tamen diſertè ſcribit Arnolfus Vohburgenſis, ſub Ducibus ſuperioribus (intellige ante Theodonem II.) *fuiſſe & Ratisbonenſem & ceteras in Bajoaria Eccleſias abſque certis Epiſcopis*, eò nempe, quòd nec locus eſſet nec fundatio certa deſignata, neque limites diœceſeon ritè diviſi, neque ſedes Epiſcopales ſupremo, id eſt, Romano firmatæ decreto, nec denique ſtabiliter inſtitutæ: quo fiebat, ut, etſi ſuppeterent nonnulli, qui ſe dicerent Epiſcopos eſſe, tamen ii nec ordine erant inſtituti, nec in perpetuum uni cuidam Eccleſiæ deſponſi; ſed ut res ferebat, aut occaſio, aut impetus animi, aut poſtulatio Principum aut populorum, indulgebant ſe pro arbitrio his illisve locis, & munus Apoſtolicum, quoad libitum erat, exercebant. Cujusmodi Epiſcopos ſi quis eos ſuprà nominatos, quos aliàs Eccleſiæ Ratisbonenſi adſcripſere, fuiſſe dixerit, haud, opinor, valdè aberrabit.

Tales item fuiſſe *Erchenfridum* cæteróſque Pataviensſibus adſcriptos, qui nimirum Evangelii ſeminandi causâ verſati ſint Pataviæ, ſeu propoſito ſedem iſthic fundandi Epiſcopalem, ſeu reſtituendi Metropolitanam Laureacenſem. *Incerti* tamen erant, quod nondum lege certa & ſtabili dignitas Epiſcopalis eſſet adnexa civitati Pataviensſi, nec certa poſſeſſio Sedis Laureacenſis, proinde, ùt dicam verbo: erant adminiſtratores temporarii, mobiléſque pro libito, & Candidati veriùs cathedrarum Epiſcopalium, quàm Epiſcopi formati. Domicilium habebant Pataviæ, iſthic rem ſacram procurabant, & quandam, ut ſic dicam, imperfectam Epiſcopatûs inchoationem faciebant, quæ ipſa dein fuit occaſio, ut quum funditus eſſet exciſa civitas Laureacenſis, deſperatáque Sedis Metropolitanæ ad eum locum reſtitutio, Epiſcopatum Pataviæ figi placeret. Atque hunc in modum mente demum noſtra, de obſcuriſſimo argumento declaratâ, manum aliquando de tabula.

Illud hic obiter adnoto, me dudum, quum ſcriberem de Eccleſiis illis Aquilejenſibus, *Brenenſi*, *Tiburnienſi*, *Auguſtana*, in quibus Antiſtites Galli conſtituerant Sacerdotes, quorum in literis eſt Aquilejenſium ad Mauritium

Imp. mentio; non ritè caſtigâſſe vocabulum illud *Eccleſiæ Brenenſis*, quod in quibusdam editionibus legitur, aut, ùt in aliis, *Eccleſiæ Beconenſis:* ex quo nos ſuſpicati ſumus *Betovenſem*. Modò re meliùs expensâ, plane apparet legendum eſſe *Bernenſis* ſeu *Beronenſis*. Nemini quippe Germanorum ignotum eſt Veronam urbem verbo vernaculo dictam eſſe *Bern*, ſeu *Bernam*; ubi quum Theodoricus Rex Gothicus habuerit aliquando regiam, priusquam Odoacrum Ravennæ circumfeſſum extinxerit, dicta fuit vulgò *Berna Theodorici*, ſeu voce vernacula *Dietrichsbern*. Epiſcopatum item *Auguſtanum* ajo rectè ſumi pro *Auguſtano in Vindelicis:* Aquilejenſes enim, qui reliquas Rhætorum Eccleſias in ſuis ſuffraganeis numerabant, ut *Sabionenſem* & *Bernenſem*, habebant etiam *Auguſtanam*, itidem Rhætis accenſam. Ac ſitus ipſe ſuadet, has eſſe Eccleſias, ad quas ùt imperium promoverant Franci, quippe Rhætiâ cum parte Norici eo tempore ſubactâ, ita copiam habebant in iis conſtituendi Sacerdotes.

II.

Apoſtoli Eccleſiæ Laureacenſis.

S. Marcus Sedis Aquilejenſis, ùt volunt, inſtitutor, qui ſi non per ſe, certè per diſcipulos ſuos agrum Noricum ſemente Evangelicâ beavit.

S. Lucas, qui tendens è Dalmatia in Italiam *Gallias* intermedias, id eſt Noricum, Evangelii prædicatione præ cæteris illuſtravit. *vid. p. 13. 15.* Hic animum referens ad Verſus illos in turri deſcriptos oppidi *Ens* Auſtriæ ſuperioris, memini me aliquando ſuſpicatum eſſe, ne, quàm putarentur, eſſent recentiores, & forſitan ætatem Maximiliani II. Cæſaris non ſuperarent. Verùm expenſo deinde, quòd eos Vinandus Pighius illac habens iter an. 1574. in tabulam ſolerter retulerit, in Hercule ſuo Prodicio p. 140. eosdem veluti reſtes perſuaſionis oppidanorum (de primis videlicet religionis noſtræ fundamentis apud eos per *Marcum* & *Lucam* jactis) producat: *Teſtantur*, inquit, *hoc etiam verſus in turri eadem publicati:* depono ſuſpicionem, ſtatuóque verſus illos multo antiquiores eſſe; quòd eruditus ille vir eos haud erat, opinor, ſuo commentario dignaturus, niſi vetuſtate commendatos, nedum teſtimonii pondus aliquod in iis poſiturus.

S. Lucius Norici & Rhætiarum Apoſtolus ex antiquo appellatus.

S. Maximilianus, qui præter curam Norici Ripenſis & Pannoniæ, Noricum etiam mediterraneum, ejúsque tunc caput *Celejam* patriam ſuam, prædicatione & martyrio ſtabilivit in fide Chriſti.

S. Quirinus Siſcianenſis Epiſcopus, Pannoniæ Auſtralis Apoſtolus: reliquam etiam Pannoniam prædicando catenatus obivit, & martyrio *Sabariam* decoravit.

S. Martinus, qui anno 356. *Sabariæ* in patria ſua opus Apoſtolicum fecit.

S. Ambroſius, cujus operâ Marcomanni converſi, & Pannonia de Arianis reliquiis repurgata.

S. Valentinus Rhætiarum & præcipuè Pataviensium Apoſtolus.

S. Severinus Abbas, dictus per antonomaſiam *Apoſtolus Noricorum*; vir prædicatione, laboribus, charitate, ſanctimoniâ, prodigiis admirandus.

SS. Euſtaſius & Agilus Abbates è Francia miſſi, in Bojis convertendis deſudârunt ab anno 616.

S. Amandus Trajectenſis Epiſcopus Sclavis in Norico prædicavit ſub annum 627.

S. Rupertus Bojorum Apoſtolus, Noricum Ripenſe & Pannoniam obivit; Laureaci multos convertit.

S. Bonifacius Germaniæ Apoſtolus, in revocandis ad frugem Bojis anno 719. 736. 738. ante diviſionem Epiſcopatuum laboravit.

Urol-

COROLLARIA.

Urolphus Hunnorum & Maravorum Apoſtolus, ubi Regibus & optimatibus converſis, quatuor Epiſcopatus conſtituit, an reſtituit?

SS. Cyrillus & Methodius Maravorum & Pannonum Apoſtoli, pro quibus & Sedem Metropolitanam condidêre Wellehradi in Moravia.

S. Wolfgangus in convertendis ad Chriſtum Hungaris biennio deſudavit.

Piligrinus Ep. Patav. maximam Ungarorum multitudinem convertit.

S. Adalbertus S. Stephanum Ungarorum deinde Regem fonte ſacro luſtravit, pérque ſe, pérque ſuos in eadem meſſe ſtrenue verſatus eſt.

His accenſent Andronicum, qui in Catalogo Diſcipulorum Chriſti ſeptuaginta duorum, loco decimo octavo ponitur, dicitúrque *Pannoniæ factus Epiſcopus.* Sed ille Catalogus, qui vulgò Dorotheo Tyri Epiſcopo adſcribitur, eruditis hodie parùm viget, habetúrque inter Apocryphos.

III.

Antiſtites Laureacenſes:

Certi.

S. Maximilianus conſtitutus circa annum 257. Martyrium paſſus circa an. 284. 12. Octob. ſepultus Celejæ. Translatus in Pongeu prope Salisburgum, indè Oetingam, poſtremò Pataviam. *Vita &c. p. 30. it. p. 226. a. 229. b.*

Conſtantius. Initium Sedis incertum. Obiit circa annum 487.

Theodorus renunciatus circa annum 488. Obitus ponitur ad an. 527.

Vivilo creatus Antiſtes Laureacenſis à Gregorio III. PP. aliquo tempore ante annum 737. quo Pataviam tranſiit.

Urolphus creatus Ep. Pat. an. 804. Pallium obtinet ab Eugenio II. an. 824.

Gerardus creatur per Leonem VII. Archiepiſcopus totius Provinciæ Bajoariorum an. 937. deinde anno 946. diviſâ per Agapitum II. poteſtate jubetur habere partes duntaxat Orientales.

Piligrinus creatus Archiepiſcopus an. 947. exeunte.

Incerti.

Domnus adfuit Concilio Niceno an. 325. *p. 43. c.*

Eutharius adfuit Concilio Sardicenſi an. 347. *p. 44. c.*

Erchenfridus. *p. 97.*

Philo. *p. 97. b. & 105. c.*

Ottocharus. *pag. 106. a.*

Bruno. *p. 106. c. 109. c.*

Theodorus II. *p. 109. c.*

Apocryphi.

Laurentius. *p. 27. b.*

Jerardus. *p. 29. b.*

S. Quirinus, qui non Laureacenſis ſed Sciſcianenſis. *p. 37.*

IV.

Epiſcopatus Metropoli Laureacenſi certò ſubjecti.

Favianenſis ſeu Vindobonenſis, cujus Epiſcopi priores ignoti: ſeculo quinto fuit *Mamertinus* p. 85. b. 87. c. 21. b. 12. a. Placet, quod ibi timidiùs affirmamus, affirmare ſimpliciter. Anno 824. Epiſcopus Favianenſis erat *Rathfredus.* p. 147. b. 149. a.

Speculunenſis, fortè idem, qui hodie *Olomucenſis* p. 147. b. 149. a. Hujus Epiſcopus anno 824. *Methodius.* ibidem.

Nitra-

Nitravienſis: Epiſcopus *Adelwinus.* ibid. Deinde *Wichingus* ſub Metropoli Wellehradenſi.

Vetvarenſis: Epiſcopum habuit *Annonem.* ibid.

Epiſcopatus ferè certi, dubium tamen, qui, & quando ſubjecti.

Celejanus ſeu *Cilejenſis:* cujus Epiſcopi priores ignoti. Anno 579. ſedit *Joannes*, qui aſſedit Synodo Gradenſi. Idem deinde Synodo Maranenſi anno 590. Schismaticus. Legitur enim in MS. Barberino inter ſubſcriptos Synodo Gradenſi: *Joannes Epiſcopus Celejanæ.* Iſte apud Ughellum in Patriarchis Aquilejenſibus omittitur; ponitur autem *Clariſſimus Epiſcopus Celicanæ*, quem ille in margine *Celejanum* exponit: verùm in laudato MS. Barberino legitur *Clariſſimus Epiſcopus Concordienſis.*

Petovienſis ſeu *Petovionenſis*, aliter *Petavienſis, Petabionenſis*, cujus Epiſcopus ſeculo tertio exeunte floruit *Victorinus* in divinis Scripturis doctiſſimus: cujus *opera grandia ſenſibus* prædicat Hieronymus, *ſed viliora compoſitione verborum, quòd non æquè Latinè, ùt Græcè noverat.* Martyrio coronatus anno CCCIII. IV. Non. Novembris: quem Baronius & alii ſimilitudine vocis abducti, appellavêre Epiſcopum *Pictavienſem.* Alter Petovienſium Epiſcopus ſeculo quarto viſitur *Marcus*, vir ſanctus, & admirabilis memoriæ Sacerdos, ùt eum appellant Patres Aquilejenſis Concilii anno 381. *vide pag. 51. b.* Huic ſuperpoſitus erat *Julianus Valens* circa annum 380. homo Arianus, qui accuſatus in Concilio Aquilejenſi, prodidiſſe Gothis patriam, Epiſcopatu pulſus, Mediolani delituit, ubi & perfidiam Arii diſperſit. *vid. pag. eadem.* Alius proditur Petovione Epiſcopus *Bergullus* ſeu *Virgilius*, qui anno 579. Synodo Gradenſi cum Joanne Celejano interfuit.

Tibornienſis ſeu *Tiburnienſis*, urbe Norici mediterranei Metropoli. Seculo quinto adulto floruit *Paulinus* Epiſcopus, S. Severino familiaris, ùt legere eſt apud Eugippium. Alter *Leonianus* adfuit Synodo Gradenſi paulo ante dictæ. Seculo octavo provecto miſſus eò *S. Modeſtus* per S. Virgilium Salisburgenſem. Nam videtur eadem eſſe *Tiburnia* cum civitate *Liburnia.*

Siſcianenſis, in Inſula Savi fluminis. *S. Quirinus*, martyrio laureatus Sabariæ anno 308. *p. 37.* *Marcus Sciſcienſis* ſubſcripſit Concilio Sardicenſi anno 347. *Conſtantius Sciſcianenſis* adfuit Synodo Aquilejæ anno 381.

Murſenſis oppido *Murſâ* ad Dravum amnem, propè ejus cum Danubio confluentem, hodierno ferè *Eſſekio* reſpondens. Celebris ejus Epiſcopus *Valens*, tempore Conſtantii inter Arianorum ſigniferos.

Sirmienſis, urbe nobiliſſimâ plurium Imperatorum natali, & plurimorum Martyrum palæſtrâ: cujus celeberrimus Epiſcopus *Irenæus*, ſub Diocletiano paſſus. Deinde *Photinus* hæreſiarcha, tempore Conſtantii. *Anemius*, qui anno 381. Concilio Aquilejenſi interfuit. Sed hæc ſedes tempore Conſtantini in Metropolim ac primatum Illyrici fuit evecta.

Cibalenſis medio ferè inter Sirmium & Murſam ſitu: cujus Epiſcopus *Euſebius* ſub Diocletiano paſſus: celebratur ejus Natalis 28. Aprilis. Ante ipſum fertur ſediſſe *Donatus*, qui ſub Decio Martyrium fecerit.

Fertur & Epiſcopatus Carpenſis, cui *Secundus* Ep. præſuerit, oppido Pannoniæ prope inſulam Danubianam, hodie ab S. Andrea cognominatam. Curtenſis, cui moderatus ſit *Creſcens*, oppido Pannoniæ, quod Ptolomæus ad Danubium proximè Bregetionem collocat. Sabarienſis loco Pannoniæ ſuperioris principe. Scarabantienſis, non longè à Sabaria, quorum tamen duorum Epiſcopatuum (ſi fuerunt) Epiſcopi nulli proԁuntur. Singidunenſis, cujus nominis oppidum erat Mœſiæ ſuperioris: alii ſtatuunt ejusdem aut ſimilis vocabuli civitatem in Pannonia: cu-

jus

jus Epiſcopus *Urſacius*, Valentis ſuprà nominati Murſenſis Epiſcopi, in Arii perfidiâ propagandâ ſocius. Præterea Stridonenſis, cujus Epiſcopus profertur *Domnus*, qui Concilio Niceno ſubſcripſit. *Stridonem* urbem multi Dalmatiæ tribuunt: ſed rectiùs tribuitur Pannoniæ: nam idem *Domnus*, qui duobus in locis eidem Concilio ſubſcriptus eſt, cùm in uno vocetur *Stridonenſis*, in altero appellatur *Pannonienſis*: & S. Hieronymus in Sophoniæ cap. 1. videtur Illyricum, quo Dalmatia & Liburnia continentur, à patria ſua ſeparare; *Teſtis*, inquit, *Illyricum eſt: teſtis Thracia: teſtis, in quo ortus ſum, ſolum.* Erat & Epiſcopatus Æmonenſis Pannoniæ ſuperioris (ab aliis attributa Norico, ab aliis Italiæ) propè radices Alpium Juliarum, cujus Epiſcopus *Patritius* Synodis interſuit Gradenſi & Maranenſi. Rectè *Æmonam*, ſeu, ùt alii ſcribunt, *Emonam*, *Hemonam*, eum hodierna Carnioliæ Metropoli *Labaco* confundimus. Sed ex his, quinam Laureacenſibus fuerint Archiepiſcopis attributi, ſub judice lis eſt. Verba Pontificum *de ſeptem Epiſcoporum Parochiis* loquuntur, in quos tempore Romanorum ac deinde Gothorum & Gepidarum Metropolitani Laureacenſes exercuerint diœceſim. Rurſum ajunt, *utriusq; Panonniæ*, *ſuperioris* videlicet *& inferioris* geſſiſſe Magiſtratum. Hæc dicta generatim, in partes applicare difficile eſt; quando & mutatis ſubinde temporibus poteſtates Eccleſiaſticæ permutata ſunt. *Sirmienſis* certè faſtigium aliquando tenuit Illyrici, non in civilibus modò cauſis, ſed etiam ſacris. *Celejanus*, *Petovienſis*, *Tiburnienſis*, *Æmonenſis* ſeculo ſexto ad Aquilejenſem ſe referebant. Utrùm anteriùs aliquando iſti cum *Sirmienſi* Magiſtratum habuerint Laureacenſem, non habemus in expedito. Videatur diſſertatio, quam hac de re dedimus à pag. 56. Si ſiſtendum ſit in verbis Pontificum de ſeptem Epiſcopatibus Pannoniarum & Mœſiæ, commodiſſimus videtur hic eſſe Suffraganeorum Laureacenſium cenſus: *Vindobonenſis*, *Stridonenſis*, *Siſcianenſis*, & hi quidem in Pannonia ſuperiore: in inferiore verò *Murſenſis*, *Cibalenſis*, *Sirmienſis*, priusquam in Metropolim evaderet. Demum in Mœſia ſuperiore *Singidunenſis*. Et hæc temporibus antiquiſſimis, quæ deinde Conſtantini tempore mutata per Metropolim Sirmienſem, cui Pannonia ſecunda contributa, uti colligitur ex Novellâ Juſtiniani Imp. ſuo loco recitatâ. Demum ſeculo IX. vernante ſedes novæ duæ per Urolphum Ep. in *Maravia* conſtitutæ, & una, præter *Favianenſem* antiquam in Pannonia. Reliquorum, quos recenſuimus, Epiſcopatuum quum res non adeò ſit explorata, ſtatuere nihil poſſumus.

V.

Catalogus brevis Epiſcoporum Patavienſium.

S. Valentinus à Leone PP. deſtinatus Patavienſibus Epiſcopus, ſed ab iis non receptus. Quare ſedem Epiſcopalem non inchoavit. Indè oberrando Rhætiam, munus Apoſtolicum exercuit; referendus inter Epiſcopos vagos ſeu regionarios. Quibus etiam imputes licet *Erchenfridum*, *Ottocarum*, *Brunonem*, *Theodorum* ſuprà nominatos, quos, ut detur, Pataviæ ſediſſe ſeu habitâſſe, ſedêre tamen Sede Pontificali nondum ritè & ſtabiliter iſthic inſtitutâ, ſed in apparatu potiùs & conſilio Sedem Laureacenſem, ſi per Barbaros liceret, reſtituendi. Igitur Epiſcopi Patavienſes, propriè tantùm ab diviſione diœceſium Bojariæ per S. Bonifacium factâ, ſumunt auſpicium, quos hoc ordine, adnotatis initiis & obitu, referimus.

Primus Ordinarius Patavienſium Epiſcopus Vivilo, qui circa annum 737. Laureaco Pataviam profugus, ibi ſedem fixit. Limites diœceſeos circumſcripſit S. Bonifacius anno 739. Obiit Vivilo circa annum 745. die 20. Februarii. Tempus Sedis incertum.

II. Beatus, cujus Epiſcopatus certus: ætas incerta. Illud ſtatui poteſt: cœpiſſe circa annum 745. tenuiſſe Sedem ad annum 748.

III. Sedonius ſedere cœpit non ante annum 748. ſediſſe dicitur annis IX. igitur ad annum usque 756.

IV. Anthelmus: ſediſſe ſcribitur annis IX. igitur ab anno 756. ad 765. Obiiſſe ferunt die III. Martii. Alii XI. Martii.

V. Wiſericus ab anno 765. ad 774. quo obiit, ultimâ die menſis Aprilis. Quod ſi tamen Synodus Dingolfingenſis celebrata eſt anno 774. menſe Octobri, ùt ex Arenpekio in Chronico Bavariæ colligi poteſt, nósque in rebus Salisburgenſibus ſub Virgilio Epiſcopo inſinuabimus, confectarium foret, Wiſericum, qui Synodo prædictæ interfuit, obiiſſe primùm anno ſequenti, die ſcilicet poſtremâ Martii.

VI. Waldericus ab anno 774. vel ſequenti ad annum 804. quo deceſſit 22. Auguſti.

VII. Urolphus ab anno 804. ſedit Pataviæ anno I. reliquis in Pannonia & Maravia ſine Pallio ad annum usque 824. quo creatus Archiepiſcopus: obiit in Maravia circa annum 837. die 17. Auguſti, vel ùt alii, 14. Septembris.

VIII. Hatto ſuperpoſitus Urolpho anno 806. Obiit anno 817. die XI. Decemb.

IX. Reginarius item Urolpho ſuperpoſitus anno 817. vel ſequenti. Obiit 838. 28. Auguſti.

X. Hartwicus poſt vacationem ſedis per annum & ampliùs, creatus anno 840. obiit circiter anno 866. menſe Aprili vel Majo.

XI. Hermenricus ab anno 866. ad 874. quo obiit die 2. Januar.

XII. Engelmarus ab anno 874. ad 897. quo obiit ultimo die Decembris.

XIII. Wichingus ex Epiſcopo Nitravienſi creatus Patavienſis anno 898. ſed anno ſequenti per Synodum depoſitus; retulit ſe in Maraviam, ubi Metropolim Maravicam inſtaurare ſtuduit, creatus, ùt videtur, Archiepiſcopus.

XIV. Richarius ab anno 899. ad 903. quo deceſſit ante menſem Auguſtum die incerto.

XV. Burchardus ab anno 903. ad 915. obiit die incerto.

XVI. Gumpoldus ab anno 915. obiit anno circiter 931. 16. Octobris.

XVII. Gerhardus ab anno 931. obtinuit Pallium à Leone VII. anno 937. Obiit anno 946. 16. Septembris, aut quod veriùs: anni ſequentis die ſecundâ Januarii.

XVIII. Adalbertus ab anno 947. ad 970. quo obiit, die 15. Junii.

XIX. Piligrinus ab anno 971. vel parte anni ſuperioris poſteriore. Reſtituit Metropolim Laureacenſem per decretum Benedicti VII. anno 974. exeunte. Obiit anno 991. 22. Maji.

XX. Chriſtianus ab anno 991. ad an. 1012. diem 20. vel 21. Septemb. quo deceſſit.

XXI. Berengerus ſeu Benno ab anno 1013. ad 1045. 14. Julii, quo mortuus.

XXII. Engelbertus Sacellanus Agnetis Auguſtæ ab anno 1045. ad 1065. quo defunctus eſt vitâ, die 17. Maji.

XXIII. Beatus Altmannus è genere Ducum Putinenſium, ſeu quod alii, Wetinenſium; vocatus anno 1065. conſecratus à Gebhardo Salisburgenſi. Sedit ad annum 1091. diem 8. Auguſti, quo plenus meritis deceſſit in oppido Cecimurano: ſepultus primùm in crypta Eccleſiæ B. Virginis, Monaſterii Gotwicenſis ab ſe fundati; unde poſt annos novem ſupra ducentos tranſlatus eſt ad aram S. Crucis, ubi modò ſepulchrum ejus viſitur cum hoc Epitaphio: *Venerare Viator ſacra oſſa B. Altmanni Epiſcopi Paſſav.*

hujusce

hujuſce Monaſterii fundatoris, quæ Rudolphus Auſtriæ Dux huc tranſtulit Anno ſalutis MCCC. Obiit B. vir Anno Chriſti MXCI. fundavit Monaſterium Anno MLXXIII. Lapidem hunc memoriæ & pietatis ergo poſuit Georgius Falbius Abbas.

XXIV. Udalricus primus e Comitibus ab Hôfft, ab anno 1092. (poſt novem ferè menſium vacationem) die 16. Maji ad annum 1121. diem 7. Auguſti, quo elatus eſt. Sub Altmanno & Udalrico memorabilis eſt *Georgius Armeniorum quondam, ùt ferunt, Archiepiſcopus, qui* (ùt ſcribit Cœnobita Windbergenſis de Cella S. Engelmari To. VI. Antiq. Lect. Caniſii pag. 402.) *uberiori ſpe cæleſtis præmii voluntariam paupertatem cum peregrinatione circa Pataviam ſectatus, obiit mortem, ſecundùm quod ipſe prædixerat, IX. Kal. Octobris circa meridiem, horâ, quâ illa famoſiſſima Solis eclypſis accidit, quam non ſolùm maxima mortalitas, ſed & Jeroſolymitana ſequebatur expeditio auctore Papa Urbano II.* Annus illius eclypſis eſt MXCIII. Jacet hujus Georgii corpus in Eccleſia S. Crucis Virginum Nidernburgenſium Patavix: de quo Hundius in rebus cœnobii Nidernburg: *Ibidem*, ait, *in templo ſepultus eſt Gregorius Epiſcopus, qui ex Oriente in Batavorum urbem veniens, ex Ungaria ſcilicet, ubi eremiticam vitam duxit.* Ita ille, qui per lapſum, credo *Gregorium*, pro *Georgio* appellavit. Ejus diſcipulus fuit *Engelmarus* quidam colonus, qui poſt obitum Magiſtri, ſolitudinem ibidem ſanctè coluit, interemptus à ſocio ſuo per invidiam: corpus nive & ruderibus opertum prodidère luminaria divinitus accenſa, præterea ſuavis odor. Indè conſtructum eo loco ſacellum, quam Cellam S. Engelmari vocarunt, quam Adelbertus Comes Monaſterio Windbergenſi tradidit.

XXV. Regimarus ab anno 1121. ad 1138. diem ultimum Auguſti, alii Septembris, quo humana reliquit.

XXVI. Reginbertus Comes de Hagenow ab anno 1138. conſecratus à Conrado I. Salisburg. ad 1148. quo mortuus eſt, die 10. Novembris.

XXVII. Conradus I. S. Leopoldi Marchionis Auſtriæ filius, ab anno 1149. ad 1164. diem 29. Junii, quo translatus ad Metropolim Salisburgenſem.

XXVIII. Rupertus ab anno 1164. mortuus anno ſequenti, die 3. Novembris: Schiſmaticus.

XXIX. Albo ſeu Albanus, ab anno 1165. uſque ad 1168. quo de ſede pulſus eſt à Patavienſibus Schiſmaticis.

XXX. Henricus Comes Bergenſis ab anno 1169. die 4. Auguſti, ad 1171. quo abdicavit.

XXXI. Dietboldus Comes Bergenſis Henrico ſubſtitutus anno 1172. menſe Martio; conſecratus in Epiſcopum die 23. Septemb. ejuſdem anni Patavix. Deceſſit an. 1190. 3. Novemb. Antiochiæ ſepultus Accarone.

XXXII. Wolfgerus de Ellenbrechtskirchen, renunciatus anno 1191. die decima Martii conſecratus ab Adalberto Saliſb. die 9. Junii, translatus ad Patriarchatum Aquilejenſem anno 1204. inclinante.

XXXIII. Poppo ab anno 1204. quo ipſo teſtem adhuc egit Notitiæ, quam Eberhardus II. Archiep. Saliſb. edidit de donatione nobilis fœminæ Diemut, quæ prædium Wenge Admontenſibus donaverat. Subſcriptus: *Poppo Præpoſitus Aquilegienſis Eccleſiæ actum anno MCCIV. Indict. VII.* die non adjecto. Obiit Poppo anno ſequenti, 26. Decemb.

XXXIV. Manegoldus Comes Bergenſis ab anno 1206. Obiit anno 1215. die 8. vel 9. Junii.

XXXV. Ulricus II. Protonotarius Ducis Auſtriæ ab anno 1215. Obiit rediens è Palæſtina loco ignoto, anno 1221. ultimo die menſis Octobris.

XXXVI. Gebhardus Comes de Pleien ab an. 1221. exeunte uſque ad an. 1232. quo de ſede ceſſit: mortuus eodem anno, die XI. Octobris.

XXXVII. Rudigerus de Radek ab anno 1233. conſecratus anno 1234. Exauctoratus anno 1249. demum anno 1258. mortuus. Extat in Cod. Diplom. Admont. Notitia Eberhard. II. Archiep. Salzb. ſuper transactione interOttakarum militem & Abbatem Admontenſem de Decimis in Gamer. Dat. Indict. V. (quæ reſpondet anno 1232.) V. Id. Junii. ſubſcriptus *Rudigerus Kymenſis*. Unde rectè regimen ejus Patavienſe, ad quod translatus eſt, ab anno 1233. auſpicamur, quippe ſede aliquamdiu vacante.

XXXVIII. Conradus II. è Ducibus Poloniæ ſeu Sileſiæ ab anno 1250. deſeruit ſedem eodem anno.

XXXIX. Bertholdus Comes de Petingeu ab anno 1250. die 15. Junii. Indè anno ſequenti in quadrageſima conſecratus in Bohemia à Pragenſi & Olomucenſi. Obiit anno 1254. 25. menſis Januarii; nam ad hunc menſem Anniverſarius ejus in æde Patav. adſcriptus eſt. Sepultus in æde Cathedrali.

XL. Otto de Lonſtorff ab anno 1254. menſe Februario. Obiit an. 1265. 9. Aprilis. ſepultus in templo cathedrali ante aram S. Bartholomæi.

XLI. Wladislaus filius Regis Bohemiæ electus anno 1265. Ante aditam poſſeſſionem vocatur ad thronum Salisburgenſem eodem anno.

XLII. Petrus ab anno 1265. ad an. 1280. quo deceſſit die 20. Febr. ſepultus in medio templi Patav. ante aram S. Valentini. Habet Anniverſarium.

XLIII. Wichardus à Polheim. ab anno 1280. conſecratus eodem anno die 5. Maji. Obiit Viennæ an. 1282. 17. Decemb. ſepultus in æde Cathedrali ante aram S. Mariæ Magdalenæ.

XLIV. Godefridus I. Weſtphalus, Protonotarius Rudolphi Regis, ejúsque Legatus in Italiam, ubi reformavit acta Rudolphi Cancellarii in fraudem Sedis Apoſtolicæ attentata. Renunciatus Epiſcopus Patav. an. 1283. die 10. Febr. conſecratus Salzburgi à Friderico Archiepiſcopo eodem anno, die 7. Martii. Mortuus Norimbergæ anno 1285. in Octava Paſchæ, quæ vel erat Kalendæ Aprilis, tum Dominica in Albis, vel verò dies octavus Aprilis, quæ erat Dominica proxima à Dominica Albis, ſic ut τὸ *Octava Paſchæ* intelligatur de Octava Dominicæ in Albis, quæ hebdomadam Paſchalem claudit, & *Paſcha minus* appellatur: & hunc diem pro Godefridi mortis anniverſario notaverat Necrologium Sanct-Hippolytanum.

XLV. Bernhardus à Prambach electus anno 1285. circa diem 24. Maji. Obiit an. 1313. 27. Julii, quo & habet Anniverſarium. ſepultus in Cathedrali ante aram S. Jodoci.

XLVI. Albertus Auſtriæ Dux, & Gebhardus Walſeus diſparibus votis electi anno 1313. neuter confirmatus. *Gebhardus* obiit anno ab electione ſecundo Lugduni in Curia Papæ, id eſt Cardinalium, quippe Sede Romanâ tunc Acephalâ. Alberti receptio pariter ſuſpenſa, qui deinde tranſiit ad nuptias.

XLVII. Albertus II. è Saxoniæ Ducibus, conſtitutus à Papa Joanne XXII. an. 1320. conſecratus Salisburgi an. 1321. Dominicâ Paſſionis. Obiit an. 1342. 19. Maji. ſepultus in Cathedrali ante aram S. Bartholomæi.

XLVIII. Godefridus II. Baro de Weiſſenek ab anno 1342. Obiit an. 1362. 16. Septemb. quo & habet Anniverſarium. ſepultus ante Altare Corporis Chriſti, in templi ſuperioris abſide ſeptentrionali.

XLIX. Albertus III. è Baronibus de Winkel ab anno 1363. Obiit an. 1380. poſt Martium; credo menſe Aprili: nam iſto habet Anniverſarium. Sepultus ad ædis principis parietem ſeptentrionalem.

L. Joan-

L. Joannes de Scharffenberg poſt unius anni vacationem electus anno 1381. Obiit an. 1387. 3. Februarii, ſepultus in æde Cathedrali ad parietem Auſtralem. Habet Anniverſarium.

LI. Georgius I. Comes ab Hohenlohe contra *Hermannum Digni* Decanum à Capitularibus electum, & *Rupertum* Ducem Montenſem à Papa nuncupatum, Epiſcopatum adit anno 1388. Anno ſequenti ad preces Ducis Auſtriæ confirmatur à Papa, Ruperto Montenſi ad Sedem Paderbornenſem deſtinato, ad quam, cùm is anno 1390. tranſiſſet, Georgius quietam poſſeſſionem obtinet. Deinde anno 1415. per Joannem XXIII. acquirit pro ſe & ſucceſſoribus exemptionem Pataviensis Eccleſiæ & jus utendi pallio. Id à Martino Papa jam confirmatum, jam revocatum, poſtremò conceſſum *pro perſona Georgii*, ſecùs ſucceſſorum. Commendatus eſt ei ſub extremum Archiepiſcopatus Strigonienſis: mortuus Strigonii in Hungaria anno 1423. 8. Auguſti. Sepultus in æde Patavienſi ante aram S. Mauritii extra chorum.

LII. Leonardus de Layming anno 1423. per compromiſſum electus ab Archiepiſcopo Salisburg. Eberhardo Neuhuſio; confirmatus à Papa Martino ſub anni 1424. principium. Eodem anno conſecratus ab Archiepiſcopo Salisb. ſed rejectus ab Alberto Auſtriaco & parte Capitularium; demum anno 1427. ab Auſtriacis receptus. Obit anno 1451. 24. Junii. ſepultus in æde Cathedrali. Habet Anniverſarium menſe Junio.

LIII. Udalricus III. de Nusdorff. Electus anno 1451. 19. Julii. Dein anno 1454. confirmatus. Tum anno ſequenti menſe Majo à Salisburgenſi conſecratus. Obit an. 1479. circa Kal. Sept. ſepultus in æde Patav.

LIV. Georgius II. Hasler Cardinalis, ſtudio Cæſaris & Papæ contra Suffragia potiora Capitularium ad Sedem deſtinatus, confirmatus anno 1480. 28. Januarii; poſt multa certamina receptus à civibus Patavienſibus anno 1482. Kalendis Junii: ſed ex arce infeſtatus excedere cogitur: Dùmque amne Danubio devehitur, obit in navi, die 21. Septemb. ejusdem 1482. ſepultus Viennæ in æde B. V. ad ripam. Addo, quod ſeriùs ex authore Synchrono didici, Jacobo Unreſto, loci cujusdam in Carinthis parocho, qui Chronicon rerum Auſtriacarum ſub Friderico IV. Imperatore ſcripſit. Is refert Georgium, quum contra vim præfecti arcenſis & Bavari, poſſeſſionem urbis Patavienſis retinere non valeret, tandem eò adactum, ut cum æmulis hunc in modum tranſigeret: Aulam Epiſcopi Patavienſis, quæ Viennæ eſt, haberet ad dies vitæ; præterea caſtrum Eberſtorff: ad hæc penſionem annuam duûm millium florenorum. Et hic factum ait, ut lupo Patavienſi cum lepore non conveniret.

LV. Fridericus I. de Mitterkirchen, ex conventione cum Georgio ſucceſſit: confirmatus anno 1482. die 30. Octobris. Obit an. 1485. 22. Novemb. in oppido Landshutano, ſepultus in Braunau.

LVI. Fridericus II. Comes ab Oeting: electus anno 1485. die 2. Decemb. Confirmatus anno ſequenti, 15. Febr. non conſecratus. Obit Lincii Auſtriæ ſuperioris anno 1490. 3. Martii, ſepultus in Baſilica Patavienſi juxta aram S. Georgii.

LVII. Chriſtophorus Schachner electus anno 1490. XI. Martii. Confirmatus eodem anno, & conſecratus, obit an. 1500. 3. Januarii: humatus Pataviæ in Sacello B. V.

LVIII. Wigileus Fröſchl de Marzols ſeu Marciolis loco Bavariæ propè Reichenhall, ad fines Salisburgenſes. Electus anno 1500. 14. Januarii. Confirmatus eodem anno, die 30. Aprilis. Obiit anno 1517. die 6. Novemb. ſepultus prope aram S. Valentini & Maximiliani parte Boreali.

LIX. Erneſtus è Ducibus Bavariæ. Additus Wigileo Coadjutor anno 1516. 28. Januarii. Init poſſeſſionem anno 1517. 15. Novemb. Tranſit ad Metropolim Salisburgenſem anno 1540. menſe Octobri. Non conſecratus.

LX. Wolfgangus I. Comes de Salm. Electus anno 1540. circa feſtum S. Martini. Confirmatus anno ſequenti 18. Febr. Obit an. 1555. 5. Decemb. ſepultus in Baſilicæ parte meridionali, contra aram S. Valentini.

LXI. Wolfgangus II. à Cloſen electus an. 1555. 20. Decemb. confirmatus an. ſeq. die 12. Junii. Tum conſecratus à Salisburgenſi XI. Octob. anni ejusdem 1556. Obit an. 1561. 7. Auguſti. ſepultus in parte Auſtrali Baſilicæ juxta aram S. Valentini.

LXII. Urbanus à Trenbach electus an. 1561. 18. Auguſti. Confirmatus à Pio IV. anno eodem 19. Novemb. Conſecratus Pataviæ à Metropolitano Joanne Jacobo an. 1562. 5. Aprilis. Obit anno 1598. 9. Auguſti. Rexit omnium diutiſſimè, annis 37. demptis diebus 9. ſepultus in ſacello Sanctiſſimæ Triados ab ſe conſtructo.

LXIII. Leopoldus I. Archidux: ſumptus in Coadjutorem Patavienſem anno 1598. ætatis duodecimo. Anno 1605. regimen aggreſſus. Tranſit ad conjugium anno 1626.

LXIV. Leopoldus II. Archidux; electus & confirmatus anno 1626. Poſſeſſionem capit anno 1631. Obit anno 1662. 20. Novembris. ſepultus Viennæ in Mauſoleo Majorum apud Capuccinos.

LXV. Carolus Joſephus Archidux deſignatus Leopoldi Succeſſor anno 1662. 13. Aprilis. Moritur Lincii anno 1664. 27. Januarii. compoſitus Viennæ apud Capuccinos.

LXVI. Wenceslaus è Comitibus à Thun electus anno 1664. 27. Martii. Confirmatus 1665. menſe Julio, datâ inſuper veniâ retinendi ſimul Epiſcopatum Gurcenſem; imò & Canonicatum Salisburgenſem, de quo literæ Alexandri VII. datæ anno 1665. 18. Decemb. Obit anno 1673. 6. Januarii: ſepultus in conditorio Epiſcopali ſubtus aram majorem.

LXVII. Sebaſtianus è Comitibus à Pötting electus an. 1673. 10. Martii. confirmatus eodem anno; adminiſtratione ob valetudinem abſtentus anno ante obitum, quem fecit anno 1689. 16. Martii. Depoſitus in crypta Epiſcopali.

LXVIII. Joannes Philippus è Comitibus de Lamberg electus anno 1689. 25. Maji conſecratus à Leopoldo Cardinale Colonitzio Pataviæ feſto Pentecoſtes, anno 1690. Tum anno 1700. 21. Junii renunciatus Cardinalis: Obiit Ratisbonæ anno 1712. 20. Octobris: quieſcit in ſacello ab ſe condito.

LXIX. Raymundus Comes Rabatta. Electus an. 1713. 18. Januarii. Obiit an. 1722. nocte quæ 25. Octob. excipit: ſepultus in crypta Epiſcopali.

LXX. Joſephus Dominicus è Comitibus à Lamberg: electus anno 1723. 2. Januarii.

VI. Cata-

VI.

Catalogus Suffraganeorum Patavienſium, quotquot inveniri potuerunt, ſeu Cooperatorum in Pontificalibus, uti vocantur in literis antiquis.

Adjicimus annos, non quibus orſi ſunt, ſed quibus eorum functionem aliquam reperimus.

I. *Madalwinus* Burchardi Ep. Pat. Chorepiſcopus an. 902.

II. *Sigilbertus* an. 1080.

III. *Malachias* Lesmorenſis Ep. anno 1207.

IV. *Petrus* I. Tripolitanus Ep. Ord. Minorum in Suffraganeum aſſumptus anno 1280.

V. *Conradus* Anienſis Ep. Ord. S. Benedicti an. 1311.

VI. *Hermannus* Priſinenſis Ep. Ord. Prædicator. an. 1317. 1318. 1320.

VII. *Petrus* II. Marchopolenſis Ep. Ord. Min. anno 1341. Obiit an. 1349. Idib. Octob. Humatus in Templo Minorum Viennæ ante aram S. Catharinæ proximè murum, ùt habet Necrologium cjus Monaſterii, cui res ſuas omnes legavit, quas deinde cum magno labore & tædio obtinuiſſe ab Ep. Patav. Godefrido, ſcribit Henricus Gardianus, adjurátque Gardianos Succeſſores ad Anniverſarium Petri.

VIII. *Ortolfus* de Alzenbruk Archiepiſcopus Apameenſis conſecravit ædem Auguſtinianorum *de licentia Epiſcopi Patavienſis, cujus tunc*, inquit, *in Pontificalibus vices gerebamus. Datum & Actum anno 1349. Kal. Novembris.* Hunc aliquando cenſebamus non fuiſſe Suffraganeum, ſed pro actu tantùm peculiari requiſitum, quod modò ſic limitamus, ut exiſtimemus non fuiſſe Suffraganeum, niſi ad breve. Quum enim titulum gereret Archiepiſcopi, fierétque, ut dignitate Patavienſem præcederet (unde & in literis publicis ſubinde datis eidem præponitur) credo, provinciam Suffraganei paulò pòſt depoſuiſſe, transmiſſam ad Petrum quendam, quem conſtat Ortolpho vivente Suffraganeum fuiſſe, ut videre eſt in geſtis Alberti ſecundi & tertii Epiſcoporum Patavienſium.

IX. *Petrus* III. Marchopolenſis Ep. an. 1359. 1363. 1365.

X. *Simon* Caſtorienſis Ep. Ord. S. Auguſtini. an. 1383.

XI. *Petrus* IV. Marchopolenſis Ep. an. 1400.

XII. *Nicolaus* I. Warnenſis Ep. an. 1407.

XIII. *Andreas* I. Victricenſis Ep. an. 1420. Obiit eodem anno, ſepultus in templo cœnobii Engelhartzell.

XIV. *Mathias* Victricenſis Ep. an. 1437. 1438. quo reconciliavit monaſterium S. Hippolyti, capellas & cœmiterium IV. Decemb. Dat. ibidem.

XV. *Nicolaus* II. an. 1441.

XVI. *Joannes* Victricenſis Ep. Leonardi Ep. Pat. cooperator refert, ſe conſecrâſſe Capellam in Curia S. Hippolyti Wiennæ proximâ feriâ poſt S. Blaſii, ſtatuiſséque celebrari feſtum Dedicationis Dominicâ proximâ poſt feſtum S. Hippolyti, conceſſis de more Indulgentiis. Ita Literæ datæ an. MCCCCXLIV. Idem eodem anno conſecravit Capellam in Curia S. Hippolyti, in Jewching, in honore S. Hieronymi & S. M. Magdalenæ.

XVII. *Nicolaus* III. Marchopolenſis Ep. Ord. Prædicator. an. 1453. cujus memoriam Necrologium Monaſterii S. Andreæ in Auſtria facit ad XVI. Kal. Martias, velut evergetæ, *qui dedit nobis reditus*, inquit.

XVIII. *Wolfgangus* Yponenſis Ep. Ord. Minorum (in Catalogo Abbatum Seittenſtettenſium appellatur *Wolfgangus Vitricenſis*) an. 1465. 1466.

XIX. *Andreas* II. Conſtantienſis Ep. an. 1477. Sic cenſeo ſcribendum pro anno 1487. pag. 595. a. ne ſcilicet fiat concurſus cum Suffraganeo ſequenti.

XX. Albertus Salonenſis Ep. an. 1478. 1489. Anniverſarius ejus in Eccleſia Patav. agitur menſe Junio.

XXI. *Nicolaus* IV. Yponenſis Ep. an. 1494. 1495. 1498.

XXII.

XXII. *Bernardus Meurl* Lybanenſis Ep. an. 1500. 1501. 1511. 1521. Ejus memoria fit in Necrologio Scotenſi ad V. Kalend. Febr.

XXIII. *Henricus* Chryſopolytanus Ep. an. 1532.

XXIV. *Thomas* Murnanus Ord. Min. creatus Suffraganeus. an. 1536.

XXV. *Hector Wegmon* an. 1581. 1589.

XXVI. *Joannes Premer* Symbalienſis Ep. an. 1610. 1629.

XXVII. *Joannes Bartholomæus Kobalt* Lampſacenus Ep. an. 1640.

XXVIII. *Nicolaus* IV. *Aliprandus de Thomaſis* an. 1641.

XXIX. *Udalricus Grapperus* Lampſacenus Ep. an. 1647. 1652. 1655.

XXX. *Martinus Geiger* Lampſacenus Ep. an. 1658. 1668. quo conſecravit Eccleſias plures Maurbacenſes. Obiit an. 1669.

XXXI. *Jodocus à Brendt* Lampſacenus Ep. Ob. an. 1686. 23. Febr.

XXXII. *Maximus Steiner* Selybrienſis Ep. Obiit an. 1692. ſepultus in templo Soc. JESU Paſſavii ſub ara S. Ignatii.

XXXIII. *Joannes Raymundus* Comes à Lamberg ex Ord. Capuccinorum, Aulonenſis Ep. Obiit an. 1725. 6. Aprilis.

XXXIV. *Franciſcus Aloyſius* Comes à Lamberg Nilopolitanus Ep. creatus an. 1525. menſe Octobri. Vivit.

VII.

Catalogus Præpoſitorum Patavienſium, excerptus ex Archivo Capituli, idémque cum eo, quo uſus eſt Hundius, multis hic partibus correctus & ſuppletus.

I. Wiziman.

II. Lembertus, *fortè Rembertus.*

III. Rudmarus.

IV. Luitolphus.

Ea, quæ noſtra ſunt, typo currenti exprimuntur.

V. Willichintus. *Wichingus anno 895. Arnulphi Imper. Cancellarius, cujus gratiâ & Præpoſitus & deinde anno 998. Epiſcopus Patav. creatus eſt.*

VI. Megilo.

VII. Altmannus.

VIII. Utakar Præpoſitus & Archipresbyter.

IX. Cadalochus an. 1047.

X. Azilo an. 1048.

XI. Engelbertus ſeu Egilbertus Præpoſitus reſiſtit Epiſcopo Patav. Altmanno proferenti decretum Pontificis Gregorii de cœlibatu. Factus Archiepiſcopus Trevirorum an. 1078.

Hi quatuor omiſſi in Inſtrumento.

XII. *Wilipoldus Tumpræpoſitus ſubſcripſit fundationi Cœnobii S. Nicolai an. 1076.*

XIII. *Gumpoldus Præpoſitus S. Stephani ſubſcriptus Notitiæ Udalrici I. Ep. Patav. dè fundatione Seittenſtettenſi anno 1116.*

XIV. *Liuprandus Præpoſitus Patavienſis, cujus Anniverſarius ponitur in Necrologio Admontenſi ad diem III. Kal. Junii, anno non adjecto: nos per conjecturam hunc in locum conjicimus.*

XV. *Cadelhobus Præpoſitus S. Stephani Patav. adſuit decimationi ad Schwarzaham, pertinenti olim ad Cœnobium S. Nicolai. Teſtis producitur à Reinberto Ep. Pat. in literis Concambii triplicis, initi cum Monaſterio S. Nicolai anno 1143.*

XVI. Albono ſeu Albanus, deſignatus ab Imperatore Friderico Barbaroſſa Epiſcopus Patav. *anno 1165. Expulſus à Patavienſibus anno 1168. rediit Friſingam, cujus Eccleſiæ Canonicus erat. Fuit in vivis anno 1177. An ad Præpoſituram redierit, ùt in Inſtrumento dicitur, non conſtat.*

XVII. Otho I. ſucceſſit Albono an. 1165. Is S. Stephano aureum calicem & auream crucem dono dedit.

XVIII. Heinricus I. anno 1182.

XIX. Menigotus I. (al. Meingotus, Megengotus) *Archidiaconus & Præpoſitus* an. 1192. *item teſtis literarum Wolfgeri Ep. Patav. pro Oſterhovenſibus an. 1195. Item literarum Othonis Ep. Patav. pro Collegio S. Nicolai an. 1204.*

XX. Eberhardus anno 1212. 1213. & 1216.

XXI. *Hærtuidus Præpoſitus teſtis diplomatis Ulrici Ep. Patav. pro Collegio S. Nicolai an. 1220.*

In Inſtrum. ſcriptum *Hartundus*: apud Hundium *Hartundus*. Iſte omittitur in Inſtrum.

XXII. *Heinricus II. Tumpræpoſitus an. 1222. 1227. ubi teſtis eſt diplomatis Gebbardi Ep. Pat. pro monaſt. S. Nicolai. Item teſtis diplomatis Friderici II. Imp. pro Tegernſeenſibus apud Fogiam in Regno Neapolitano anno 1230.*

XXIII. Meingotus II. nobilis de Waldek an. 1250. *1261. 1262. 1264. 1266.* 1268.

XXIV. Wicherus (*Wichardus à Polheim*) *Tumpræpoſitus anno 1274.* 1276. *electus in Epiſcopum Patav. an. 1280.*
Hic in inſtrumento inſeritur Guilielmus ad annum 1278. Qui tamen locum non habet, ùt conſtat ex Actis Wichardi Ep. niſi dicatur aut Wichardum ante Epiſcopatum depoſuiſſe Præpoſituram, aut anno 1280. breviſsimo tempore Guilielmus præfuerit.

XXV. Godefridus (qui in Inſtrumento perperam dicitur *de Weiſſenek*) *an. 1280. 1282. 1284.* 1289. *1309.* 1313. *1316. Quo ipſe cum Meingoto Decano dederunt literas ad Papam pro ratihabitione donationis Bernardi Ep. quâ Medlicenſibus donaverat parochiam Draskirchen.*

XXVI. Meingotus III. *anno 1317. cum Meingoto Decano conſenſit in donationem prædictam parochiæ Draskirchen die S. Wilibaldi. Item an. 1318.* 1319. & adhuc anno 1324.

XXVII. Albertus I. de Mœrſpach. an. 1326.

XXVIII. Wolfhardus an. 1333.

XXIX. Albertus II. de Marſpach an. 1337. *1342.*

XXX. Guilielmus de Winsberg an. 1347.

XXXI. Otho II. anno 1352.

XXXII. Albertus III. *de Winkel* an. 1358. *1362. Creatus Epiſcopus Patav. an. 1363.*

XXXIII. Joannes I. de Scherffenberg an. 1334. *1376. demum anno 1380. Creatus Ep. Patav.*

XXXIV. Otho III. de Layming an. 1397. 1413. Habet Anniverſarium menſe Julio.

XXXV. Wenceslaus Thiem an. 1415. *1423.* 1424.

XXXVI. Heinricus III. de Ahauſen.

XXXVII. Paulus Baro de Polheim an. 1429. 1440.

XXXVIII. Ulricus Comes de Ortenburg præfuit adhuc an. 1454.

XXXIX. Sigifridus Nothafft an. 1455. Obiit an. 1476.

XL. Wilhelmus de Ahaim *an. 1479.* Ob. an. 1495.

XLI. Georgius Bernbegg an. 1498. Ob. an. 1502.

XLII. Joannes II. Gumpenbergius an. 1504.

XLIII. Wilhelmus Nothafft an. 1504.

XLIV. Joannes III. Koller Auguſtanus an. 1508. 1517.

XLV. Joannes IV. Resberg (Hundius ſcribit *Reslerus.*) Auguſtanus an. 1532.

XLVI. Wolfgangus Comes à Salm an. 1534. Creatus Ep. Patavienſis. an. 1540.

XLVII. Erhardus à Lechenrot ſucceſſit an. 1541.

XLVIII. Chriſtophorus à Trenbach ſucceſſit an. 1542. Obiit anno 1553.

XLIX. Urbanus à Trenbach frater germanus Chriſtophori modò dicti, ſucceſſit an. 1556. Electus in Epiſcopum Pat. an. 1561.

L. Vitus à Fraunberg in Poxau ſucceſſit Trenbachio, & paulò poſt eligitur in Ep. Ratisbonenſem.

LI. Julius Auer de Tobl & Cleberg ſucceſſit Vito à Fraunberg.

LII. Martinus Eiſengrein Theologiæ Doctor an. 1568. Ob. an. 1579.

LIII. Chriſtophorus Pöttinger de Perſing *Adminiſtrator Epiſcopatûs poſt Urbanum Trenbachium; ſub quo Præpoſitum egerat, addiditque conſenſum & nomen ſtatutis Capituli anno 2594.*

LIV. Jacobus Chriſtophorus Kempf, præfuit uſque ad annum 1654.

LV. Fridericus Cardinalis ab Haſſia, Præpoſitum egit annis X. uſque ad an. 1665. quam Spartam deinde, probante Pontifice, Andreæ Portner reſignavit: Hic illam arbitrio Leopoldi Guilielmi Archiducis & Ep. Patav, remiſit.

LVI. Sebaſtianus Comes à Pötting Ep. Lavant. factus Præpoſitus an. 1665. *deinde Ep. Patav. an. 1673.*

LVII. Franciſcus Antonius Comes de Loſenſtein Officialis, factus Præpoſitus an. 1673. idémque Epiſcopus Ducienſis, & Coadjutor Olomucenſis.

LVIII. Franciſcus Antonius Comes de Harrach ab an. 1691. dein aſſumptus in Coadjutorem Archiep. Saliſb. an. 1705.

LIX. Joſephus Dominicus Comes à Lamberg ab an. 1706. die 27. Maji. *Creatus Ep. Patav. an. 1723. 2. Januarii.*

LX. Henricus Ferdinandus L. B. à Plettenberg ab an. 1723. die 6. Maji.

Supplevimus itaque Catalogum Præpoſitorum Capitibus V. Supplebimus & Catalogum Decanorum Capitibus VI. qui in Inſtrumentis MSS. & apud Hundium deſiderantur.

VIII.

Catalogus Decanorum Patavienſium.

Character curſivus noſtra denotat.

I. *Berngerus 1013. evectus in Ep. Pat.*

II. Wiſibertus.

III. Racco an. 1048.

IV. *Erkbengerus ſubſcriptus fundationi Monaſterii S. Nicolai an. 1076.*

V. Rudbertus I. an. *1152. 1155.* 1164. *quo factus Ep. Patav. Schismaticus.*

VI. Sigehardus *an. 1164. K. Aug. Teſtis diplomatis Rudberti Ep. Patav. pro Alderſpacenſibus* item an. 1167.

VII. Fridericus I. an. 1172. *1173. item anno 1177. laudat diploma Theobaldi pro Oſterhovenſibus.*

Sit infectum, quod ſcripſimus pag. 336. de Chunrado & Tagenone in margine.

VIII. Tageno an. *1889.* 1190. ſocius Dietpoldi Ep. Pat. in expeditione Aſiatica, quam & deſcripſit, in eâque deceſſit.

IX. Heinricus I. an. *1192.* 1193. *1197.*

X. *Otho I. an. 1198. ſubſcriptus præcepto Wolfgeri Ep. de caſtro Wildberg pro Gundakaro de Stira.*

XI. *Heinricus II. an. 1213. 1214.*

XII. Otho II. *an. 1216. 1220. Teſtis diplomatis Ulrici Ep. pro S. Nicolao.* item an. 1222. *teſtis diplomatis Gebhardi Ep. pro S. Nicolao.*

XIII. Chunradus an. 1224. *1225. 1227. 1235. 1236. 1238.* & adhuc an. 1245.

XIV. Albertus Bohemus Papæ Legatus. an. *1245.* 1250. *1252.*

XV. Popo an. *1257. 1260. 1261. 1262.* 1264.

XVI. Wichardus an. 1268. *Credo idem, qui deinde Præpoſitus pro Meingoto, anno 1268 deſinente, & demum Epiſcopus Patav. an. 1280.*

XVII. Wernherus *ſeu Bernardus* anno 1268. *Eodem anno* deſignatus Epiſcopus Seccovienſis. *Ob. an. 1283.*

XVIII. *Ulricus Decanus ſubſcripſit fundationi Monaſterii Cellæ Principum an. 1274.*

XIX. Otho III. an. 1276.

XX. Wolfgerus I. an. *1284.* 1290. *1300.* 1312.

XXI. Meingotus *ſeu Meningodus* an. *1316. 1317.* 1318.

XXII. Wolfgerus II. de Ayſterhaim an. 1318. 1320.

XXIII. Albertus de Mœrſpach (non *de Winkel*) an. 1321. item an. 1324. *factus Præpoſitus, non Epiſcopus, ut dicitur in Inſtrum.*

XXIV. Wolfgerus III. an. 1327. & 1332.

XXV. Jacobus an. 1333.

XXVI. Otho de Lonſtorf, an. 1341.

XXVII. Gundacherus an. 1352. *1362.*

XXVIII. Hermannus Digni an. 1374. *1376. 1383. 1387. Quo electus in Epiſcopum Patav. ſed non confirmatus, dignitate ceſſit, & adhuc an. 1388.* 1389.

XXIX.

XXIX. Joannes de Senging an. 1392.

XXX. Fridericus II. an. 1400.

XXXI. Wenceslaus *fortè idem cum Wenceslao Thiem Præpoſito.* Decanum egit an. 1412. *Miſſus ab Joanne XXIII. ad prædicandam Crucem in Auſtria contra Ladislaum Apuliæ Regem.* In inſtrumento legitur *Wenceslaus fortè Diem*, id eſt *Thiem*, quod Hundius ſecus intellectum ſic exſcripſit: *Wenceslaus fortè per unum diem.*

XXXII. Henricus III. Flökel de Küzpühel Decretorum Doctor an. 1418. *1423. Æmulus Leonardi Ep. pro mitra Patavienſi: de quo plura in Actis Leonardi.*

XXXIII. Sylveſter Flieger an. 1433. *1437.* Fit Epiſcopus Chiemenſis an. 1438.

XXXIV. Burchardus, cognomento Krebs ex Herrenberga Wirtenbergici Ducatûs oppido natus, vir literis clarus, fundator burſæ Liliorum & quorundam ſtipendiorum pro Suevis Viennæ. Decanum egit ab anno 1438. Obiit anno 1462. Statuit de recipiendis Canonicis *Expectantibus.* Habet Anniverſarium menſe Aprili.

XXXV. Henricus IV. anno 1463.

XXXVI. *Joannes Rot invenitur ſubſcriptus in Diplomatis Friderici IV. Imper. ad annum 1467. Patavienſis & Uratislavienſis Decanus, Protonotarius Cæſaris. Factus Epiſcopus Lavantinus anno 1469. deinde Vratislavienſis.*

XXXVII. Valentinus Bernbegg Decretorum Doctor anno 1469. *1479.* Obiit anno 1485.

XXXVIII. Chriſtophorus Schachner Bavarus Valentino ſucceſſit: factus Ep. Patav. anno 1490.

XXXIX. Wigileus Fröſchel ſucceſſit Schachnero; *diſciplinæ curandæ ſtudioſior, quàm ſuſtinerent nonnulli, quorum odio compactus in carcerem; è quo ad ſolium Patavienſe aſcendit* anno 1500.

XL. Wolfgangus à Thanberg fit Decanus an. 1500. Obiit an. 1522.

XLI. Rupertus II. à Moſheim I. U. D. ſucceſſit Thanbergio. Præfuit uſque ad an. 1539. De ſomniis ejus, quæ conceperat ad reformandam fidem, atque ſectas omnes in unum quaſi modulum confundendas, nonnulla memoravimus in Actis Erneſti Ep. pag. 609. Porro ne talium rerum curioſos hac etiam parte fraudemus, damus hìc uberiùs rem omnem, quam ex ipſis Actis MSS. operosè collegimus. Statuebat igitur ſectas omnes, uti & Romanam Catholicam doctrinam revocandas eſſe ad unicum fundamentum *Verbi Triunius*, quod Chriſtus eſt, ſic, ut ex hoc veluti ex centro & circulo prománet, nempe ex monade & ab unitate Fidei & Verbi, ex quo facta ſunt omnia, & in quod reverti omnia debeant, eóque Fidei inter Chriſtianos unitas conſervari. Quandoquidem unitas Fidei ſine unitate Verbi conſtare & ſubſiſtere non poteſt. Et quemadmodum Eccleſia ab unitate & monade cœpit, & per unitatem Fidei & Verbi aucta eſt, & tandem per verbum Babel, hoc eſt confuſionis & erroris omnium ſectarum nunc in Chriſtianiſmo per Antichriſtum collapſa, proſtrata, & penè extincta eſt; ſic nunc ex magna Dei miſericordia unitas & concordia Eccleſiæ per unitatem Verbi & Fidei reſtituenda, reformanda & conſervanda eſt: Atque hæc, inquit, divina cœlitúsque miſſa doctrina ex uno, per unum, in unitate, ex unitate, per unitatem, in unitatem Verbi, in Verbo quod Chriſtus eſt, adeò ſtabilis eſt & firma, ut per eam & Papiſtica & Lutherana & Zwingliana & Anabaptiſtica aliæque ſectæ eisdem adhærentes dextrè & pacatè in unam conſenſionem Fidei & uniformem, piam, probam, operúmque effectricem doctrinam conflari poſſint, per eámque jugulari quatuor Capitales Antichriſti, quos ſe Cæſari revelaturum ſpopondit, uti & alia, quæ uni ſibi à DEO revelata jactabat. **Delirium Rup. à Moſhaim.**

Hanc ipſam doctrinam pluribus explicuit in libris quatuor *De Monarchia & Renaſcentia Chriſtianæ Fidei*; ubi fœda quæque in Romanam Sedem effudit; conferens Eccleſiam Romanam meretrici magnæ; ejus Præſidem appellans Antichriſtum: neque mitiùs invectus in Lutheranos, quorum doctrinam appellabat falſam, erroneam, impiam, in eâque Antichriſtum, antiverbum & anti-

antipartem Dei reſidere & regnare. In libro quarto de Monarchia, jactabat ab ſe promi ſingulare inventum, rationémque ſtabilem, qua generale, legitimum, Chriſtianum Concilium in promptu pacatè fundatéque inſtitui poſſit; nempe quo pacto Microcoſmus debeat celebrare microſynodum, id eſt quemadmodum Chriſtianus quisque privatum ſecum ipſo Concilium inire debeat: ex quo rationem modúmque præſcribebat celebrandi megaſynodum, id eſt, Concilium magnum & publicum, ſic ut microſynodus ſit quædam quaſi adumbratio megaſynodi.

His cogitatis ebrius finem nullum faciebat maledictis inceſſendi Papatum; quam ille viam juris Evangelicam, admonitionis & correptionis fraternæ appellabat. Anno 1537. die 10. Auguſti ſermonem è ſuperiore loco habuit coram Ferdinando Rege ejusmodi criminationibus refertum: ſed ab Rege auribus averſis auditus, atque in ſuſpicionem hæreſis vocatus, acceſſit ad Nuncium Apoſtolicum Joannem Moronum in aula Regis verſantem, eóque coram Viennæ prælegit ſcripta tria, quibus fœda quæque de abuſionibus Papatûs complexus venditabat *Informationem ſeu Inſtructionem pro Summo Pontifice ſeu futuro Concilio de Religione reſtituenda*: in ſecundo, quod *Antichriſtianicam* vocabat, invehebatur in Bullam Indulgentiarum à Paulo tertio Papa per Bohemiam publicatam anno 1537. Tertium ſcriptum ejusdem furfuris, quod *Antibullam Pauli tertii* appellabat. Chartaceos iſtos coram Nuncio, tres continenter dies legebat eo, uti præſeferebat, conſilio, uti prædictus Nuncius permoveret Pontificem ad Decanum evocandum Romam, ubi remotis arbitris Sanctitatem ſuam de his ipſis commonere poſſet: ipſum etiam Decanum junctis cum Nuncio literis compellâſſe Papam; præterea Cardinalem Sadoletum, veniámque petiiſſe veniendi Romam: ſed eam profectionem per parcimoniam Pontificis, pérque Epiſcopum Tridentinum ac demum per ipſum Cardinalem Sadoletum fuiſſe impeditam narrabat idem Rupertus in Relatione, quam deinde coram Judicibus Cæſareis Hagenoviæ edidit.

Inſtitutus fuit Hagenoviæ conventus anno 1540. menſe Julio, ubi Rupertus mandato Regis Ferdinandi in quæſtionem vocatus eſt, conſtitutis ad eum audiendum Commiſſariis Friderico Nauſea, & Joanne Cocleo Doctoribus; coram quibus ille delirationes ſuas ac ſcilicet reformandæ Religionis inventa ſibi uni divinitus revelata, ea ferè, quæ hactenus retulimus, niſi quòd oratione multo longiore explicuit; ad extremum precatus Commiſſarios & Regem, uti munus, quod appellabat, divinum repellere ne velint; commendavítque ſe Regi uti Vaſallum, qui ob iſtam Religionis cauſam, bona, fortunáſque, ſacerdotia ſua, ſuúmque elegans & charum domicilium, quod habuerat Pataviæ, deſerere coactus ſit. Actum Hagenoviæ anno 1540.

Rupertus à Moshaim Doctor,
Decanus Cathedralis Pataviæ.

Quibus hunc in modum auditis Commiſſarii paulo antè dicti judicium de homine ſuum, ſequentibus ad Regem literis complexi ſunt:

„ Invictiſſime & Clementiſſime Rex.

„ Juxta pientiſſimam Sereniſſime Regie Majeſtatis Veſtre Commiſſionem Do-
„ ctor Rudbertus à Moshaim, Decanus quondam Pataviensis auditus eſt à no-
„ bis, idémque repertus, & intellectus in eo zelo, qui vix eſſe poteſt ſecundùm
„ veram ſcientiam, & ſecundùm eam ſcientiam, que ſic inflat ipſum, ut tan-
„ quam Suffenus quispiam omnia ſua probet, aliorum verò omnia damnet;
„ omnia de ſe preſumat, & promittat; nulla verò, vel certè pauciſſima pre-
„ ſtet, ita ſe intricans, ut vix à ſe ipſo, vel quovis alio verè poſſit intelligi;
„ ſe ſcire exiſtimans, quod omnes alios ante, & poſt ipſum latuerit, & lateat; ad
„ multa prorſus aberrans, utpote qui nec docere poſſit, nec à quopiam doceri
„ velit; in multis ſibi contrarius, & ſcripturas pro erroneo ſuo ſenſu perpe-
„ ram tractans; malè proponens, pejus aſſumens, peſſimè concludens; de
„ multis ſe jactitans, & iis quidem ſibi ſoli revelatis à DEO, que ſibi nulli mor-
„ talium, præterquam Ceſaree, & Regie Majeſtati, & Pontificie Sanctitati, di-
„ cere

Digitized by Google

„ cere non liceat; ſupplicans propterea, ut ab eis coràm poſſit, & perſonaliter „ audiri; revelaturus quatuor Capitales Antichriſtos, quos vel ſolus ſua do- „ ctrina jugulaturus ſit, & univerſam Eccleſiam reformaturus, & novam Hie- „ ruſalem conſtructurus, & id genus alia multò majora facturus. Hæc illi.

In cauſam deinde ingreſſus eſt Elector Moguntinus, hominémque excutiendum commiſit Julio Phflueg, item Cancellario ſuo & Doctori Jacobo Reiter, qui libros ejus quatuor *de Monarchia & Renaſcentia Chriſtianæ Fidei* in examen vocarunt. Argumentum eorum potiſſimùm erant contumeliæ in Imperatorem, Regem, Pontificem ejúsque Clerum univerſum, quibus omnibus denunciabat (niſi ociùs pœnitentiam egerint) ipſos unà cum Imperio Romano: Eccleſiâque Romana perituros & extirpandos ad exemplum Regni Judæorum. Ajebat Eccleſiam Romanam non in moribus tantùm, ſed & doctrina graviter lapſam. Tria potiſſimùm exprobrabat videlicet è Lutheri furno: Vitam luxurioſam Cleri, relegato matrimonio. Diviſionem Sacramenti Euchariſtiæ, abdicata altera ſpecie. Nundinationem Sacrorum per ſtipendia collata in miſſas. Hæc & alia quum deſiperet, compactus in carcerem obiit, anno 1544. (addit Hundius: *ſecundùm alios ſibi ipſi mortem conſcivit, mirabili hæreſi contaminatus*) indignus profectò, quem Geſnerus aliúque in Bibliothecam Scriptorum inſererent. Cæterùm hinc intelligas licèt integerrimum zelum Antiſtitis & Collegii Patavienſis, qui membrum adeò nobile ſed impurum non dubitaverunt ab corpore ſuo maturè reſcindere. Et hæc de Ruperto Decano: jam ſeriem reliquorum pertexamus.

XLII. Bernhardus Schwarz, patriâ Weiſſenhornanus oppido Sueviæ, I. U. D. & aliquamdiu in Academia Ingolſtadiana Profeſſor, fit Decanus an. 1539. Poſtea Præpoſitus in Mathſee Collegiata Eccleſiâ Pinzgovianâ, & an. 1555. Oenanæ Civitatis Parochus & Patavinorum Pontifex (*ita MS. interpretor:* Infulatus Officiorum Divinorum Paſſavii curator) *Interfuit anno 1569. Concilio Salisburgenſi.* Obiit an. 1580.

XLIII. Antonius Fabritius Theologiæ Doctor ſucceſſit Bernardo. Adpoſuit nomen ſtatutis Capituli anno 1594.

XLIV. Sigismundus Fridericus Fugger, Dominus Kirchbergæ & Weiſſenhorn: præfuit ſub Urbano Ep. Electus in Ep. Ratisbonenſem an. 1598. 2. Julii.

XLV. Carolus à Lamberg Baro præfuit ab anno 1598. ſubſcripſit Concordatis inter Rudolphum II. Cæſarem, & Leopoldum I. Archiducem, Patavienſium Antiſtitem anno 1600. factus Archiep. Pragenſis.

XLVI. Heinricus à Rohrbach Baro, mortuus anno 1612.

XLVII. Marquardus à Schwendi Baro, Adminiſtrator Epiſcopatûs ſub Leopoldo Guilielmo Archiduce, mortuus anno 1634. Decanatui præfuit annos 22. Habet Anniverſarium menſe Aprili.

XLVIII. Rothericus à Santhelier Comes, præfuit biennium. Factus Director intimi Conſilii Leopoldi Guilielmi Archiducis Viennæ.

XLIX. Joannes Georgius Comes ab Herberſtein præfuit annos quinque. Abdicavit, factus Ep. Ratisbon.

L. Joannes Hector Schad Baro, Adminiſtrator an. 1640. Decanus ab anno 1643. Obiit anno 1664. Præfuit annos 21.

LI. Leopoldus Comes à Kuen ab anno 1664. 7. Julii.

LII. Hermannus Mathias Comes ab Athimis ab anno 1684. 2. Novemb.

LIII. Traugott Comes à Kueffſtein ab an. 1713. 7. Martii.

LIV. Joannes Richardus Comes à Gallenberg ab anno 1716. 25. Auguſti. *Abdicavit anno 1726.*

LV. *Erneſtus Carolus Joſephus Comes à Peyrsberg electus an. 1726. 19. Octob. Vivit.*

IX.

Deſcriptio baſilicæ Cathedralis.

EJus principium ſtatuitur ad tempora Plectrudis, Pipini conjugis, quam ſub ſeculi VII. finem id opus molitam eſſe ſcribunt, & nos dudum retulimus. Conſecrata jam tum erat S. Stephano Protomartyri; ac deinde per Utilonem ac Thaſſilonem Ducem elegantiùs inſtaurata ob Sedem Epiſcopalem illic recèns collocatam. Nonnulli perhibent eam Thaſſilone Duce curante è fundamentis excitatam eſſe, ſub quod tempus S. Valentini corpus eò deportatum eſt ex urbe Tridentina, id eſt, circa annum 768. Stetit indè moles per ſecula complura inter hoſtium incurſiones innumerabiles; quum anno 1181. die 22. Aprilis oppidum univerſum cum æde ſacra procubuit in cineres, quo tempore ſepulchra Sanctorum illic acquieſcentium cœpêre ſignis & prodigiis coruſcare, uti meminêre Chronographi, intérque alia, ſepulchrum etiam Piligrini quondam Laureacenſis Archiepiſcopi. Singularem Inſtauratoris laudem habet Bernardus à Prambach Ep. anno 1291. quo ipſo corpora Sanctorum Maximiliani & Valentini Patronorum ad locum decentiorem tranſpoſuit. Indè Georgius Hohenlojus Ep. partem baſilicæ principem opere nôvo conſtruxit, ùt notat inſcriptio vetus inciſa lapidi foris extanti, in hæc verba:

O Welt!

Anno Domini MCCCCVII. in die Tranſlationis S. Stephani Protomartyris, Patroni hujus Eccleſiæ, glorioſè inchoatus eſt hic Chorus, poſitúsque primarius lapis fundamenti ſolemniter à Georgio de Hohnloo Epiſcopo Paſſavienſi.

Ottilo Bav. Dux.

Structuram reliquam executus eſt Leonardus à Layming, Georgii Succeſſor. Opus egregiè cœptum, ſed anno 1444. menſe Junio, nondum perfectum erat, ùt teſtis eſt Æneas Sylvius in literis eodem tempore datis ex urbe Patavia, quæ ſunt à nobis recitatæ ſuprà pag. 532. Tum autem ſpes erat, ædem intra quadriennium abſolvendam. Altaria, quantum ex Epitaphiis colligere licet, tum erant hæc: ara princeps S. Stephano dicata: in meditullio templi, ara S. Valentini & Maximiliani. Ad latera: Corporis Chriſti, S. Bartholomæi, S. Magdalenæ, S. Jodoci, S. Mauritii, S. Georgii. Supervenêre dein populatrices flammæ, quæ civitatem unà cum templo depaſtæ ſunt funditus anno 1662. die 27. menſis Aprilis. Wenceslaus Ep. ad eam reparandam aggreſſus eſt, eductámque ad fornicem usque non abſolvit, præventus morte. Succeſſor Sebaſtianus egregiè cœptis inſtitit; cùm rurſum anno 1680. die 29. Julii fœdiſſimum poſt natos homines incendium laborem annorum octodecim cum urbe tota peſſumdedit. Eam reficere denuo cœpit Sebaſtianus: Lambergius autem Cardinalis quantum fecerit in ea conſtruenda poliendâque ſumptuum, diximus nùper in ejus Actis. Illud paucis: ſtructuram eſſe magnificam, ſumtuoſam, ſplendidam, vix ulli Germanicarum ſecundam. Facies interior omni parte ſuis nitet ornamentis: opere plaſtico, picturis, marmore; tum lemniſcis illuſis auro, argentóque.

Porrigitur in longum orgias ſeptuaginta, in latum novemdecim, demptis ſacellis, quæ ſpatio pedum duodecim recedunt in cavum. Altitudo ad orgias aſſurgit unam ſupra triginta. Caput ſeu Chorus baſilicæ ſtructuræ veteris portio eſt. Ea ſolem accipit Orientem, feneſtris in altum magnificè eductis, ſerie frequenti diſtinguente baſilicæ frontem. Earum officium admittendi luminis, non impedit ara princeps; ut quæ Romano more compoſita, non molem, ſed pretium & nitorem oſtentat. Ea dedicata eſt inſtituto veteri, S. Stephano Protomartyri. Aræ cæteræ numero ſunt decem. Præcipuæ reliquisque nobiliores hinc ad latus Evangelii, conſecrata Beatæ Virgini in cœlos aſſumptæ, ubi & Sanctiſſimi Sacramenti Cella: indè ad latus Epiſtolæ, altare S. Valentini Epiſcopi, in quo Corpus S. Caſtuli Martyris adſervatur; ubi & Beneficium fundatum à Brenerianis. Reliquæ deinceps aræ ſunt: I. S. Pauli Apoſtoli converſi. Secunda S. Martini Epiſcopi. Tertia Nativitatis Domini

cum

cum Beneficio. Quarta S. Sebaſtiani, ubi & Beneficium, dictum S. Mauritii. Altera ſeries à parte Epiſtolæ ſequentes habet aras: I. S. Joannis Bap. decollati. Alteram S. Catharinæ Virginis. Tertiam trium Regum cum Beneficio. Quartam S. Agnetis; omnes marmore picturiſque per artifices ſui temporis celebriores ornatæ. Porrò fornicis nulla non compta pars eſt, gypſo in varias ducto formas: inter hæc areæ latè protenſæ, quæ ſuſpectantibus infinitos elegantiſſimarum imaginum modos objiciunt. Umbilicus fornicis excelſam cavatur in teſtudinem, picturis itidem conveſtitam. Jam portæ baſilicæ columnis & arcubus marmoreis majeſtatem habent inſignem. Organum muſicum triplex; quorum duo intra chorum hinc atque indè in lateribus: tertium majus, elegantiúſque ad finem templi, è regione aræ principis. Jam pulpitum ſacrum opere novo ſplendidiſſimum, hodierno præcipuè Præſule curante.

Præter capita cineréſque Sanctorum Maximiliani & Valentini, Reliquiæ inſigniores ſunt, caput S. Xiſti, caput S. Barbaræ, corpus S. Caſtuli Martyris, oſſa quædam S. Vigilii Ep. & M. portio non modica Sanctæ Crucis. Eam includit crux auri puri, gemmis & unionibus diſtincti, exponitúrque ad populum diebus ſolemnibus Inventionis & Exaltationis S. Crucis. Sunt & aliæ reliquiæ nobiles, quarum tamen indicem impetrare haud potuimus. Cæterùm de Corporibus SS. Maximiliani & Valentini, quæ quondam habebantur, non ſuperſunt niſi cineres amborum inter ſeſe confuſi, in quos ea funeſtus ignis, qui ſuperioribus annis urbem cum baſilica depaſtus eſt, redegit. Capita, quæ fuerant à corporibus ſeparata, evasêre cladem; eáque in Feſtis principibus ad venerationem publicam exponuntur.

Parte boreali baſilicæ Cathedralis plura viſuntur Sacella: I. S. Annæ & S. Antonii. Ad aram S. Annæ fundatum eſt beneficium ab Herberſteiniis. Alterum quod vulgo Marſchallianum appellat (familiæ de Nothafft, qui ex antiquo Marſchalci ſunt Epiſcopatus Pataviensis) dedicatum XIV. Auxiliatoribus; illhic aræ duæ, & locus ſepulcri familiæ de Nothafft.

III. Sacellum S. Eliſabethæ & S. Achatii cum totidem altaribus & conditorio familiæ de Starzhauſen. Ad aram S. Achatii fundatum eſt Beneficium.

IV. Sacellum Urbani à Trenpach Ep. Patav. cum ara Sanctiſſimæ Triados, habente privilegium quotidianum in perpetuum unius animæ de pœnis piacularibus liberandæ. Ibi & crypta Nobilium de Trenbach. In medio viſitur tumulus marmoreus effigiem Urbani prædicti cælatam referens. Eſt in eodem ſacello fundatum beneficium R. D. de Benedictis: item Beneficium Thunianum.

V. Eſt Sacellum Joannis Philippi Cardinalis Lambergii, quod ipſe ſibi mauſoleum condiderat, opere marmoreo magnificè conſtructum. Indè egredientibus occurrit ara Servatorem referens in Oliveti monte ſudantem.

VI. Eſt S. Michaëlis Archangeli, cum tumulo Dominorum de Schäzl.

VII. Sacellum Canonicorum, in uſum eorundem ſepulturæ conſtructum, vulgò Herrn Capelln. Tres habet aras; primam B. Virgini dedicatam: alteram Sancto Joſepho Chriſti Nutritio, tertiam S. Barbaræ. Memorabile eſt epitaphium, quod ſibi Cathedralium par, intima neceſſitudine conjunctum, condidêre. Tabula eſt marmorea, in qua cælati duodecim Apoſtoli Virginem in cœlos aſſumptam aſpectant, tam inſigni ſcalpri artificio, ut omnium teneat oculos: mirantúrque id artis periti, & vix eſt, qui ſibi ſumat imitandi fiduciam. Hic inciſa, quam diximus, inſcriptio legitur in hæc verba;

IHS † MRA.

Anno Dni MDCV. die XVII. menſis Auguſti ☙ *Reverendus ac Nobilis Dominus Joannes Carolus Gienberg à Wolffsek Canonicus & Cuſtos hujus Eccleſiæ Cathedralis Paſſav.*

Anno Domini MDCXII. die VIII. menſis Februarii ☙ *Reverendus & nobilis Dominus Henricus à Rorbach Eccleſiarum Cathedralium Patavienſis, & Auguſtenſis Canonicus.*

Qui

Qui ut in vivis conjunctiſſimi erant, ne poſt mortem disjungerentur; in vivis hoc ſibi monumentum fieri fecerunt.

Quorum animæ requieſcant in pace!

VIII. Sacellum eſt S. Xiſti erectum à familia Comitum de Ortenburg, in quo beneficium perpetuum & ſacrum horâ decimâ.

Locus humandis Epiſcopis deſtinatus eſt in æde Cathedrali ſub Choro Presbyterii; ibique cubant Wenceslaus à Thun, Sebaſtianus Pöttingius & Raymundus Rabatta Comites, Epiſcopi Patavienſes.

Beneficia præter jam dicta ſunt Preyſingenſe, Schailenſe, Hallenſe, Rohrſchmidenſe, Decenſe, Pöttingenſe.

Proceſſus ſolenniores per annum tum intra Cathedralem tum extra, ſunt ſequentes:

I. In Epiphaniæ Domini veſperis ſecundis proceditur ad aram S. Valentini: idémque fit die tertia Auguſti, Translationis ejusdem.

II. In Nativitate Domini ad aram S. Stephani.

III. In Feſto S. Stephani ad S. Joannem Apoſtolum in ara B. V. comitante Celſiſſimo cum omni apparatu.

IV. Quotdiebus Jovis, ac ſi feſtum ingruat, anticipatò diebus Mercurii celebratur pompa Sanctiſſimi Sacramenti per medium templi, comitante cum accenſis cereis Celſiſſimo, totâque ejus aulâ.

V. Quotdiebus Veneris inſtituitur ſupplicatio procedentium contra Turcam.

VI. Quotannis die S. Floriani M. proceditur ad montem B. V. Auxiliatricis.

X.

De Ritibus Feſtorum dierum, ut antiquitus celebrati fuerint in diœceſi & Choro Patavienſi, & modò celebrentur.

Conſtat olim celeberrimos fuiſſe dies S. Laurentii M. Patroni Eccleſiæ Lauriacenſis; S. Stephani M. S. Valentini & Maximiliani, utpote quibus in diebus Leo VII. Papa Gerardo, quem Archiepiſcopum Lauriacenſem ipſe creavit, poteſtatem dedit geſtandi Pallium, per Literas datas an. 937. quas vide pag. 191. Veneratio S. Valentini, priùs etiam, quàm Pataviam translatus ſit, celeberrima fuit, non tempore tantùm Corbiniani, qui corpus ejus apud Majenſe caſtrum religiosè veneratus eſt, dum circa annum 717. ex urbe Roma rediens ad illud inviſit, ſed multo antea: nam Seculo VI. adulto florebat Venantius Fortunatus Poëta celebris, idémque poſtmodum Pictavienſium Epiſcopus, qui vitam S. Martini Turonenſis Ep. Libris IV. Carminum complexus eſt: is librum hunc ſuum alloquens commendat ei, uti profecturus in Italiam per Germaniam & alpes Rhæticas, templum *Valentini* adeat religionis causâ, quemadmodum & oſſa S. Afræ apud Auguſtam Vindelicorum:

Si tibi barbaricos conceditur ire per amnes,
Ut placidè Rhenum transſcendere poſſis & Hiſtrum,
Pergis ad Auguſtam, quam Vindo Licúsque fluentant:
Illic oſſa ſacræ venerabere Martyris Afræ.
Si vacat ire viam, neque te Bajoarius obſtat,
Quà vicina ſedent Breonum loca, perge per Alpem,
Ingrediens, rapido quà gurgite volvitur Oenus.
Indè Valentini benedicti templa require.

Hæc Fortunatus penè ſesqui ſeculo priùs cecinerat, quàm Corbinianus ad Majas venerit. Nos hoc Tomo, Corbiniani Præſulis adventum in Bojariam, & ab urbe reditum permiſimus eſſe fixum ad annum 724. vel præcedentem ex ſententia Pagii; quum ea de re ex inſtituto non egerimus: verùm expenſis poſtea Sancti Rudberti Salisburgenſium Patriarchæ geſtis, calculum chronicum paulò aliter ponendum cenſuimus, ſic, ut annum 717. circiter ſubſtituendum putemus, rationem in loco daturi.

Cæte-

Digitized by Google

COROLLARIA.

Cæterùm S. Valentini cultus apud Patavienſes ſemper inclitus fuit & illuſtris; atque in Kalendariis antiquis ad diem *VII. Idus Januarii Valentinus Epiſcopus* adſcriptus eſt cum ritu: *ſummum feſtum.* Sic in Libro Liturgico ſeu Miſſali quodam Patavienſi MS. Bibl. Auguſtæ; ſic in eo, quod typis excuſum eſt Viennæ anno M D XII. ùt notat adjecta ad calcem ſubſcriptio in hæc verba: *Hoc præſens* (ſcilicet Miſſale) *ſecundùm Chorum Patavienſem cum omnibus requiſitis & aliis multis ſuperadditis ſtudioſiſſimè reviſum, correctum, & emendatum in clariſſima urbe ſuperioris Pannonie, quæ olim Flaviana, nunc Vienna dicta; Joannis Winterburger & impenſis & laboribus ſtudioſius anno ſalutis &c. milleſimo quingenteſimo duodecimo ad tertias Idus Maji finem optatum vendicans.* Ac rurſum in alio, quod editum eſt Venetiis anno M D XXII. impenſis Lucæ Alantſei bibliopolæ Viennenſis, cujus fecimus in rebus Wigilei Ep. mentionem. In his omnibus tribus viſitur hymnus iisdem conceptus verbis, cujusmodi cantica verbo eccleſiaſtico appellantur *Sequentia*, poſt Graduale recitare ſolita:

> Glorioſa fulget dies: exultet Eccleſia:
> Angelis, hominibus pax & leticia.
> Immortali translatus emicat memoria,
> Valentinus Pontifex, ſpes noſtra, ſalus & gloria.
> Gaudet Celum inclyta Preſulis ex anima,
> Terra meritis, corpore triumphat felix Patavia.
> Suavitatis odor, fons vivus celeſtis gratie;
> Indè profluit egris virtus, meſtis conſolatio, lapſis venia.
> Sanctitatis vite, doctrine, ſignorum trophea,
> Quibus claruit paſtorali ſede, canit Retiarum provincia &c.

Hic idem hymnus recitari ſolebat etiam die feſto Translationis, quo itidem agebatur *Feſtum ſummum*, nempe *II. Nonas Auguſti.* Idem dicebatur feſto S. Maximiliani *IV. Idus Novembris*, ſub ritu itidem *ſummi Feſti.* Unde liquet Eccleſiam Pataavienſem usque gloriatam fuiſſe corporibus eorundem Sanctorum, quod non modò in tabulis & diplomatis identidem prædicabatur, verùm in hymno etiam ante recitato ſignabatur iis verbis: *corpore triumphat felix Patavia.* Celebrantur & hodie ſub ritu *Duplicis primæ claſſis*, & præterea *cum Octava*, cum qua utrùm olim celebrata fuerint, in prædictis Miſſalibus non exprimitur. Hæc tamen Octava non agitur, niſi intra Eccleſiam Cathedralem. Oratio de S. Valentino eadem erat olim, quæ hodie: *Propitiare quæſumus.* Evangelium tamen diverſum; nam olim erat: *Homo quidam nobilis:* quum hodie ſit: *Homo peregrè proficiſcens.* De Sancto Maximiliano oratio modò dicitur ùt in Communi Martyrum: *DEus qui nos.* Olim autem hæc: *Omnipotens ſempiterne DEus, qui in omnium Sanctorum tuorum es virtute mirabilis: da nobis in beati Maximiliani Martyris tui atque Pontificis annua ſolemnitate letari, qui filii tui Martyr & Pontifex quod myſterio geſſit, teſtimonio comprobavit, & quod ore prædicavit, & confirmavit exemplo per Chriſtum.* Oratio pariter *ſecreta*, & altera *poſt Communionem* ab hodiernis diverſa fuit; Evangelium quum olim fuerit: *ſint lumbi:* hodie eſt: *ſi quis venit ad me.* Habebatur item olim Miſſa de Sanctis Valentino & Maximiliano Patronis Eccleſiæ conjunctim dici ſolita, quæ incipiebat: *Sacerdotes:* Oratio: *propitiare quæſumus.* Epiſtola: *Lingua ſapientium.* Evangelium: *Videte, vigilate; & orate:* Peculiaris item hymnus, ſeu ùt vocant, *Sequentia*, qui nihil continet præter pias ad Deum preces. Hodie inter conſuetas commemorationes ſeu Suffragia Sanctorum, poſt Suffragia SS. Petri & Pauli, item Stephani protomartyris, fit commemoratio S. Maximiliani & Valentini conjunctim oratione: *Propitiare quæſumus:* additúrque in Cathedrali: *qui in præſenti requieſcunt Eccleſia.*

Porrò feſti dies Sancti Stephani protomartyris, nempe & Natalitius *VII. Kal. Januarii* & *Inventionis III. Nonas Auguſti*, ſemper in hac Eccleſia celeberrimus fuit, ut ei baſilica Pataavienſis dedicata ſit: hodie quoque ſub *duplici primæ claſſis, cum Octava*, ſicut etiam Inventio *cum Octava* celebretur in æde Cathedrali, & tota urbe Paſſavii. Sed olim celebrata fuit etiam *Translatio S*

Stephani die Nonas Maji cum Hiſtoria. Feſtum S. Laurentii, quod antiquitus erat inter prima, *feſtúmque* ùt vocant, *Pallii*, quippe Patroni Eccleſiæ Laureacenſis, poſterioribus ætatibus habebatur ùt *feſtum medium cum Hiſtoria* ſeu Lectionibus è veteri Teſtamento petitis. Hodie celebratur ùt *duplex ſecundæ Claſſis.*

Olim Viſitatio Mariæ die *VI. Nonas Julii* colebatur ùt *ſummum feſtum*; quæ hodie nihil ſingulare habet ab ritu communi. Rurſus olim præter feſtum S. Leopoldi Marchionis Auſtriæ *XVII. Kal. Decembris* agi ſolitum *cum Hiſtoria vel IX. Lectionibus*, celebrabatur etiam *Translatio S. Leopoldi XV. Kal. Martii cum IX. Lectionibus vel Hiſtoria.* Id feſtum nempe inſtituerat Wigileus Fröſchl Epiſcopus, ſub quo facta eſt ea Translatio anno 1506. 15. Februarii, ſexennio ante vulgatum librum liturgicum. Sed nempe præter Translationem S. Stephani & S. Leopoldi (quæ olim recolebantur, non item hodie) ſunt etiam plures aliæ *Translationes*, ùt S. Martini die *IV. Nonas Julii.* Item S. Kunegundis *V. idus Septembris.* S. Ruperti *VIII. Kal. Octob. ùt feſtum medium.* Rurſus *Translatio* S. Virgilii die *VI. Kalend. Octob. cum IX. lectionibus.* S. Corbiniani Ep. die *XVI. Kal. Decemb. cum Hiſtoria*, de quibus hodie in Faſtis ſeu Kalendariis Patavienſium nulla mentio. Illud etiam memorandum, quod *IX. Kal. Octobris* habita ſit *commemoratio Aſſumptionis Mariæ :* item *Octava S. Martini cum tribus Lectionibus* die *XIV. Kal. Decembris*, quum tamen ipſa dies S. Martini non fuerit celebrata niſi ùt *medium feſtum.* Præterea die *IV. Non. Dec. Octava S. Katherinæ cum Hiſtoria. VII. Idus Decemb. Octava S. Andreæ Ap. cum tribus Lectionibus*, quum nullius alterius Apoſtoli dies octava coleretur, præter eos, quos in Eccleſia vulgò conſuetum eſt celebrari. Feſtum *Mariæ Nivis* agebatur *II. Idus Auguſti.* id eſt XII. Auguſti, nempe propter diem *V. Auguſti*, quâ ſolet aliàs id feſtum in Eccleſia Romana recoli, apud Patavienſes impeditam per ſolemnitatem Dedicationis ejusdem Eccleſiæ. Hodie propter eandem cauſam Feſtum Mariæ ad Nives ad diem *IX. Auguſti* retractum eſt.

De S. Severino ſic legitur in veteri Kalendario Patavienſi: *Nonas Januarii Severini Epiſcopi cum IX. Lectionibus ;* nec habebatur liturgia ſpecialis, ſed commemoratio duntaxat in Miſſa Vigiliæ Epiphaniæ. Hodie ad eandem diem nempe quintam Januarii colitur *S. Severinus Abbas* ſub ritu *Duplicis majoris.* Rectiùs etiam appellatur *Severinus Abbas*, quàm *Epiſcopus.* Ejus feſtum anticipatur à Patavienſibus ad diem quintam, quum obitus Sancti contigerit die VIII. Januarii, ſed ejus celebratio transfertur poſt Octavam Epiphaniæ. Hodie oratio de S. Severino eſt communis cum Abbatibus; olim erat hæc: *Concede quæſumus Omnipotens DEus, ut qui beati Severini Confeſſoris tui feſta colimus, cæleſti benedictione ſanctificemur, & æternis Sanctorum ſolemniis intereſſe mereamur.* Extat in civitate Oenana contra Pataviam (veteri Bojoduro) juxta rivulum *Boitro* baſilica parochialis eidem Sancto dicata, quo loco idem Divus olim Eccleſiam S. Joanni Bap. dicatam cum cella monachorum poſuerat. Gliſcit hodie Patavienſium adverſùs hunc Sanctum devotio, quæ ut tantò amplius accendatur, impetratæ ſunt ex urbe Neapolitana ejusdem reliquiæ, inſtitutúſq; Sodalium eum venerantium cœtus; ídque jure merito: Quis enim Sanctorum eſt, magìs Patavienſium omniúmque Auſtriacorum proprius; cui & civitas illa, & diœceſis univerſa plus debeat, quàm huic, & Apoſtolo ſuo tot laboribus his in populis perfuncto, & admirabili thaumaturgo?

Ad diem *VII. Kal. Aprilis* ſeu 26. Martii agebatur olim apud Patavienſes memoria *S. Caſtuli M.* cum oratione peculiari: at hodie celebratur in Cathedrali feſtum ſub ritu *duplici* ob Sancti Martyris oſſa ex Urbe obtenta, ac ſuperiore ſeculo in baſilicam Patavienſem ſolenniſſimo cum triumpho illata: Oratio tamen peculiaris non fit, ſed omnia de communi Martyrum. Fuit hic Caſtulus Diocletiani Imp. Zetarius ſeu tricliniorum curator, qui quum Sebaſtiano, Tiburtio, aliíſque Chriſtianis in ædibus ſuis dediſſet receptum, multis præterea ad Chriſtum convertendis ſtrenuam Cajo Papæ naváſſet operam, prodigiis etiam patrandis claruiſſet, comprehenſus à Fabiano Præſide, primùm ſuſpenſus in equuleo, atrociſſiméque plumbatis tertiùm cæſus, demum quum

in

in Confeſſione Chriſti immotus perſtiterit, miſſus eſt in foveam, obrutúſque maſsâ arenariâ non procul ab urbe Roma viâ Lavicanâ, ubi & ejus humatæ reliquiæ aliquamdiu quieverunt. Hæc eadem ferè leguntur in Martyrologio Romano ad diem prædictam. Cæterùm Acta S. Caſtuli ex MS. protulit Hagiographus To. 3. Martii. p. 612.

Ad diem 31. Januarii celebratur feſtum *S. Vigilii Epiſcopi & Martyris* ſub ritu *duplici* ob inſignes reliquias: item die 6. Auguſti *S. Xiſtus Papa & Martyr*, cujus caput ibidem habetur, & ſtato die cultui publico proponitur. De utroque Sebaſtianus Epiſcopus decrevit, celebrandos eſſe ſub ritu feſti *Duplicis* in Cathedrali, ediditque ea de re literas die 10. Januarii anno 1675. quæ præfixæ ſunt Proprio Patavienſi, quod impreſſum fuit mandato Joannis Philippi Cardinalis & Epiſcopi anno 1696.

Noviſſimè inter *feſta propria* diœceſeos Pataavienſis relatus eſt *S. Nonnoſus Abbas*, cujus corpus quondam è monaſterio, quod erat in monte Soracte, deportatum Friſingam per Nitgerum Epiſcopum, dein ab Joanne Franciſco Friſingenſium Præſule detectum anno 1708. die 27. Januarii, publicæque venerationi expoſitum anno ſequenti die 2. Septembris, multis continuò beneficiis inclaruit. Raymundus Epiſcopus ejus feſtum eâdem die 2. Septembris ſub ritu *ſemiduplici* cum lectionibus propriis per diœceſim Pataavienſem agi mandavit.

XI.

Diſtributiones cœremoniales ob memoriam Feſti occurrentis fieri ſolitæ.

Die VI. Januarii, Feſto Epiph. in ſecundis veſperis cuilibet Capitulari datur cereus albus.

Die VII. Januarii, Feſto S. Valentini, cuilibet libo major panis albi.

Die II. Februarii cuilibet ante ſacrum ſolemne datur cereus albus unius libræ, quem Epiſcopus aut ejus Suffraganeus diſtribuit.

Die III. Martii feſto S. Cunegundis cuilibet libo major panis albi, quem diſtribuit Vicarius Magiſtri præſentiæ.

Die Cœnæ Domini cuilibet circiter LX. cruſtula panis azimi, quem *Oblatum* vocant, à Vicario Magiſtri præſentiæ.

Veſpere Sabathi ſancti ante ſolemnitatem Reſurrectionis cuilibet cereus albus à ſubcuſtode.

Die II. Auguſti, primis Veſperis Inventionis S. Stephani cuilibet numerus pullaſtrorum gallinaceorum.

Die XII. Octob. feſto S. Maximiliani cuilibet libo major panis albi.

Die X. Novemb. primis Veſperis S. Martini cuilibet aliquot anſeres.

Secundis Veſperis S. Stephani cantatur Pſalmus *Placebo* pro Joanne Schaftenberg Ep. Patav. cuilibet cereus albus.

XII.

Diſtributiones annuæ tum pecuniariæ tum victuales pro Canonicis.

Die anniverſario electionis Epiſcopi, ratione ſpolii remiſſi, certa pecuniæ ſumma, quæ ſub Pöttingio erat floreni 50. inter præſentes dividenda.

Hæc & ſeq. ſumpta ſunt ex Diariis factis anno 1681. 1682. 1683. 1684. 1685. 1686. 1687. 1688. 1689.

Reditus omnium maximus diverſis temporibus diſtribui ſolitus, ex arca communi Capituli.

Pro vino totius anni floreni 130.

Pro præſentia totius anni portio pecuniæ major, minórve.

Diſtributio pecuniæ ſingulis, qui interſunt Peremptorio S. Stephani.

Reditus alii pecuniarii ex parochia *Kirchberg*. Ex *Phennigambt*, & aliis rationibus aulicis à Capitulo reviſis & ſubſcriptis. Ob rationes ſuſceptas *Rent-*

ambt, *Ritteriana*, *Virginis Auxiliatricis*, *Koſten*, *Officio Pontis & Zirling*. Ex moneta ab Epiſcopo cuſâ.

Diſtributio de minutis Collectionibus.

Diſtributiones frumenti ſæpiùs fieri ſolitæ plus minúsve: de tritico, filigine, avena, hordeo, pannico, lino &c. Ejusmodi ſunt ex Officio Pontis; ex maſſa Capituli; ex diebus, queis frumentum in horrea conditur (vulgò *Anſchid*) ſic ex condito frumento in *Plandlingen*: in *Ekelſingen* ad Oenum, in *Obernperg* & *Riet* ad Oenum.

Diſtributiones vini Rhenani, Tirolenſis, Neccarini, Auſtriaci: Piſcium carpionum, luciorum; ferinæ, pellium cervinarum.

Diſtributiones partim pecuniæ, partim aliarum rerum, ut gallinaceorum, ovorum, ſtraminis, quæ fieri ſolent diebus cenſualibus, id eſt illis quibus cenſus annui à Colonis numerantur vulgò *Stifftag*: cujusmodi eſt Dominica prima poſt Bartholomæi. Kalendæ Sept. Feſtum S. Ægidii, quæ cenſitio eſt omnium maxima. Dominica prima Septemb. Dominica ſecunda Sept. Dominica tertia Sept. Feria ſecunda ante Michaëlis.

Reditus coquinæ ex officio judicii Præpoſiti, ex parochia civitatis.

Reditus ex ſtipendiis anniverſariorum, item *Hiſtoriarum*, ùt vocant, inter Canonicos & Vicarios dividendi.

Reditus extraordinarii ſunt: ob electionem novi Epiſcopi, ob promotionem novi Canonici, ob novi Canonici juramentum.

XIII.

Præter hæc ſtata ſunt ſtipendia pro Canonicis & Vicariis.

Singulis Sabbathis pro *Salve Regina*.

Singulis feriis quartis quatuor temporum.

Singulis angariis ſeu feriis ſextis IV. Temporum pro Officio Paſſionis.

Die Inventionis S. Stephani, in ambabus veſperis *Wiedergeld*, ſeu pro arietibus.

Die S. Martini *Habergeld* ſeu pecunia pro avena.

Die S. Andreæ pecunia pro ſuilla, in ambabus veſperis.

Die S. Nicolai pro Epiſcopatu datur certa pecunia ſub Officio Divino.

Die SS. Innocentium pro Epiſcopatu. Dividitur ſub Officio Divino.

Dominicâ quinquageſimæ *Hauſengeld* ſeu pro piſce, quem Huſonem vocamus.

Dominicâ Palmarum *Fleiſchgeld* ſeu pro carne.

Dominicâ Paſchæ pro *aurea Nona*.

Die Aſcenſionis pro *aurea Nona*.

In Exequiis funerum.

Die depoſitionis Canonicis datur *Conductgeld*, ſeu pecunia pro deducendo funere; quod item die ſeptimo & triceſimo.

Die S. Bartholomæi *Præſenzgeld*, ſeu pro præſentia.

Sunt etiam ſtati per annum dies, quibus Canonici ab Epiſcopo adhibentur menſæ, aut æſtimationem convivii ſortiuntur in ære. Dies hujusmodi ſunt illi, quos vulgo *feſta Celſiſſimi*, ſeu majora Epiſcopi feſta appellant, ſuprà recenſita *pag. 645*. Præter hos alii nonnulli, ut Feſtum Angelorum Cuſtodum, Dies anniverſarius electionis Epiſcopi.

Summa redituum Canonicalium pendet è ratione præſentiæ, ſeu frequentiæ in Officiis Capitularibus. Do ſpecimen ex diariis quibusdam, quæ Canonicorum nonnemo ſibi confecit. Summa ſummarum, inquit, proventuum ex Canonicatu perceptorum anno 1681. facit 2753. flor. 29. crucig. 3. den. Anno 1682. facit 1688. fl. 7. cr. Anno 1683. facit 1572. fl. 35. cr. 2. den. Anno 1687. facit 1439. fl. 55. cr. 1. den. Anno 1688. facit 2670. fl. 26. cr.

XIV.

COROLLARIA.

XIV.

Officiales hæreditarii, ſeu Miniſteriales, ùt in vetuſtis diplomatis appellantur.

Hodie ſunt:

Nothaffi Marescalci.
Abam Camerarii.
Lamberg Dapiferi.
Benzenau Pincernæ.

In præcepto Ulrici II. pro cœnobitis S. Nicolai an. MCCXX. miniſteriales hunc in modum vocantur: *Hademarus Pincerna de Weſen. Heinricus de Abaim Camerarius. Otto de Haichenbach Mareſchalcus. Walterus de Thanneberch Dapifer* (perperam *Ranneberch* apud Hundium & nos ex illo *p. 365.*)

Seculo XIV. Officium *Mareſchalci* hæreditarii Epiſcopatûs Patavienſis jure fiduciario geſſit *Rudolphus Comes de Hohenberg.* Is anno 1369. jus illud tradidit *Gundaccaro de Thanberg;* eique ſubſtituit Rudigerum de Stahrenberg ejúsque liberos. Diploma recitatur in Collectaneis Genealog. *p. 216.*

Nuper tempore Lambergii Cardinalis *Pincernæ* erant Comites *de Kürchperg. Mareſchalli* ex illuſtri gente *de Notſat: Camerarii* Equites *de Abaim. Dapiferi* Nobiles *de Ambsham.*

XV.

Reditus Epiſcopales potiſſimi.

EX Königſtetten. Schwadorff. Mauttern. Eberſperg. Purnſtein. Stahrenberg. Marſpach. Viechtenſtein. Haffnerzell. Leoprechting. Wolfſtain. Wegſchaid & Peilnſtein. Firſtenek. Rittenburg. Obernberg & telonio ibidem. Ex granario in Stein, Ybs, Stokeraw, & Greiffenſtein. Granario civitatis Paſſavienſis. Granario Viennenſi. Ex Zytopœa ſeu braxatorio in Haklperg, Ilz, Waldkirchen, Griespach. Ex officio cellæ vinariæ. Ex prætura caſtri Paſſavienſis. Ex tributis. Ex reditibus Cancellariæ & Officialatûs. Ex officio conſumptionis. Ex judicio Præpoſiti vulgò Probſtgericht & Anwald in civitate Oenana. Ex judicio Ilzenſi. Ex judicio civitatis Paſſav. Ex Officialatu Viennenſi. Ex feudis equitum & burſarum, vulgò Ritter- und Peütel-Lehen. Quantum ex quolibet redeat, licet ad manum ſit, tamen exprimere non eſt neceſſe. Hæc multis acceſſionibus auxit Joannes Philippus Cardinalis, coëmptis ære prædiis & colonis, cujusmodi erant coloni Baronis Schäzl, Buchleimer &c.

XVI.

Ut ſe Patavienſis Epiſcopus habeat ad Imperium Germanicum?

EPiſcopatus Patavienſis refert ſe ad Circulum Bavaricum, etſi majorem arcium & prædiorum partem habeat in Auſtria. Proprium tamen habet principatum, qui juxta Pataviam, parte Boreali, Bohemiam versùs extenditur.

In generalibus Indictionibus Imperii, Patavienſis confert equites XVIII. pedites LXXVIII. quod facit in menſes ſingulos, florenos 528.

Ad judicium ſeu tribunal Cameræ Imperialis confert florenos 35.

Seſſionem, ùt vocant, inter Principes Imperii quondam ſic habebat: A dextris Cæſaris, aut Regis Romanorum poſt Electores & Archiepiſcopos, ac Magnum Ordinis Teutonici Magiſtrum, Epiſcopus Bambergenſis, Herbipolenſis, Wormatienſis, Spirenſis, Argentinenſis, Eyſtetenſis, Ratisponenſis, Conſtantienſis, Auguſtenſis, *Patavienſis*, Friſingenſis, Baſilienſis &c. Ita refert Mameranus Lucemburgus in Opuſculo anni 1548. Hodie teſte Limnæo ſeſſionum ordo paulò aliter habet; ſic nempe: Bambergenſis, Würzburgenſis, Wor-

matienſis, Eichſtadienſis, Spirenſis, Straspurgenſis, Conſtantienſis, Auguſtanus, Hildeſienſis, Paderbornenſis, Friſingenſis, Ratisponenſis, *Paſſavienſis*, Tridentinus &c.

XVII.

Catalogus Canonicorum Cathedralium hodiernorum.

I. Heinricus Ferdinandus Baro de Plettenberg &c. Præpoſitus.
II. Erneſtus Carolus Joſephus Comes de Payersperg. L. Baro de Boymund, Schwamburg & Niederthor &c. Decanus.
III. Joann. Reichardus Comes & Dominus de Gallenbergh Senior.
IV. Antonius Joſephus Comes de Lamberg Cuſtos.
V. Bartholomæus Joſephus L. B. de Kles &c.
VI. Michaël Maximilianus Comes de Kokorzowa.
VII. Joan. Reichardus Wenceslaus L. B. de Starzhauſen in Ottmaring.
VIII. Carolus Joſephus Comes de Kühnburg, L. B. in Kunegg, Dominus in Brunſee & Rabenhofen.
IX. Vitus, Euſebius, Timotheus Trauthſon S. R. J. Comes in Falckenſtein L. B. in Sprechenſtein & Schroffenſtein, Dominus in Matrey &c.
X. Erneſtus Amadeus Comes ab Atthimis &c.
XI. Franciſcus Aloyſius Comes de Lamberg &c.
XII. Franciſcus Joſephus Comes & Dominus de Thürheimb &c.
XIII. Franciſcus Antonius Hannibal S. R. J. Comes à Turri & Valiſſaxinæ &c.
XIV. Carolus Hannibal Barbo Comes à Waxenſtein.
XV. Maximil. Antonius, Joan. Herzan S. R. J. Comes ab Harras.
XVI. Ignatius Franciſcus Comes de Kokorzowa.
XVII. Leopoldus Ansgarius Comes de Starnberg.
XVIII. Ferdinandus Ottocar Anna Comes de Starnberg.
XIX. Joannes Erneſtus Emmanuel S. R. J. Comes de Harach.
XX. Joannes Joſephus de Trautſohn Comes in Falckenſtein &c.
XXI. Leopoldus Erneſtus Joſephus Mauritius L. Baro de Firmian Dominus in Grauuins & Megel.
XXII. Joannes Chriſtophorus Ludovicus Comes de Khünburg &c.
XXIII. Ferdinandus Comes de Wildenſtein.

Reliqui duo loci pro more vacant. Olim, ùt ex operis decurſu patuit in numero Cathedralium erant etiam non nobiles, nempe vel Doctores Theologiæ vel utriusque Juris, aut ſaltem Canonum: & adhuc anno 1625.

Concordatis Capituli pro Leopoldo Guilielmo in Epiſcopum ſumendo, nomen adſcripſerunt inter alios Canonicos Guilielmus Weilhamer Doctor, Joannes Prenner Doctor, Epiſcopus Symbalienſis. Deinceps autem ſubſcripti non apparent alii, quàm illuſtres genere, cujusmodi & hodie debent omnes eſſe.

Digitized by Google

INDEX GENERALIS.

a. initium. b. medium. c. finem paginæ deſignat.

A.

S. Adalbertus Prag. Ep. Hungarorum Apoſtolus. 227. c. Stephanum Geiſæ filium baptizat ib. à Pruſſis Martyrio afficitur 234. b.

Adalbertus Ep. Patav. XVIII. an fuerit Archi-Ep. variant auctores 202. a. 201. a. de ejus geſtis parum conſtat 202. c. Ejus obitus, tempus, præfectura, & quid Eccleſiæ Pat. ab eo præſtitum? 203. a.

Adalbertus Salzburgenſis Ep. 334. c.

Adelbertus Marchio. 249. c.

Admontenſes Abbates. Vide Monaſterium Admontenſe.

Ærmonia oppidum Noricorum. 72. a.

Agapitus II. Pont. Bavariam inter Laureacenſem, & Salzburgenſem dividit. 195. c. Ejus Epiſtola, quâ Gerardum Patav. Ep. Laureacenſem Archi-Ep. inſtituit. 197. a. b. c. 198. a. b.

Agapitus de Columna, Aſcubanenſis Ep. 470. a. c.

Agrippinenſis Ep. Wicfredus 200. c.

Aguntum Oppidum Norici 72. a.

Aichſteṭtenſes Epiſcopi Erchenpaldus 176. a. Sbarchandus ſeu Starchandus 200. c. Megingaudus 238. c. Conradus 315. Henricus 371. c. 369. Fridericus 382. a. Mauritius 621. b. Marquardus 765. c.

Albanenſes Epiſcopi. Gualterius 329. c. Petrus 389. b.

Albertus I. cum Gebehardo II. diſcordibus votis in Patavienſes Epiſcopos electi. Confirmatione & ſedis poſſeſſione caruêre. 451. b. 452. 453. 454. 455. 456. a.

Albertus II. Patav. Ep. XLVII. è Ducibus Saxoniæ 456. a. promulgat excommunicationem Ludovici Bavari Ib. c. ejus in Apoſtolicam Sedem fides. 458. b. diſſidet cum civitate Patavia 459. c. eamque obſidet. ib. conſecrat Chotum Viennæ ad S. Stephanum. 460. c. obitus & tempus Sedis. ib. liberalis in varia Monaſteria. 461. a. b.

Albertus III. Ep. Pat. XLIX. è familia Baronum de Winckl. 469. b. tempus Sedis. ib. c. Impetrat confirmationem conceſſionum Eccleſiæ Patav. ab Auſtriacis factarum. 470. a. b. ſub eo fundatur Viennæ Collegium Canonicorum ad S. Stephanum. ib. c. ſubſcripſit fundationi Academiæ Vien. 471. c. 472. a. magna indè commoda Eccleſiæ Patav. ibid. b. c. Seditio orta Pataviæ. 474. b. c. 475. a. b. c. adeſt conventui Schardingæ 477. a. obitus 479. b.

Albertus Auſtriæ Dux pacem init cum Henrico Bavaro conciliante Godefrido Pat. Ep. 426. c. 427. a.

Albus ſeu Albanus ſeu Albero Ep. Patav. XXIX. fuit Præpoſitus & Decanus Patav. 326. b. Sede à Patavienſibus dejectus 326. a. fruſtra apud Imperatorem de ea recuperanda laborat. ib. b. redit Friſingam. ib. c.

Alemannorum Sedes olim. 75. a. eorum Reges. Chunimundus, Alaricus. ibid.

Alemanniæ Duces Burchardus. 207. a. Otto 223. a. Herimannus. 236. a. Bertholdus 287. c.

Altenburgenſe cœnobium. Vide Monaſterium Altenburg.

Altmannus Ep. Patav. XXIII. celebris ob reformationem vitæ Clericalis Monaſticæ & Canonicæ. 255. a. Ejus fidelitas in Sedem Apoſtolicam in Schismate Henrici IV. ibid. & c. Origo & Scriptor vitæ. 256. a. c. fuit Canonicus Paderborn. b. Præpoſitus Aquiſgrani & Capellanus Henrici III. ib. Hieroſolymâ redux à Gebehardo Salisburg. Archi-Ep. conſecratur Ep. Patav. ib. b. quam dignitatem ſibi adhuc adoleſcens prædicit. ib. c. Condit Monaſterium Gotwicenſe T. S. Nicolai. ib. c. an fuerit ex ſtirpe Putinenſium. ib. Villam quandam ab Henrico quarto per diploma impetrat. 257. a. b. Ejus cura in fundando Monaſterio S. Nicolai. 258. a. b. Quam bini Pontifices datis literis comprobant. ib. c. Diploma fundationis Monaſterii S. Nicolai. 259. b. c. 260. a. b. c. Cui tres advocati conſtituuntur. 261. a. fundat Monaſter. Gotwicenſe. 261. b. c. quem ſe geſſerit in exequendis decretis Pont. 262. a. b. c. 263. a. ab Henrico quarto injuſtè Sede Epiſcopali pellitur. 263. c. & in Saxoniam confugit. inde Romam. ib. Epiſcopatum reſignat ſed mirò eventu in eo confirmatur. ib. & 264. a. Pergit ad Conventum Triburienſem cum poteſtate Legati Pont. ib. a. b. Ejus Conventus acta. ib. c. 265. c. Novo conventui apud Forchemium oppidum intereſt: & quid in eo actum? 265. a. Templum cœnobii Abdingovenſis conſecrat ib. c. Intereſt Concilio Romæ anno 1079. 266. a. Item alteri anno ſequenti ib. c. Redit in Germaniam Legat. Ap. 267. a. laborat ſtrenuè in reformandis Eccleſiis & Cœnobiis ib. c. 268. a. b. Gregorium

gorium VII. Pont. de ſtatu Germaniæ certiorem facit. 269. a. ab eoque inſtructionem per literas accipit circa ſchiſma & Regém eligengendum 269. b. c. 270. a. b. c. 271. a. Novum Regem eligi curat: renunciatur Hermannus 271. c. Altmanni in pauperes liberalitas. 272. a. Dicitur conſecrâſſe Eccleſiam in Azmonswiſen 272. c. Adjuvat Ottakerum Stirenſem March. in fundando Monaſterio Garſtenſi. ib. 273. a. Conſecrat Eccleſiam Cremsmunſt. ib. c. & Gotwicenſem. 274. a. cui villam Ratolfisdorff injuſte à quodam poſſeſſam tradit. ib. b. Status Monaſteriorum & Eccleſiarum ſub Altmanno ib. c. Ejus in Sedem Ap. fides memorabili facto illuſtratur 275. a. Intereſt Synodo apud Oppidum Quindlenburg, & quid in ea actum? ib. c. Iterum ſede ſuâ pulſus, intruſo Hermanno Luitoldi Carantorum Ducis fratre ib. Gebehardum Salisb. in ſedem reducit. 276. b. reſidet in Oppido Mauttern. ib. c. Monaſterium Lambacenſe Monachis, ut tradatur, approbat. 277. c. Adalberonis Wirzb. Ep. ad illum hac ſuper re Epiſtola. ib. cui reſpondet alia Epiſtola 278. b. c. Lambacum ad conſecrandam Eccleſiam pergit. 279. a. Ejus in Garſtenſes Canonicos beneficentia. ib. b. ab Ottocharo Styriæ March. bonorum quorundam ad ſuam Eccleſiam reſtitutionem impetrat. ib. c. Diploma Altmanni hac ſuper re 279. 280. a. Obſervatio quædam de hoc diplomate ib. b. c. Thimonem novum Salzb. Antiſtitem ordinat, eique ſubmiſſum ab Urbano Pont. Pallium defert. 281. a. b. Ejus obitus & locus ſepulturæ 281. c. Elogia 282. a. b. 283. a. Prodigia quædam ejúsque veneratio. ib. c. 283. a. b. c. tempus Sedis. 284. a.

Ambidrani, Ambitravi, Ambiſontii, Norici populi. 2. a. 196. a.

Ambroſius fit Epiſcopus Mediolanenſis 50. a. Sirmium excurrit. 51. c. ejus vitæ Scriptor. 53. a. Obitus. ib. b.

Anaſiburgum Henrico Bavariæ Duci ab Adalberto Pat. Ep. traditur. 201. c.

Anaſina urbs munitur. 180. c.

Anconitanus Ep. Paulus 164. a.

Angelbertus vid. Engelbertus.

Anientis Ep. Chonradus, Ord. S. Benedict. 450.

Aniſum, ſeu Anaſia vulgò Ens. 5. b.

Anaſtaſius vide Aſtricus.

Anglorum Rex Richardus. 348. a.

Anthelmus Ep. Pat. IV. 135. b.

Antverpienſis Ep. Ambroſius 750. b.

Apameæ Archi-Ep. Ortolffus de Alzenbruck. 463. c. 470. c.

Apuliæ Dux Robertus. 275. a.

Aquilejenſis Eccleſia per Valerianum Ep. reſtaurata. 49. a.

Aquilejenſes Patriarchæ. Piligrinus 321. c. Udalricus 330. a. Wolfgerus 349. b. c. 351. c. 352. c. Sigehardus è Comitibus de Pleien 246. a. 257. c. 367. c. Bertholdus 372. b. 376. b. c. Ludovicus 466. c.

Aquilejenſis Præpoſitus Poppo dein Ep. Pat. 33tius 350. a.

Arabo fluvius. 140. c.

Ardacenſis Præpoſitura Canonicorum Sæcularium in Auſtria, eiúsque origo 466. c. 467. a. Præpoſiti Dedalricus 317. c. Chunradus de Schaumberg. 467. a.

Arelape ſeu Pechlarn urbs inter Mellicium & Ipſium. 70. c. 188. a.

Argentinenſes Ep. Conradus. 439. a. Carolus Lotharingus Cardinal. 683. b. Leopoldus Archidux Auſtriæ. ib.

Aribo Moguntinus Archi-Ep. 244. b. c.

Arno Juvavenſis ſeu Salzburg. Ep. à Leone III. Bojariæ Archi-Ep. ordinatur. 141. c. Reginarius Ep. Pat. ab eo ſede pulſus. 154. a. ejus obitus ib. b.

Arnoldus hæreticus 303. c. 304. a.

Arnolfus Bavariæ Dux poteſtatem conſtituendi Epiſcopos ab Henrico aucupe obtinet. 188. b.

Arnolfus Vochburgenſis quis? 246. c. floruit tempore Berngeri Ep. Pat. ib. memoranda ejus viſio. 247. a.

Arnulphus Metenſ. Ep. Dagoberti inſtitutor 105. a.

Arunenſis Ep. Reginprant. 200. c.

Aſculanenſis Ep. Agapitus de Columna. 470. a. c.

Aſtricus ſeu Anaſtaſius primus Abbas Monaſterii S. Martini. 234. b. Romam à D. Stephano miſſus pro Corona Regia ib. c.

Auguſta Vindelicorum 90. b.

Auguſtani Epiſcopi Hitto. Nidkerus 153. c. Widgarus 161. c. S. Udalricus. 209. a. Henricus 216. 223. b. Bruno 240. a. Conradus 321. c. Siſridus 359. c. 363. a. Siboto 371. c. Joannes Werdenbergius 594. Fridericus Comes de Hohenzollern. ib.

Aulonenſis Ep. Joannes Raymundus è Comitibus de Lamberg dein Ep. Parav. 811. c.

Auſtria quando ex Marchionatu in Ducatum erecta? 315. c. ab Henrico Imp. Habſpurgicæ genti perpetuò ſubjecta declaratur 449. a. ab Henrico IV. Bohemis traditur 272. a.

Auſtriaci Clypei origo. 337. b.

Auſtriæ ſtatus circa annum *1146.* 308. c. circa *1175.* 329. a. b. *1192.* 339. b. circa *1250.* 392. c. 393. a. b. circa tempus belli. & Schiſmatis Ludovici Bavari 456. c. 457. 458. a. circa tempus Alberti III. Ep. Pat. 479. c. 480. a. circa *1396.* 488. b. circa *1411.* 402. c. *1455.* 543. b. circa *1524.* 605. a. circa *1541.* 616. b. circa *1556.* 627. c. 628. 629. 630. 631. circa *1598.* 666. b. 667. 668. 669. 670. 671. 672.

Auſtriæ Marchiones, ſeu limitis Orientalis Præfecti: Geroldus 140. c. 152. a. Theodericus 155. c. Gotefridus ib. Arbo 165. c. Wilhelmus ib. Wilhelmus ib. Engelſchalcus ib. Leutoldus ſeu Leopoldus 168. a. Engildico ib. Arnolphus 185. c. Rudigerus de Pechlarn 188. a. 206. b. Bertholdus 189. a. Rato ſeu Raſſo ib. Henricus Bavarus ib. Henricus prioris filius ib. Burchardus ib. b. 205. b. 206. c. Leopoldus ib. 224. c. 225. a. b. 231. c. Henricus ib. 238. c. Adalbertus 244. b. 245. c. 248. c. 249. a. c. Erneſtus 252. b. c. Leopoldus 271. c. 274. c. Leopoldus, dein Sanctorum albo inſertus 285. b. 289. a. 292. a. b. 293. a. 468. c. 469. a. Adalbertus 301. c. 302. a. Leopoldus ib. 304. b. 308. b. Henricus ultimus marchio & primus Auſtriæ Dux. 315. b. c.

Auſtriæ Duces Henricus 315. Leopoldus 351. c. 352. a. 366. c. Fridericus 372. c. 373. c. 375. c. 376. a. 381. a. b. c. 386. b. Hermannus Badenſis 384. b. c. 392. c. Ottocarus. 392. c. 396. a. Albertus 425. c. 426. a. 440. c. 457. a. c. Rudolphus 447. c. 448. a. Otto 457. c. Albertus III. 487. c. Albertus IV. 488. b. Albertus V.

bertus V. ib. c. Wilhelmus ib. Albertus VI. 525. b. 526. 527. b. 545. c. 547. b. Sigismundus 547. b. 578. a. Ferdinandus 604. Erneſtus 631. c. 632. a. Mathias 637. a. Leopoldus 638. Maximilianus 684. c.

Auſtriacorum ad Synodum Conſtantienſem Legati. 494. b.

Auſturis Oppidum an Stokerau? 70. a. 71. c.

B.

BAmbergenſis Epiſcopatûs erectio ab Henrico Imperat. procuratur 230. c. à Pontifice confirmatur 236. Bambergenſ. Eccleſiæ dignitas & conſecratio 243. a. Præpoſitus Poppo 237. a.

Bambergenſes Epiſcopi: Guntherus 254. a. Rupertus 263. b. Otto 298. a. 330. a. 334. b. 338. b. Eberhardus 308. c. 321. c. 315. c. Ecbertus 351. c. 363. b. 371. c. 376. b. c. Bertholdus 357. b. 408. a. 417. b. 420. c. 422. c. Heinricus 382. a. Fridericus 503. b.

Baptiſmi adminiſtrandi cura parochis Patavienſibus noviſſime præſcripta. 822. b.

Baſileenſes Epiſcopi Burchardus 275. c. Richardus 275. c.

Batavia vide Paſſavium vel Patavia.

Baturicus Canonicus Ratisbonenſis, adminiſtrat Eccleſiam Patav. 154. a.

Bavarorum ſeu Bojorum Coloniæ 2. a. quomodo olim appellari? 3. a. eorum Apoſtolus Lucius. 19. c. S. Rupertus. 33. c. Bavari quando Vindeliciam tenuerint? 64. a. 90. b. Bojorum deſerta quæ? 91. a. Religionis initia in Bavaria. 93. a. defecit ſub Barbaris ib. Adventus S. Emerammi in Bavariam 105. a. c. Capitulare Gregorii II. continens inſtructionem pro Epiſcopis euntibus in Bavariam 110. c. 111. 112. 113. a. b. Status Bavariæ ſub Urolpho, & Reginario Pat. Ep. 157. Epiſcoporum Bavariæ epiſtolæ ad Joannem IX. Pont. 176. a. b. c. 177. 178. a. b.

Bavariæ Reges Pipinus. Bernardus. Lotharius. Ludovicus 153. c. Carolomannus 163. c.

Bavariæ ſeu Bojorum Duces. Garibaldus I. 100. c. 101. a. c. Thaſſilo I. 101. a. Garibaldus II. 101. a. 107. c. Theodo I. 101. a. 105. b. Theodo II. 110. c. Theodebertus. Theodebaldus, Grimoaldus ibid. it. 114. b. 121. a. Hugibertus 114. b. 120. a. 121. a. Otilo 120. a. 121. a. c. 131. b. 132. c. 133. a. b. 134. b. 198. Thaſſilo II. 133. 134. 135. b. usque 139. b. 169. c. Arnolphus 187. b. usque 190. Eberhardus 190. c. 195. a. Bertolfus 195. a. Henricus I. 201. b. Henricus II. 202. b. 216. a. b. Otto I. 217. c. 223. a. Henricus Sanctus 229. b. c. 239. a. b. c. 236. a. Henricus Lucemburgicus 237. b. Henricus 253. b. Conradus I. ib. Conradus II. ibid. c. Agnes Imperatrix ib. Otto II. ib. & 255. c. Welfo I. 281. a. c. Welfo II. 290. b. a. Henricus ſuperbus 302. a. b. Leopoldus Auſtriæ Marchio Leopoldi Sancti filius ibid. Henricus Auſtrius 308. b. c. Henricus Saxo. 313. c. Otto III. Witlſpachius 331. b. Henricus Dux de Brunſwic. ib. Ludovicus 338. b. 357. c. 363. a. 366. b. c. 369. a. 370. a. 371. c. 373. a. Otto IV. 376. c. 378. a. usque 397. b. c. Henricus 396. c. 409. b. c. 415. a. 425. c. 440. a. Otto V. 442. c. 447. c. Stephanus 460. a. 470. b. Mainhardus 466. a. Fridericus 478. a. Sigismundus 547. b. Georgius 574. a. 575. c. 593. c. 594. c. Guilielmus 609. c. 621. a. 623. b. 702. c. Emmanuel 802. c.

Beatus Epiſcopus Patavienſis II. 130. a.

Benedicti VII. Pp. epocha corrigitur. 215. b.

Benno vid. Berngerus.

Bernardus Epiſcop. Patav. XLV. adeſt Conventui Auguſtano 440. a. & Concilio Herbipoli ib. b. conſecrat primum Abbatem Oſterhovenſem ib. c. transfert corpora SS. Valentini & Maximiliani ib. renovat Baſilicam Patav. 441. c. ibidemque Synodum celebrat. 442. a. & apud S. Hippolytum ib. c. 443. a. b. Seditio Pataviæ. 444. c. 445. a. b. c. adeſt Concilio Salzburg. 449. b. obitus & duratio Sedis. 450. b. c.

Berngerus Epiſcop. Pat. XXI. quamdiu Epiſcopatum geſſerit? 241. c. S. Godehardi cum eo neceſſitudo 242. a. intereſt conſecrationi Eccleſiæ Bambergenſis 243. a. Obitus 246. b. Conſecrat Eccleſiam in Hag & Strenberg. 247. c. numeratur inter fundatores Monaſterii S. Hippolyti. ib.

Bertholdus Ep. Pat. XXXIX. quando electus? 389. a. generis Nobilitas. ib. ei obſiſtit civitas Patavienſis 390. a. b. c. Ordines ſacros in Bohemia ſuſcipit. 391. a. obitus 595. a. b.

Biligrin vid. Piligrinus.

Bohemia ſeu Bojohæmum. 2. a.

Bohemorum Duces Radislaus 271. c. Labeslaus 309. b. Wladislaus 315. c. Zobeslaus 329. a. Primislaus 341. b.

Bohemiæ Marchio Borivojus 2.

Bohemiæ Reges Ottocarus 357. c. 402. a. b. Wenceslaus 376. b. c. 444. 447. a. c. Rudolphus 448. a. c. Joannes 449. a. c. Carolus IV. Imp. 473. c. 479. b. Georgius Podiebrad. 545. c. 570. a. Uladislaus ib. 578. b. 599. c. Ludovicus 601. b. Leopoldus I. 725. c.

Boleslavienſis Præpoſitus Michael. 494. c.

Bojodurum urbis Pataviæ portio. 115.

S. Boniſacius in conſtituendis Epiſcopis & in Bojariæ religione renovanda laborat. 113. b. c. primus ejus in Bojariam adventus 114. a. ſecundus ib. c. tertius 121. Literas Pontificis ad Vivilonem Pat. primum Ep. defert ib. ejus geſta in Bojaria 122. a. b. Literæ à Gregorio III. ad eum datæ 522. c. diſcedit è Bojaria 124. b. à Carolomanno accitus, denuo revertitur ib. c. Epiſcopi ab eo variis in locis conſtituti 126. c. quorum numerus deinde augetur 137. b.

Brandeburgenſis Ep. Joannes de Waldau 495. c.

Brandeburgenſis Marchio Albertus 578. a.

Bremenſes Archiepiſcopi, Adaldagus 213. b. Liemarus 275. c. Leopoldus Guilielmus Archi-Dux Auſtriæ. 719. a.

Britaniæ Rex Lucius Norici & Rhætiæ Apoſtolus 19. c.

Brixinenſes Epiſcopi Albuinus 141. c. Hartmannus 316. b Henricus 334. c. Bruno 410. c. 413. c. Joannes 449. c. 4[illegible] 473. c. 476. b. vide Sabionenſes.

Bruno Laureacenſis Philoni ſuccedit 106. c. 107. auxit Epiſcopatum opibus, favore Plectrudis 108. b. Laureaci ſedit 109. a. non fuit ſimul Epiſcopus Salzburg. ib. b. ejus obitus. ib. c.

Bruno Ruſſorum Apoſtolus 208. a. perperam confunditur cum Brunone Ottonis Magni Legato. ib. prædicationis ejus utilitas 209. a.

Bruno Auguſtanus Ep. 240. a.

Bruno Brixinenſis Ep. 410. c. 413. c.

Bryno ſeu Briwina Moravorum Dux 222. b.

Bulgarorum turbæ in Pannonia. 158. b. à Cyrillo, & Methodio convertuntur 159. c. eorum Dux Bogar baptizatur ib. mira ejus converſio 160. b. & de rebellibus victoria ib. c. ejus in promovenda religione conatus. ib.

Bulgarorum Duces Bogor. 158. b. 160. b. c. Hoſtilaus 402. b.

Burchardus Ep. Patav. XV. Status Eccleſiæ Patav. ſub illo 183. b. confirmat leges vectigalium ib. c. 184. a. obitus 185. c. beneficus in Canonicos. 186. a. b.

Burchardus Marchio Orientalis 205. b. 206. c. agit apud Ottonem II. de promovendo ad Ratisbonenſem Epiſcopatum S. Wolfgango ib. fuit Præfectus Ratisbonenſis 207. a. ejus ſtirps & nobilitas ib. non eſt conſundendus cum Burchardo Alemanniæ Duce. ib. b.

Buriburgi in Haſſia Epiſcopus Wittanus 129. b.

C.

CAmaricenſis Ep. Fulbertus 200. c.

Carantania quæ regio ſic dicta? 103. c.

Carantaniæ Duces Heinricus minor. 223. b. c. 225. c. Heinricus major 229. c. Otto 236. a. 244. b. Luitoldus 276. a.

Carinthia quando ad Auſtriacos Principes devenerit? 458. a.

Carinthiæ Duces Henricus 216. a b. 223. b. Ulricus 338. b. Bernhardus 351. c. 363. a. c. 376. b. Henricus 448. a. 449. b. Mainhardus 426. a. 427. a. vid. Carantaniæ Duces.

Carnuntum Colonia Romanorum in Pannonia. 3. b. 4. a. quando everſum 48. a. 50. a.

Carolus Joſephus Archidux Auſtriæ Ep. Pat. LXV. ejus natales, educatio, ingenium 753. a. b. c. fit Coadjutor Magni Magiſterii 754. b. eligitur in ſucceſſorem Epiſcopi Patav. ib. concordata Capituli Paſſav. ib. 755. 756. a. b. c. poſtulatur ad Olomucenſem & Wratislavienſem Eccleſiam. 757. a. Paſſavium inviſit 757. c. obitus 758. b. c.

Carpenſis Epiſcopatus in Pannonia. Coroll. IV.

Catechiſmi tradendi diligentia parochis commendata 823. c.

Caſtorienſis Epiſcopus Symon. Ord. S. Auguſt. 483. c.

S. Caſtuli M. corpus Pataviæ. Corollar. X.

Celeia urbs Norici mediterranei caput 30. b. Tenax num ejus urbis Epiſcopus fuerit. ib.

Celejenſis Epiſcop. Joannes Coroll. IV.

Cella Mariana à S. Leopoldo fundatur. 300. b.

Chiemenſes Epiſcopi Rudigerus 371. c. 375. b. Heinricus 398. b. Joannes 413. c. 417. b. 420. c. 422. c. Conradus 424. b. c. 441. c. Ludovicus 466. c. 598. c. Sylveſter 537. c. Joannes Chriſtophorus Comes à Liechtenſtein. 709. c.

Chriſtianus Ep. Pat. XX. 229. magna de eo exiſtimatio. 230. c. Diploma immunitatis impetrat pro Eccleſia Patav. 231. a. b. & poſſeſſionem quorundam Monaſteriorum 232. a. b. aliud Diploma de jure Epiſcopi in civitatem Patavienſ. comitatur Henricum ad electionem regiam. 236. a. adeſt conſecrationi Baſilicæ Bambergenſis 239. c. obitus ib. 240. a. b. c.

Chriſtophorus Ep. Pat. LVII. 595. c. confirmatur & conſecratur ib. intereſt exequiis Friderici Imp. 596. b. erigitur Conſiſtorium Paſſavienſe Viennæ. ib. c. 597. a. b. c. obitus 598. b.

Cibalenſis Ep. Euſebius 21. a. Donatus Coroll. IV.

Cicenſis Epiſcopus Wiemannus 312. c.

Ciſtercienſes Monachi ſub Reginberto Pat. Ep. in Monaſt. Alderſpacenſe inducuntur. 305. eorundem tempore Schiſmatis ſub Friderico Imp. conſtantia 324. c.

Clauſtro-Neoburgenſe Cœnobium memorabili eventu à Leopoldo Sancto fundatum. 293. a. ejus Cœnobii Eccleſia à Reginmaro Pat. Ep. conſecrata 300. b.

Clotarius Rex quando Monarchiam Francorum cœperit? 101. b.

Colocenſes Epiſcopi Aſtricus ſeu Anaſtaſius 234. b. Andreas 329. c. 494. c. Stephanus 545. b. 547. c.

S. Colomannus natione Scotus dicitur ex regio ſanguine ortus 238. a. cauſa, modus & locus martyrii 237. c. prodigia varia 338. b. c. corpus in varia loca transfertur. ib. 244. c. annus & dies tranſlationis expenduntur. 239. a. Innocentius IV. Pont. ejus feſtum per Auſtriam celebrari jubet. 381. a.

Colonienſis Archi Ep. Hermannus 166. a. Gereon. 213. b. Anno. 252. b. Reinaldus 321. b. Philippus 330. a. Adolphus 346. c. Conradus 389. c.

Colonienſis Canonicus Lambertus Rotenburgius Comes à Franconia 289. a.

S. Columbanus Sclavinos convertere cogitat. 102. b.

Comagenæ Oppidum 71. a. b. Comagenus Monſ. 204. a.

Comitia: Tulnæ 226. Triburiæ 264. b. Bambergæ. 315. c. Moguntiæ 334. c. Auguſtæ 356. b. 440. a. Viennæ Auſtriæ 445. a. & Norimbergæ ib. b. c. Spiræ 449. a. 607. c. 616. c. Schardingæ 477. a. Francofurti 490. c. 491. a. Conſtantiæ 495. c. 600. c. Auguſtæ 603. c. 608. a. 620. c. Ratisbonæ 316. a. 695. c. 719. a. b. Straubingæ. 371. c.

Concilium Altheimenſe 187. c. Aquilejenſe 51. b. 52. a. Ariminenſe 48. c. Auguſtenſe 201. a. Baſileenſe 523. c. 524. a. Biterenſe 47. c. Claromontanum 285. a. Conſtantienſe 493. b. c. 494. b. c. 497. c. Dingolfingenſe 189. b. fuit celebratum ante expeditionem Italicam Arnulfi 190. a. Francofurtenſe bis habitum ob erectionem Epiſcopatus Bambergenſis 236. c. Gradenſe 62. a. Guaſtallenſe 290. a. Sanct. Hippolytanum in Auſtria ſub Godefrido I. Pat. Ep. 427. b. c. ejus Sanctiones usque ad pag. 437. b. 438. item aliud ſub Bernardo Ep. 442. c. 443. a. b. Herbipolitanum 440. b. Ingelheimenſe 125. c. 200. c. Lateranenſe 310. a. 330. c. 331. a. 360. c. Lugdunenſe 382. a. b. 413. c. Moguntinum 158. b. Mülldorffenſe 384. c. Nicœnum 43. b. Papienſe 317. a. b. Paſſavienſe 400. c. 401. a. 414. b. 437. b. 553. &c. 600. b. &c. Placentinum 284. c. 288. b. Quindlenburgenſe 475. c. Ratisbonenſe primum 124. a.

Digitized by Google

124. a. aliud ibidem 145. a. b. Ravennenſe 203. Reispacenſe 145. a. Romanum in cauſa Henrici IV. 265. c. 266. a. c. Salzburgenſe 153. a. 330. c. 361. a. 365. a. 414. b. 425. b. 440. c. 441. c. 442. c. 449. b. 479. b. 495. b. 619. c. 620. a. 628. a. 630. c. Sardicenſe 44. c. Trecenſe 290. b. Viennæ Galliarum 450. a. Wormatiæ 161. c. Viennæ Auſtriæ 410. b.

Conradus I. Epiſcop. Pat. XXVII. ante Epiſcopatum aſſumptum fuit Abbas S. Crucis 310. c. ejus in curanda vita cœnobitica Zelus 311. c. litigat cum Canonicis Reicherſpergenſibus ob caſtrum Hagenow. 312. b. c. adeſt electioni Friderici. ib. donat Monaſterio S. Crucis prædium Minchindorff. 313. c. aſſignat locum Canonicis extra conſortium laicorum ib. 314. a. b. intereſt Conventui Bambergenſi. 315. c. & Ratisbonenſi 316. a. conſecrat Monaſt. Zwetlenſe 317. a. aggreditur reformationem cœnobii S. Mariæ in urbe Patavia 320. b. non adfuit obſidioni Mediolani 322. a. Tranſit ad Sedem Salzburgenſem ib. b. obitus 323. a.

Conradus II. Ep. Pat. XXXVIII. è genere Ducum Poloniæ. 387. b. tranſit ad conjugium ib. c. beneficus in Albertum Decanum ib.

Conſtantienſes Epiſcopi Andreas 595. a. Conradus 200. c. Gebehardus 285. b. Hermannus 321. c. Otto 275. c. Philibertus 525. b. Salomon 36. b. 161. c. Sidonius 130. c.

S. Conſtantius Antiſtes Laureac. 82. c. ejus Natales ib. incertum quando Laureacenſem Sedem ingreſſus ſit 83. a. tulit Pallium Archiepiſcopale ib. Antonium Lirinenſem educat. ib. b. alia ejus geſta ib. c. 84. a. obitus ib. b. vita Antonii, ejus diſcipuli ib. c. Varia de Epiſcopis aliquot commenta. 85. a. c. 86. b. c. diſcrimen inter Presbyteros & Epiſcopos 87. b.

S. Corbinianus quando Friſingenſium Epiſcopus inſtitutus? 113. b.

Curienſes Epiſcopi: Heſſi 161. c. Norbertus 275. c. Petrus 466. c.

Curtenſis Epiſcopatus in Pannonia Corollar. IV.

D.

DAciæ Ripenſis Apoſtolus Nicetas 54. a. Alii ad Danubium Apoſtoli ib. Daciæ Metropolis. 60. b.

Danorum Rex Heraldus 216. a.

Dedalricus Præpoſitus de Ardakern. 317. c.

Deſerta Bojorum unde ſic dicta 2. b.

Deuto Monaſt. Gottwicenſis Præp. 283. c.

Diaſpurgum nunc Duisburgum in ducatu Clivenſi. 231. b.

Dietboldus ſeu Theobaldus, Ep. Pat. XXXI ortus nobili genere. 327. c. eligitur in Ep. Patav. conſecratur in presbyterum & in Epiſcopum ib. intereſt Comitiis Ratisbonæ. 328. c. Fridericum Imperatorem in Italiam euntem comitatur. 329. c. eligit Archi-Epiſcopum Salzburgenſem 330. a. intereſt Synodo Salzburgenſi ib. c. & Lateranenſi ib. donat Canonicis Patavienſibus parochiam S. Pauli in urbe Patavia 331. ſatagit pro domo leproſorum & ponte Oeni. 332. a. ſub eo privilegia Canonicorum Patav. à Lucio III. Pont. confirmantur ib. b. c. 333. a. b. c. adeſt Conventui Moguntino 334. c. intereſt expeditioni in terram ſanctam. 335. c. 336. a. b. obitus ib. c.

Domnus Epiſcopus Pannoniæ 43. b. an fuerit Laureacenſis Epiſcopus. ib. c.

E.

EBerhardus Bambergenſis Epiſcop. 308. c. 315. c. 321. c.

Ekkebertus Bamberg. Ep. 351. c. 376. b. c.

Engelbertus ſeu Angelbertus Epiſcop. Patav. XXII. fuit Sacerdos domeſticus Agnetis Imperatricis. 248. a. beneficus in Monaſt. S. Hippolyti ib. c. Diploma Henrici tertii quo ei jus venandi in certo diſtrictu tribuit. ib. 249. a. aliud Diploma ab eodem, quo confirmantur poſſeſſiones Eccleſiæ Pat. 250. b. c. Sub eo Erneſtus Marchio proditur advocatus Eccleſiæ Patav. 252. b. conſecrat Gebehardum Archi-Ep. Salzb. 254. a. obitus ib.

Engelmarus Ep. Pat. XII. ejus laudes 163. a. Pat. Eccleſia per Moravos affligitur ib. b. varia beneficia ab Arnulfo Rege impetrat. 166. c. 167. a. obitus ib. c.

S. Emmerammi adventus in Bojariam 105. a. b. c.

Epiſcopatus Seculo II. & III. per Noricum & Pannoniam 21. b. c.

Eporædiæ Comes Harduinus. 236. a.

Erchanbertus Altahenſis Abbas 230. b.

Erchanfridus Ratisb. Ep. cum Hartwico Patav. Ep. quædam bona commutat. 159. c. 160. a.

Erchenbertus Crembsmunſtrenſis Abbas primus ejus cœnobii Abbatum inſulam geſſit 248. a.

Erchenfridus. 97. a. Decanus & Chori-Ep. Laureacenſis, dein Patav. Epiſcopus ex Hundii ſententia ib. b. Muros Patav. inſtaurat. 100. c. Patavia an ei donata à Theodone ib. 101. a. Fuit in Boica Epiſcopus ſub Garibaldo ib.

Erchenpaldus Aichſtettenſis Ep. 176. a.

Eremwolfus hæreticus 121. a. ejus hæreſis ib.

Ermenricus vide Hermenricus.

Erneſtus Ep. Pat. LIX. è Ducibus Bavariæ 603. a. adeſt Conventui Auguſtano ib. c. promulgat damnationem doctrinæ Lutheri 604. a. impetrat in Comitiis Wormatiæ confirmationem privilegiorum Eccleſiæ Pat. ib. b. c. ejus in defendenda ab hæreſi Patav. Eccleſiæ vigilantia. 605. c. à Ferdinando Rege de juriſdictione antiſtitis Patavienſis decretum obtinet. 606. b. c. 607. a. b. Viennæ à Turcis obſeſſæ ſuccurrit. ib. c. adeſt Comitiis Auguſtanis 608. a. & Ratisbonenſibus ib. b. & Pataviæ ib. c. alia ejus geſta 609. a. b. Tranſit ad Epiſcopatum Salzburgenſem. ib. b. c. Carolus quintus confirmat binis diplomatis omnia privilegia Eccleſiæ Patav. 610. b. c. 611. 612. 613. 614. a.

Erphordiæ Epiſcopus Adelarius. 129. b.

Euchariſtiæ cultum quemadmodum parochi curare debeant in ſe pariter & parochianis. 827.

Euſtaſius Luxovii Abbas Apoſtolus Bojorum. 102. c. 103. a.

Eutharius Pannoniæ Epiſcopus 44. c. adfuit Concilio Sardicenſi. ib. incertum an Laureacenſi? 45. a.

F.

FAviana hodie Vienna? 71. c. 72. a. Fuit ſub Romanis 74. c. ſub Rugis 76. a.

Favianenſis Ep. Mamertinus 87. c. Ratfredus 72. b.

Feletheus Rugorum Rex. 76. a.

Feranienſis Epiſcopus Laurentius 550. c. 55. c.

Firmanus Epiſcopus Philippus 424. c.

Flaccitheus Rugorum Rex. 76. a.

Flavium Solvenſe oppidum Noricorum 72. a.

S. Florianus magna ubique veneratione colitur 41. a. ante S. Quirinum martyrio affectus ib. erat Officii princeps ib. b. ſponte martyrio ſe offert. ib. c. in Anaſum dejicitur. 42. a. viſa poſt ejus mortem prodigia ib. acta, quæ de illo habentur, ſunt genuina. ib. b. corpus illius in varias Eccleſias translatum. ib. Socii Martyres, an milites? 43. a. S. Floriani Cella. 221. a.

Forlivienſis Epiſcopus Alexander 583. a.

Francia Auſtraſiana per octuaginta annos nullum Archi-Epiſcopum habuit. 107. a.

Francorum Dux Carolomannus. 107. a.

Fridericus I. Ep. Pat. LV. ejus confirmatio in Epiſcopum ægrè decreta. 585. c. Bulla Pontificis in cauſa Friderici. 586. 587. 588. 589. 590. a. b. reducere conatur Auguſtinum quendam Epiſcopum ab Huſſitarum hæreſi 591. c. 592. a. b. ſed fruſtra. ib. ejus obitus. ib. c. Sub illius Epiſcopatu Leopoldus pius Auſtriæ Marchio in Sanctorum numerum refertur. ib.

Fridericus II. Ep. Pat. LVI. nobili genere 593. b. tempus electionis. ib. c. confirmationis. 594. a. intereſt electioni Regis Rom. Maximiliani ib. ſolemnis ejus in urbem Pataviam ingreſſus ib. b. inſtituit feſtum Leopoldi Confeſſoris Auſtriæ Marchionis per Diœceſim Patavienſem. ib. c. ejus obitus. 595. a.

Fridericus Auſtriæ Dux per Diploma profitetur feuda de Eccleſia Patav. poſſeſſa. 379. a. b. c.

Fridericus Archi Ep. Salzb. uſum Pallii per Noricum & totam Pannoniam à Benedicto VI. Pontifice impetrat. 203. c. 204. a.

Friſingenſis Decanus Adalbero 281. b. Præpoſitus Udalricus de Nusdorff. dein Ep. Patav. 538. c.

Friſingenſes Epiſcopi Abaham 203. a. Albertus 326. c. Anno. 161. c. Aribo 135. c. 136. a. Atto 153. a. 184. c. Bertholdus 483. b. 488. c. 489. b. Conradus 382. a. 393. b. c. 395. c. 410. c. S. Corbinianus 67. c. 135. c. Emico 442. c. Erimbertus 127. c. Hatto 152. c. 153. c. b. Joannes 534. b. Joſephus 133. c. Lantperius 192. c. Meginwardus 276. b. Nicodemus 518. b. 524. c. Nikerus 467. a. Otto I. 316. b. 340. a. Otto II. 359. c. 360. b. 361. c. 363. c. Paulus 464. a. 465. a. 466. a. 470. b. 473. c. Waldo. 176. a. Wolframus 189. c.

Fuldenſe Aſceterium quando cœptum. 127. a. amplas donationes à Vivilo Pat. Ep. aliisque Epiſcopis accipit ib. b.

G.

GAlli: quinam populi olim ſic appellati. 2. a. Galliæ nomen pluribus regionibus à Græcis tribuitur. 14. b.

Gandenſis Epiſcopus Carolus. 750. b.

Garſtenſibus Canonicis Monachi ſubrogantur. a. b.

Gebhardus I. Epiſcopus Pat. XXXVI. ortus ex Comitibus de Pleien 367. b. dirimit litem inter Decanum Anaſenſem & Monaſterium S. Nicolai 368. a. b. adeſt Salzburgi translationi reliquiarum SS. Viti & Modeſti ib. c. evincit litem de caſtro Rotenberg. ib. an prædicârit Crucem per Germaniam. 369. b. conſecrat altare in æde S. Nicolai. 370. a. eorúmque poſſeſſiones confirmat. ib. c. adeſt conventui Straubingenſi 371. c. conſecrat Monaſterium S. Hippolyti 372. a. litigat cum Mellicenſibus 373. c. cedit Epiſcopatu. 374. a. ejus obitus ib. c.

Gebhardus II. vide Albertus.

Gebhardus Salzb. Archi-Ep. fundat cœnobium Admontenſe 258. a.

Geminida oppidum ad Mœnum fluvium 249. b.

Georgius I. Ep. Pat. LI. diſſidia in electione orta, & turbæ indè ſequutæ 484. a. b. c. 485. a. b. excluditur civitate Patavia 486. b. nova civium ſeditio ſuborta 487. b. caſtra Eccleſiæ Patav. ab eo abalienata. 488. a. impetrat confirmationem privilegiorum Eccleſiæ Pat. 489. conſecrat primum Præpoſitum Tyrnſtainenſem 491. a. obtinet exemptionem Eccleſiæ Pat. & jus utendi Pallio 493. c. legatur à Cæſare ad Ducem Mediolanenſem 495. c. exemptio Eccleſiæ Pat. dennò abrogatur à Martino V. 496. b. c. 697. a. b. c. quam iterum impetrat ab eodem Pontifice 498. a. b. c. ſed iterum revocatur. 499. a. b. c. 500. 501. a. b. c. intereſt expeditioni Huſſiticæ. ib. c. obitus 502. ditat Eccleſiam Pat. Sanctorum reliquiis 503. a.

Georgius II. Ep. Pat. LIV. turbæ in ejus electione 574. a. b. c. fit Cardinalis 575. a. nominatur à Pontifice Ep. Pat. ib. c. Sciſſio Capituli, aliæque factiones 576. a. b. c. 577. usque 584. a. b. c. obitus ib.

Gepidarum Regnum evertitur 95. b. Eorum reliquiæ in Pannonia. Coroll. I.

Gerhardus Ep. Pat. XVII. recuperavit Archiepiſcopatum. 189. c. intereſt Concilio Dingolfingenſi ib. an adfuerit etiam expeditioni Arnolfi in Italiam? 190. a. b. Pallium Româ cum Diplomate accipit. ib. c. 191. a. b. 192. a. fit Vicarius Apoſtolicus. ib. c. Pontificis ob hanc rem ad varios Epiſcopos literæ. ib. 193. 194. a. b. c. turbæ ob Gerardum Archi-Ep. ab Herolfo Salzb. excitatæ. 195. a. b. c. Agapiti Papæ ad Gerardum Epiſtola. 197. a. 198. a. b. obitus. ib. c. 199. b.

Germaniæ Reges: Arnulſus priùs Pannoniæ Dominus 165. c. 166. a. Carolus Craſſus 165. c. Conradus I. 185. c. Fridericus II. 356. c. 357. b. Henricus VI. 337. c. Henricus Turingus 382. c. Ludovicus ſenior 163. c. Ludovicus 185. c. Otto 355. b. 356. c. Rupertus, Sigismundus. 491. a.

Getarum Rex Bærebiſta. a. b.

Godefridus I. Ep. Pat. XLIV. ejus laudes, electio, conſecratio. 426. c. celebrat Synodum ad S. Hippolyti ejus Synodi acta 427. b. c. usque 437. b. & Pataviæ. ib. ſententiam dicit Monachis Altahenſibus 437. b. c. 438. a. beneficus in Monaſterium Zwetlenſe ib. b. comitatur Rudolphum Imperatorem. 439. b. obitus ib.

Godefridus II. Ep. Pat. XLVIII. è Baronibus de Weiſſenek. 462. a. confirmatur immunitas Eccleſiæ Pat. per Bavariam ib. c. peragit Conſecrationes in Zwetl. 463. a. diſſidet cum Bavaris,

varis, ſed denuo reconciliatur. 464. b. c. inveſtit Præpoſitum in Suben. 465. b. Comitatur Rudolphum Archiducem in Carinthiam. 466. b. cum Principibus Auſtriæ ſœdus init. 467. c. 468. a. obitus, & laudes. ib. b.
S. Godehardus Altahenſis Abbas à Piligrino Ep. Pat. in Diaconum ordinatur. 230. a. ab Henrico Sancto ad varia monaſteria reſtauranda ablegatur. 233. a.
Gorizenſis Comes Mainhardus Styriæ Præfectus. 383. c. 466 a.
Gothalmus Scotus ſequitur S. Colomannum 239. b. ejus corpore invento obiit. ib. locus ſepulturæ, venerario, prodigioſum factum ad tumulum. ib. c.
Gothorum Regis filius Theodoricus fit Rex Italiæ 89. a. Gothorum nomen extinguitur 94. a.
Gothorum Epiſcop. Jornandes 91. b.
Gotefridus Marchio Bojariæ 156. a.
Gumpoldus Ep. Pat. XVI. veterum de eo ſenſus. 187. a. obitus. 189. b.
S. Guntherus Monachus in eremum ſecedit 240. c. extruit Eccleſiam in Nordwalt. ib. D. Stephano Regi affinis. 243. a. mira ejus in prædicando vis. ib. b. Tamonem Monachum à Dæmone illuſum ſanat. ib. c. 44. a.
Guntherus Bambergenſis Ep. 254. a.
Gurcenſis Epiſcopatus quando & à quo fundatus. 257. c.
Gurcenſes Epiſcopi Conradus 458. b. Dietricus 417. Joannes 466. a. 467. c. 470. a. Laurentius. 458. b. Mathæus 600. c. Romanus. 299. c. Wenceslaus Comes à Thun, idémque Ep. Pat. 761. c. 762. b.

H.

HAlberſtadienſes Epiſcopi: Bucco ſeu Burchardus 263. b. Gero. 321. c. Hildegrinus 161. c. Leopoldus Guilielmus Archi-Dux Auſtriæ, & Ep. Pat. 718. c. Pernhardus 200. c.
Hamburgenſes Archi-Ep. Ad-altac. 200. c. Rimbertus 161. c.
Hartmannus Salzb. Decanus ad varias dignitates promovetur. 297. c. 298. a.
Hartwicus Ep. Pat. X. ejus encomium & duratio ſedis. 157. c. creditur interfuiſſe Synodo Moguntinæ. 158. a. b. Moravi ſub ejus diœceſi. ib. 10. facit quarundam rerum commutationem cum Erchanfrido Ratisb. Ep. 159. c. 160. a.
Hatto Ep. Pat. VIII. diſtinguendus eſt ab Hattone Friſingenſi Ep. 152. c. adfuit Concilio Salzburgenſi 153. a. obitus. ib. b.
Hæreſis Lollardorum circa *1315.* in Auſtria ſeverè caſtigata 455. b. Weciliana unde ſic dicta 276. b. Lutherana in Auſtria 672. c. usque 683. a.
Henrici Sancti in Pat. Eccleſiam munificentia 236. a. oritur in eum ſeditio. ib. b. rebelles qui? ib. veniam impetrant ib. c. agit de fundatione Epiſcopatus Bambergenſis ib. commutat prædia quædam cum Ep. Pat. Chriſtiano 237. b. promovet extructionem Eccleſiæ in Nordwalt. 240. a. 241. a. b.
Henricus quartus Engelberto Pat. Ep. donationes & diplomata prius accepta confirmat. 252. b. Item Altmanno Pat. Ep. villam quandam donat 257. b. Sigehardum Cancellarium ſuum ad Patriarchatum Aquilejenſem promovet. ib. c. ejus res vide in actis Altmanni Ep.
Henricus Marchio S. Colomanni corpus Medlicum transfert. 238. c.
Henricus Ep. Pat. XXX. fuit Canonicus, & Præpoſitus Eccleſiæ Spirenſis. 327. a. reſignat Ep. Pat. ib. beneficus in Canonicos. ib. b.
Herbipolenſes Epiſcopi Adalbero. 255. a. 256. c. 277. c. 278. b. c. 281. c. 282. c. Albertus 503. b. Berwardus 231. c. Embrico 310. b. Gebhardus 315. c. Hermannus 371. c. Poppo 200. c. Rudolphus de Schernberg. 574. c.
Hermannus Pſeudo-Epiſcop. Pat. 275.
Hermenricus Ep. Pat. XI. deſtinatus ad converſionem Bulgarorum 160. b. ob quod inſtrumenta ſacra colligit. ib. c. ad Bulgaros abit. 161. a. non curavit Pallium 162. a. obitus. ib. c.
Hermunduri olim Suevi. 2. b.
Herolſus Salzb. oppugnat Archiepiſcopatum Gerardi Pat. Ep. 195. a. b.
Herulorum Dux Odoacer 76. c. fit Rex Italiæ 77. a. ejus bellum cum Rugis ib. vincitur à Gothis. ib. c.
Heruli cum Rugis Marcomannicum agrum occupant. 56. a.
Hieroſolymannus Patriarcha Jacobus 401. c. dein Pont. Max. Urbanus IV. nominatur.
Hieroſolymitana peregrinatio unde originem duxerit tempore Engelberti Pat. Ep. 254. a. b. ejusdem eventus & numerus itinerantium. ib. c.
Hierotheus Monachus à Theophylacto Hungarorum Epiſcopus creatur. 202. c.
Hildesheimenſes Epiſcopi Diothardus 200. c. Eberhardus 239. c. Godehardus 240. a. Uto 275. c.
S. Hippolyti oppidum in Auſtria ab excidio ſervatum per Bernardum Ep. Pat. 448. b. c.
Hiſpaniæ Rex Carolus II. 806. b.
Hitto Epiſcop. Auguſtanus. 153. c.
Hueba Salica quid. 186. c.
Hugibertus Dux Bojariæ ſuccedit Grimoaldo. 114. b. 121. a.
Hungaria quomodo Chriſtianam Religionem colere cœperit? 202. c. 210. a. b. 211. a. b. multum ad hoc conduxit D. Stephani cum Giſela connubium. 235. b. c.
Hungarorum in varias orbis plagas irruptio in Alemanniam 184. c. 185. a. in Auſtriam 245. b. c. 346. b. in Bavariam. 108. b. c. 201. c. 202. a. ultra fluvium Erlaffam 224. a. b. in Franconiam 185. in Italiam 174. a. 175. in Pannoniam ib.
Hungariæ Reges: Andreas 445. a. 447. a. Bela III. 329. c. Bugato 207. b. 182. c. Colomannus 290. b. Durſaco 207. b. c. 182. c. Emricus 346. b. Geyſa 207. b. Ladislaus 438. c. 543. b. 544. a. b. c. 545. c. Ludovicus 464. b. 467. b. Mathias 547. c. 570. a. c. 577. c. 579. c. 581. c. Petrus 249. c. Salomon 252. a. Sigismundus 488. b. 491. a. Stephanus 229. c. 230. b. 412. c. Tonus 201. b. c. Uladislaus 601. b.
Hunnorum Reges: Attila, Rugila 55. b. Chaba 141. a.
Hunni-Avares unde profecti? 95. a. in Thuringiam & Pannoniam irrumpunt 96. a. in Norico, & Pannonia devicti. 108. c. 109. a. b. Laureacum evertunt 121. b. eorum ditiones antequam à Carolo Magno expulſi ſunt. 140. a.

I.

JApidia pars hodie Carnioliæ. 14. b, c.

Jaurinenſis Ep. Miculinus. 329. c.

Jerardus an Ep. Laureacenſis? 29. b.

Illyricum magnum 1. ejus in Diœceſes diviſio. 56. b. Præfecti ib. c. Illyriorum rebellio Batone Duce. 3. b.

Ilzenſe oppidum prope Paſſavium 117. b.

Innocentii IV. Epiſtola ad Abbates S. Emmerammi & de Watenbach, ut Rudigero Pat. Ep. reſignationem ſuadeant. 384. c.

Infirmorum proviſio parochis incultata. 828. c.

Joannes Ep. Pat. L. fuit Præpoſitus Pat. 480. a. ejus laudes, & generis nobilitas ib. b. c. renovat fœdus cum Auſtriacis 481. a. prohibet alienari caſtra Patavienſia ib. b. c. quæ confert Alberto Duci ib. 482. a. expeditionem contra Schaumbergium ſuſcipit. ib. b. obitus ib. c.

Joannes Philippus è Comitibus de Lamberg Ep. Pat. LXVIII, ejus natales. 777. c. functiones publicæ. 778. a. b. commendatur â Cæſare pro Epiſcopatu Pat. 779. a. b. concordata Capituli ejus electioni præmiſſa. ib. c. 780. usque 789. a. b. electio ib. b. c. ſatagit pro retinendo Canonicatu Salzb. 790. c. 791. a. b. conſecratio ib. c. litigat cum Saliſburgenſibus de Archi-Ep. Laureacenſi. 791. usque 802. a. b. deſtinatur à Cæſare Legatus in Poloniam. ib. c. 803. a. b. c. commendatur à Rege Poloniæ pro dignitate Cardinal. 804. a. b. c. renunciatur Cardinalis 805. c. alia ejus geſta. 806 a. b. c. fit Protector Germaniæ 808. c. obitus ib. teſtamentum 809. c. impenſæ Baſilicæ Pat. 810. a b. c.

Joannes de Ganſtein Ep. Chiemſeenſis. 487. c.

Jornandes Gothorum Ep. 91. b.

Joſephus Dominicus è Comitibus de Lamberg Ep. Pat. LXX. ejus natales, indoles, literarum ſtudia. 816. c. fit Canonicus Paſſav. 817. a. & Saliſb. ib. b. omnium gaudio in Ep. Pat. eligitur ib. c. ejus laudabilia geſta ib. 818. a. b. c. 819. a b. c. commendantur à Benedicto XIII. per Epiſtolam. 820 a. b. c. Epiſtola Paſtoralis à Joſepho ad Clerum Pat. 821. a. b. c. 822. 823. 824.

Irenæus Ep. Sirmienſis. 21. a. 22. b.

Irenbertus Monachus Admontenſis à Conrado Pat. Epiſcopo Abbas Crembsmunſtrenſis deſtinatur. 317. difficultas hac ſuper re 318. 319. 320. a.

Iſtriæ Marchio Bertholdus. 334. b.

Itinerarium Antonini 19. c.

Juditha Henrici IV. ſoror. 252. a.

Juſtinianenſis Archi-Ep. Catellinus. 59. c.

Juventius an fuerit Apoſtolus Laureacenſis 15. c. 16. b. 17. a.

L.

LAbacenſes Epiſcopi: Urbanus 620. c. 629. c. Joſephus Comes Rabatta. 813. Sigismundus Comes ab Herberſtein. 779. a.

Lampſacenus Ep. Martinus Geiger. 763. a. Barthol. Kobalt 752. a. Udalricus Grapperus ibid.

Lavantini Epiſcopi: Almaricus. 410. c. Conradus 444. c. Dietricus 456. c. Petrus 466. a. 467. c. Rudolphus 551. a. Sebaſtianus Comes à Pötting 759. c. 763. b. Ulricus 371. c.

Laudanenſis Ep. Rudolphus. 300. c.

Laureacum olim Romanorum colonia. 3. b. Urbs Norici. ib. 19. b. & ſedes Prætorii Romani. 4. b. unde nomen ſumpſerit. 4. b. 5. a. funditus evertitur. ib. an fuerit ſub poteſtate Marchionum Styrenſium 280. c. erat Metropolis ante Sirmium deſtructum 56. c. ſcriptorum contraria opinio 57. a. Oppoſitum defenditur. ib. b. c. 58. 59. 60. 61. a. b.

Laureacenſis Eccleſiæ antiquitas, dignitas, & amplitudo firmatur ex epiſtola Symachi Papæ. 7. b. item ex vita S. Severini. 8. a. & Vincentii Lirinenſis ib. b. & S. Maximiliani ib. c. denique ex Chartis Romanis ib. hujus Eccleſiæ initium. 10. c. fuerunt ſeculo ſaltem tertio ibidem Epiſcopi non Regionarii tantum ſed Ordinarii. 11. b. immò Metropolitæ ib. c. quæ dignitas non fuit Sirmio Laureacum translata. 12. a. neque Vindobonâ ib. a. Laureacenſis Eccleſiæ, fundatores an Apoſtoli. 13. c. pro Marco & aliis quibusdam pugnat vetus traditio. 15. b. de Syro, & Juventio opinio non ſatis firma 16. b. quos habuerit Epiſcopatus ſibi ſubjectos. 21. c. ſententia de ejus fundatione 23. a. non fuit divitiis aucta ex Patrimonio Quirini. 22. c. 25. c. dedicata eſt non Laurentio Epiſcopo, ſed Archi-Diacono Martyri 28. c. Status Eccleſiæ Laur. tempore S. Maximiliani. 31. a. item ſub Galerio 43. c. item à prædicatione S. Martini usque ad Valentinum Pataviæ Epiſcopum 48. a. ab Sirmio per Attilam vaſtato 56. b. usque 64. c.

Laureacenſes Apoſtoli Corollar. II.

Laureacenſes Antiſtites Conſtantius. 30. b. c. Maximilianus. 82. c. Theodorus 87. c. disquiruntur aliqua de Epiſcop. Laureac. poſt incurſionem Barbarorum 98. 99. a. b. c. Syſtema Epiſcop. Laureacenſium 100. b. poſt Philonem nullus agnitus Laureaci Archi-Ep. 107. b. Laureacenſis Sedes Pataviam transfertur. 120. a. cujusmodi fuerit illa translatio. 121. b. an Salzburgum translata. 142. a.

De primis Epiſcopis Laureacenſibus ſententia finalis. Corollar. I. III.

Laureacenſibus ſubjecti Epiſcopi. Coroll. IV.

Laurentius an aliquis hujus nominis primus Antiſtes Laureac. 27. b. c. an Laureacum à Laurentio dicatur? 28. c.

Laurentius Gurcenſis Ep. 458. b.

Leodienſis Ep. Nicærius ſeu Nizo. 242. c.

Leonardus Ep. Pat. LII. diſcordia diuturna Capitularium in ejus electione 504. a. ac ab ejus electione per quinquennium fere bellum exortum. ib. c. 505. agitur Romæ de hac electione 506. b. c. Pontifex Leonardum per Literas Ep. Pat. nominat 507. 508. a. quem & Archi-Epiſcopo Salzb. commendat. ib. Univerſitas Viennenſis electioni reſiſtit. 509. 510. 511. etiam Albertus Auſtriæ Dux. ib. c. 512. 513. a. b. & Legati. 514. c. 515. 516. a. Confirmantur à Cæſare privilegia Eccleſiæ Pat. ib. b. c. iterum vacillat cauſa Leonardi 517. c. usque 520. a. b. c. 522. a. tandem ope Archi-Ep. Salzb. lis finita. ib. c. 523. a. bellum gerit cum Duce Bavaro 526. b. c. quomodo ſe geſſerit in Schismate Baſileenſi. 528. a. Cæſari hoſpitium præbet. ib. c. ejus rei relatio Æneæ ſilvii ib. 529. usque 533. a. adeſt Synodo Saliſburg. 534. c. reliqua ejus geſta.

535.

535. 536. obitus 537. b. deſcriptio tumuli per Æneam Sylvium. ib. c.
Leopoldus Sanctus conſilio Regimari Ep. Pat. in Monaſterio Clauſtro-Neoburgi Canonicos Regulares Secularibus ſubſtituit. 299. c. condit Monaſterium S. Crucis 300. a. ejus obitus, liberi, locus ſepulturæ 301. c. procuratur canonizatio ejusdem 551. c. 552. a. in Divorum numerum refertur 592. c. 593. a. cultus per Diœceſim Pat. ei à Friderico II. Pat. Ep. decernitur. 594. c.
Leopoldus I. Ep. Pat. LXIII. Archidux Auſtriæ. 665. b. educatio, ingenium, literæ. ib. c. facta ſub eodem transactio Paſſavienſium & Cæſaris de bonis relictis Parochorum. 668. c. defertur ei Epiſcopatus Argentinenſis. 669. a. Zelus in promovenda religione. ib. b. Regimen aggreditur hactenus per ætatem prohibitus. 672. a. adit poſſeſſionem Sedis Argentinenſis. 683. b. ejus oratio contra transactionem cum ordinibus in cauſa Religionis. 686. usque 691. a. b. ſed nihil proficit. ib. b. c. conſcribit exercitum. 693. a. oppugnat Pragam veterem. 694. Collegium Soc. JEſu Paſſavii molitur. ib. c. adeſt Comitiis Ratisbonæ. 695. c. obtiner gubernationem Tirolis. 697. a. obvenit ei matrimonium. ib. c. obitus 701. a. b. c.
Leopoldus II. Ep. Pat. LXIV. Archidux Auſtriæ. 702. a. Scriptor vitæ. ib. c. educatio. 703. a. b. c. deſtinatur ordini Sacro. 704. c. fit Canonicus Paſſ. 705. b. coocordata Capituli ejus electioni præmiſſa. ib. c. 706. 707. usque 717. a. b. eligitur in Ep. Halberſtadienſem. 718. c. renunciatur Magdeburg. & Bremenſis Archi-Ep. 719. a. poſſeſſionem init Epiſcopatus Paſſav. ib. c. abdicat Magdeburg. & Bremenſem Sedem. 720. b. acclamatur Ep. Olomuc. ib. c. initium facit Seminarii Paſſav. 721. a. adit Comitia Ratisbonenſia. ib. b. in Bohemiam cum Cæſare abit. 1723. c. Gubernat Belgium. 724. b. c. 725. a. fit Uratisl. Ep. ib. viſitat Epiſcopatus ib. c. præclariſſimæ ejus virtutes 726. b. c. usq; 746. ad mortem ſe comparat. 747. a. morbus ſupremus ib. c. 748. a. b. c. obitus. 749. a. elogia ib. b. c. 750. a. b. c. tumulus ib. beneficus in civitatem Paſſav. 751. b. renovata ſub eo lis de exemptione Eccleſiæ Paſſav. 752. c. b.
Leſmorienſis Ep. Malachias. 353. c.
Liuticenſis Ep. Vuarapertus. 200. c.
Longobardi in Italiam abeunt. 96. a.
Lotharingiæ Dux Theobaldus 364. a.
Lubecenſis Ep. Joannes. 526. c. 527. c.
S. Lucas ubi prædicaverit? 13. c. 14. a. b. c.
Lucenſis Ep. Anſelmus. 268. c.
Lucius Vindeliciæ, & Bojariæ Apoſtolus. 19. c.
Luitwaldus Marchio Auſtriæ. 226. a.

M.

MAdalwinus Suffraganeus Gerardi Pat. Ep. in Eccleſiam Pat. liberalis 186. c.
Mainhardus Carinthiæ Dux in Concilio Salzburg. diris devotus. 442. c.
Magdeburgenſes Archi-Ep. Adalbertus 213. b. Leopoldus Guilielmus 719. a. Wicmannus 304. c. 312. c. 313. a.
Manegoldus Ep. Pat. XXXIV. fuit Abbas Cremsmünſtrenſis & Tegernſeenſis, 350. a. oriundus è Regia ſtirpe. ib. b. auxit Eccleſiam Pat. poſſeſſionibus. 351. a. b. c. Innocentii III. ad eum Epiſtola circa erectionem Epiſcopatus Viennenſis in Auſtria 352. b. c. 353. a. Pataviam urbem munit. 355. c. adeſt Conventui Herbipol. ib. & Auguſt. 356. b. bellum gerit cum Orienburgio. ib. c. 357. a. Sequitur caſtra Friderici. ib. c. Canonicis S. Hippol. ejus loci parochiam confert. 358. a. b. obitus 359. c.
Marcomanois Evangelium prædicatur. 19. c. 20. c. eorum Regina Fridigildis ad fidem converſa. 53. a. quæ bona inde ſecuta? ib. c.
Marcopolenſes Epiſcopi Petrus III. 461. c. 464. a. 465. c. 470. c. Petrus IV. 503. c.
S. Marcus ubi prædicaverit? 14. a.
Margum Mœſiæ oppidum. 32. b.
S. Martinus Pannoniæ civis & Apoſtolus. 46. a. Patria. ib. Scriptor vitæ. ib. b. Parentes, pueritia ubi, & quomodo acta. ib. c. militiæ nomen dare cogitur. 47. a. pauperi cuidam partem e pallio donat. ib. Baptiſmum ſuſcipit. ib. militiam deſerit. ib. b. ejus geſta quædam ib. c. fit Turonenſium Ep. obitus & prodigia. ib. c.
Mathſeenſis Eccleſia Salzburgenſibus venditur. 461. a.
Mauritius Aichſtettenſis Ep. 621. b.
S. Maximilianus fuerit ne primus Laureacenſium Epiſcopus? 10. c. ejus ortus. 30. c. quando factus Antiſtes Laureacenſis? ib. Romam proficiſcitur 31. a. ejus in perſecutionibus conſtantia. ib. c. tempus Martyrii 32. a. quamdiu ſederit Laureaci? ib. b. vitæ Scriptor in cenſuram vocatur. ib. c. ſepultura. 33. b. Reliquiæ varia in loca transferuntur. 34. b. c. Miracula S. Martyris. 35. a. deportatur ad locum honoratiorem ib. b. Pataviam ab hoſtibus liberat. ib. c. Fridericus IV. ope Sancti ſervatur. ib. an illius reliquiæ Pataviam translatæ tempore irruptionis Barbarorum in Bavariam. 185. a. b. ſub imperio Ottonis III. illius corpus jam Pataviæ quievit. 226. a. 229. b.
S. Maximi & Sociorum cædes. 86. c. 87. a.
Mechlinenſis Ep. Andreas. 750. a.
Mediolanum verſatum. 321. c.
Mediolanenſes Duces Bernabo ſeu Barnabas. 471. b. Philippus Maria. 495. a.
Mediolanenſes Epiſcopi Arnolfus. 288. b. Manaſſes 201. a.
Medlicum hodie Mellicium Regia olim Marchionum Auſtriæ. 238. c.
Meraniæ Duces Bertholdus. 334. b. Otto 351. a. 363. a. 371. c.
Merenſes Epiſcopi Adalpero. 200. c. Arnulphus 105. a. Conradus 364. b. Herimannus 255. a. Theodoricus. 237. a. c.
Methodius Græcus Moraviæ. & Pannoniæ Archi-Ep. 152. b. 162. c. cum Cyrillo in Moraviam venit. 159. b. miro modo Bulgarorum Regem convertit. 160. b. Sclavicam linguam in ſacris adhibet. 162. b. quod improbatum, tandem conceſſum à Pontifice ib. c. Svendibaldum Moraviæ Principem diris devovet. ib. ejus diſcordia cum Wichingo dein Pat. Epiſcopo 164. b. à Pontifice per literas recreatur. ib. quinam errores ei impoſiti? 165. a.
Methodius Illyricus Præſul Sedis Speculunenſis 15. a. b.
Mimigarnifordienſes ſeu Monaſterienſes Epiſcopi: Hiltipald. 200. c. Luitbertus. 161. c.

Digitized by Google

Mindenſes Epiſcopi: Hiberis 200. c. Otto 476. b.

Moguntini Archi-Ep. Addo. 166. a. Arnoldus 316. a. Chriſtianus 326. a. 330. a. Conradus 326. a. 346. b. Fridericus 200. c. Gerlacus. 474. a. Hatto 175. b. c. 178 c. 179. 180. a. b. Gerigerus 187. c. Hrodbertus 213. b. 215. a. Luitbertus 161. c. Lullus 138. a. B. Rabanus 40. a. 42. b. Sigefridus 254. b. 347. c.

Mœſia ſub diœceſi Laureacenſi. 12. c.

Monaſterii Admontenſis Abbates: Albertus 467. c. Engelbertus 440. c. Giſelbertus 285. a. Godefridus. 317. c.

Monaſterium Alderſpacenſe ab Ottone Babenbergenſi Ep. fundatum. 298. b. à Reginberto Pat. Ep. defenditur, qui & privilegia illius & immunitates confirmat. 305. c. item à Ruperto Patav. Ep. privilegium de area Pataviensi accipit 324. c. item à Wolfgero Ep. Pat. contra invaſores defenſum. 345. Abbates: Aſtwinus 305 c. Eberhardus 334. b. Poppo 358. b. 437. c. Sigefridus 324. c. Theodorus 413. a. Volckmarus. 437. b.

Monaſterii Altahenſis origo & fundator 134. b. bona quædam per commutationem à Rudigero Pat. Ep. accipit. 386. c. 387. a. uſu ſacrorum interdicitur à Bertholdo Pat. Ep. 390. c 391. a. Abbates: Henricus 401. a. Hermanus. 380. c. 386. c. 404. c. Ratmundus. 243. c.

Monaſterium Altenburgenſe 308. a. Abbas Wolfgangus 551. c.

Monaſterii S. Andreæ poſſeſſiones à Wolfgero Pat. Ep. confirmatæ 341. c. quædam de ejus Monaſterii origine. ib. & 342. a. Præpoſiti: Erath. 342. a. Marquardus ib. Otto ib.

Monaſterii Aſpacenſis Abbates: Fridericus 328. c. Henricus. 358. b. Paulus Sanr. 574. c.

Monaſterium Auguſtinianorum Viennæ fundatum à Friderico pulchro 457. b. an conſecratum à Godefrido II. Pat. Ep. 463. c.

Monaſterium Campililiorum à Leopoldo Auſtriæ Duce extructum. 372. c. Abbates Conradus 440. a. Petrus. 551. c.

Monaſterii Caſinenſis Abbas Deſiderius. 277. a.

Monaſterium Cellenſe ab Ottone Pat. Ep. conſecratum. 399. b. Præpoſiti Laurentius 551. c. Wolfgerus dein Ep. Pat. 337. c.

Monaſterium Cellæ Angelorum à Bernardo Pat. Ep. fundatum. 442. c.

Monaſterium Cellæ Principum ab Hartwico Pat. Canonico fundatum. 413. c. Abbas Thomas 357. b.

Monaſterii Claræ-vallis extra muros oppidi Zwetl Præpoſiti: Udalricus Hackl. 642. b. Joannes Zenonianus. ib. a. vide infra Monaſterium Zwetlenſe.

Monaſterium S. Claræ, Viennæ à Godefrido II. Pat. Ep. conſecratum. 463. c.

Monaſterium Clauſtro-Neoburgenſe ab Innocentio II. eximitur procurante Leopoldo Sancto 299. c. ibidémque Canonicis ſecularibus, Regulares ſuffecti. ib. Decanus Werherus. 325. c. Præpoſiti: Hartmannus 299. c. Otto 293. a. Rudigerus 325. c.

Monaſterium Cluniacenſe quando extructum. 297. a.

Monaſterii Corbejenſis Abbas Fretricus. 271. a.

Monaſterium Crembsmunſtrenſe fundatum. 138. b. reformatum ab Altmanno Pat. Ep. tempore Schiſmatis Henriciani 268. b. Eccleſia conſecrata ab Engelberto Pat. Ep. 248. a. litigat cum Conrado Pat. Ep. de eligendo Abbate. 317. c. 318. 319. 320. a. Engelgerus Clericus patrimonium ſuum eidem Monaſterio transſcribit. 322. a. auctum à Manegoldo Pat. Ep. prædiis & proventibus 350. c. & à Rudigero Pat. Ep. 386. c. Abbates: Albertus. 317. c. Alramus 328. a. Conradus 467. c. Dietricus. 273. c. Manegoldus 334. a. b. 343. c. Martinus 322. a. Ortolfus 396. a. Pezzelinus 273. c. Udalricus. 334. a. Volmarus. 288. c.

Monaſterium S. Crucis conditum à Leopoldo Sancto. 300. a. dedicatum à Theobaldo Cardinali 335. a. prædium Minchindorf à Conrado Pat. Ep. accipit. 313. b. privilegiis donatum à Wolfgero Pat. Ep. 349. c. Abbates: Conradus 310. Henricus 330. c. 404. a. Syfridus. 399.

Monaſterii S. Dorotheæ Viennæ Præpoſiti: Ægidius 493. c. 494. a. Nicolaus. 526. b. Stephanus 551. c.

Monaſterium Ducumburgenſe ab Udalrico Pat. Ep. conditum. 289. c. 290. c. Præpoſiti: Engelſchalcus 290. c. Wiſento Imus ib. Wolfgangus. 551. c.

Monaſterium Favianenſe, erectum à S. Severino 74. b.

Monaſterium S. Floriani prope Anaſum fluvium 41. a. reſtauratur ab Engelberto Pat. Ep. 248. a. reformatur ab Altmanno Pat. Ep. tempore Schiſmatis Henriciani. 268. a. Præpoſiti Hartmannus. 272. c. Henricus 313. b.

Monaſterium Formbacenſe à Diepoldo Pat. Ep. capellam quandam obtinet. 334. b. Abbates: Ortolfus 358. b. Perngerus. 287. a. Rumplerus 573. b. 590. c. 596. a. 600. a. Wirnto ex Priore Garſtenſi. 291. c.

Monaſterii Friſacenſis Præpoſitus Conradus. 359. c.

Monaſterii Fuldenſis initium, ejúsque auctor 127. a. Abbates: Egilus. 127. b. Hademarus, qui cauſam Gerardi Laureacenſis egit Romæ 195. b.

Monaſterii Garſtenſis fundator Ottacher Marchio Styrenſis. 272. c.

Monaſterii S. Georgii Abbates Engelſchalcus 381. a. Hartwicus 313. b.

Monaſt. Virg. in Göſs prope Leobium fundatum ab Aribone Moguntino Archi-Epiſcopo. 244. c.

Monaſterium Gotwicenſe ab Altmanno Pat. Ep. conditum. 256. c. fundationis occaſio 261. reſtauratur ab Ulrico Pat. Ep. inductis Monachis. 286. a. b. c. Abbates: Calhohus 303. a. Cholchohus. 256. a. Gerhohus 311. c. Falbius 696. c. Hartmannus. 286. c. Hartwicus. 317. c. Henricus 396. a. 401. a. Joannes 321. b. Martinus 551. c. Ulricus 467. c. Werherus 311. c. Præpoſiti: Conradus 261. c. Otto. ib.

Monaſterium Heeglwerdenſe prope Salzburgum. 367. a.

Monaſterii Hilarienſis ſeu Wilheringenſis origo, & fundator. 306. c.

Monaſterium S. Hippolyti: 134. c. quando conditum 221. c. qui ejus fundatores? 222. a. à Perengero Pat. Ep. Eccleſia Bechamskurchenſi & pago S. Chriſtophori auctum. 244. a. & donatione quadam à Wolfgero Pat. Ep. 338. a. cum quo quorundam bonorum commutationem facit. 342. b. c. parochiam à Manegoldo

Pat

Pat. Ep. accipit. 358. a. b. conſecratur à Gebhardo Pat. Ep. 372. a. litigat cum Trunario Plebano; lis à Petro Pat. Ep. deciſa 409. a. alia beneficia ab Eccleſia Pat. recepta. 438. c. Privilegia ab Alberto Pat. Ep. confirmata. 472. c. Præpoſiti: Caſpar 536. a. Chriſtianus. ib. Colomannus 595. c. Dedalricus 317. c. Eckardus 446. a. 448. a. Engilbertus 272. c. Georgius 572. c. Gerungus 448. c. Henricus 396. a. 404. c. Joannes 582. a. Marquardus 372. a. 381. a. Müllerus 303. c. 438. c. Oswaldus. 595. b. Philippus 551. c. 572. a. Sichardus. 343. b. Siſridus. 358. a. Udalricus. 313. b. 332. a. Ulricus. 473. a. 476. c.

Monaſterii Hirſaugienſis Abbas Wilchelmus 269 b.

Monaſterium Lambacenſe Monachis traditur approbante Altmanno Pat. Ep. 277. c. Abbates: Petrus. 465. a. Schwarzmanus. 340. c. Sigmarus. 425. c.

Monaſterii Laureſheimenſis Abbas Gundelandus 138. a

Monaſterium S. Mariæ Pataviæ fundatur 134. b. ſubiicitur Epiſcopis. 217. b. ditatur 241. b. Abbatiſſa Heilka 241. c. Giſela 245. b.

Monaſterium S. Martini à Stephano Hung. Rege inſtitutum. 234. b. Abbas primus: Aſtricus ſeu Anaſtaſius. 234. b.

Monaſterii Matſeenſis ſeu Mathicenſis Præpoſitus Rodericus Baro de Santhilier. 705. b. Jodocus à Brendt. 763. a.

Monaſterium Maurbacenſe Carthuſ. à Friderico pulchro fundatum. 454. c. Abbas Godefridus. 457. a.

Monaſterium Mellicenſe quando Canonici inhabitare cœperint? 225. a. eximitur à Paſchali II. procurante Udalrico Pat. Ep. 292. a. qui & Eccleſiam conſecravit ib. c. litigat cum Regimaro Pat. Ep. ob decimas 301. a. b. Item cum parochis Patavienſibus 365. c. 366. a. Item cum Gebhardo Pat. Ep. 373. c. 374. a. Abbates: Chriſtianus 525. a Conradus 330. c. 447. b. Engelſchalkus 293. c. Erchenfridus 238 a. 294. a. Gotſchalkus 483. c. Joannes 551. c. Leonardus 525 a. Ludovicus. 464. a. 488. a. Nicolaus 504. a. 512. c. Ortolſus 396. a. Sigiboldus. 292. a. Sigismundus. 599. b. Stephanus. 534. c. Ulricus. 449. c.

Monaſterii Montis S Michaëlis Abbates Hermenricus. 320. b Irmbertus. ib.

Monaſterii Montis Pomerii ſeu Baumgartenberg origo, & fundatores, 306. c.

Monaſterium Neoburgenſe quando extructum. 297. a. Præpoſitus Conradus. 396. a. Joannes. 551. c. Marquardus. 313. b. 317. c. vide Mon. Clauſtro-Neob.

Monaſterium S. Nicolai ab Altmanno Pat. Ep. fundatum 368. a. litigat cum Decano Anaſenſi. ib. item de parochia Gritſch à Gebhardo Pat. Ep. in Monaſterii ſavorem deciſa 369. a. alia beneficia Epiſcoporum Pat. in hoc Monaſterium. 349. b. 370. b. c. 404. b. 414. c. Præpoſiti: Adalbertus. 313. c. Bernhardus 358. b. Gerboto 378. c. Leonardus. 574. c. 577. a. Leopoldus 513. c.

Monaſterium Oſterhovenſe à Rudigero Pat. Ep. ditatum. 386. a. item à Wolfgero. 341. a. Abbates: Albero conſecratus in primum Abbatem ejus Monaſt. à Bernardo Pat. Ep. 440. c. Ulricus 447. c.

Monaſterii S. Petri Salzburgi Abbas Baldericus 306. a. Henricus 312. a. Virgilius. 137. a.

Monaſterium Portæ Cœli Viennæ à Gebhardo plebano extructum, à Petro Pat. Ep. conſecratum 441.

Monaſterii Pruſeningenſis primus Abbas Ermenoldus: ab Udalrico Pat. Ep. conſecratus. 294. a.

Monaſterium in Raitenpuch à Welſone Bavariæ Duce conditum. 282. b.

Monaſterium Ramshovenſe conſecratum ab Ottone Pat. Ep. 397. c. Abbas Cunradus 461. a. Ulricus ibidem. Præpoſiti Conradus 305. b. Othliebus. 397. c. Siſridus. 424. a.

Monaſterii Reicherſpergenſis fundatio. 293. c. Præpoſiti: Gerhohus 312. a. 326. c. Gerlochus. 340. c. Otto. ib. Richerus 331. c.

Monaſt. Resbacenſ. Abbas Agilus. 103. c.

Monaſt. Scotorum Viennæ unde originem duxerit? 314. c. 315. a. fundatur ib. 301. c. conſecratum à Wolfgero Pat. Ep. 346. c. Abbates: Clemens 467. c. Chriſtophorus 590. c. Felix. 384. a. Joannes 526. b. Martinus 534. c. Philippus. 384. a. Sanctinus 315. b.

Monaſterium Seittenſtettenſe ab Udalſchalco nobili viro conditum. 291. c. Abbates Andreas: 602. c. Caſpar Plautius. 751. c. Chriſtianus Kolb. 538. b. Fridericus 310. a. Gundacherus ib. Henricus 610. a. Joannes. ib. Kilianus Hewmader. 574. a. Paulus Pymiſſer. 572. c.

Monaſterium S. Severini Neapoli duravit usque ad Seculi IX. medium. 82. c.

Monaſterii Suben Præpoſitus Andreas de Lampoting. 465. b.

Monaſterii Tegerſeenſis, initium & fundatores. 134. b. c. Abbas: Ellingerus 247. c. Manegoldus dein Ep. Pat. 327. c. 340. a.

Monaſterii in Tyrnſtein fundator Otto de Meiſſau. 491. b. c.

Monaſt. Vornbacenſe vid. Formbacenſe.

Monaſterii in Waldhuſen origo & fundator. 306. c.

Monaſterii Zwetlenſis origo, & fundatores 306. a. b. 317. c. 343. a. 372. c. conſecratum à Conrado Pat. Ep. 317. a. in irruptione Barbarorum incendio conſumitur. 329. Godefridi Pat. Ep. in hoc Monaſt. liberalitas 438. b. Abbates: Bolſinus. 343. a. Conradus. 403. b. 412. a. Ebron 372. c. 438. b. 439. c. 443. c. Erasmus 608. a. Hartmannus 306. a. b. Joannes de Egra. 535. c. 536. c. Joannes Rüoff. 642. a. Joannes Waltpeck. 572. c. Otto. 447. c. 450. a. c. Pitrolſus 412. a. Rupertus 343. a. Udalricus. 642. a.

Monaſteria varia in Auſtria & Bavaria Reginmari Pat. Ep. ſuaſu erecta. 297. b.

Monaſterienſes Epiſcopi: Fridericus. 321. c. Herimanus. 346. c.

Moravi ſe ſubtrahunt Diœceſi Paſſav. 174. b.

Moravorum Duces: Moymarus & Priwina 151. Suentibaldus. 162. c. 165. b. 166. b. 167. c. 196. b.

Moraviæ Marchiones: Conradus. 271. c. Joannes 476. b. Jodocus. ib. 491. a. Moymarus 174. b. impetrat Româ Archi-Ep. & Suffraganeos pro Moravia. ib. Ottocharus 393. b. c.

Murſæ (hodie Eſſekinum) Ep. Valens 45. b. Coroll. IV.

N.

NAmare hodie Mellicium ſeu Melck. 70. c.

Naumburgenſes Epiſcopi Eppan. 257. a. Gerardus. 476. b.

S. Nazarii translatio. 138. a. Epiſcopi qui adfuerunt. ib.

Neoburgenſes Epiſcopi: Hildegartus. 137. b. Manno. ib. Wicco. ib.

Neoſtadienſis Epiſcopus Card. à Kolonitz. 790. b.

Nicenus ſeu Nizo Leodienſis Ep. 245. c.

Nitravienſis Ep. Adelwinus. 149. b. Wichingus. 146. a. 168. b.

S. Nonnoſi Abb. feſtum Friſingæ & Pataviæ, Corollar. X.

Noreja urbs Norici præcipua. 2. b. 4. b.

Noricum pars Illyrici veteris. 1. c. ejus ſitus ibid. Reges. 2. b c. oppida. 3. c. diviſio. 5. b. incolæ. 2 a. quis olim ſtatus Religionis 8. a. 10. c. Noricum Ripenſe diœceſis propria Metropolitæ Laureac. 12. c. an in Norico prædicarent, SS. Marcus, Titus, Lucas? 13. c. 14. c. an Creſcens ib. an Cyrus & Juventius? ib. c. calamitates Norici a Barbaris 31. b. Noricum mediterraneum non ſpectabat ad Metropolim Sirmienſem 62. a. Norici Epiſcopi ex ſententia Lazii 74. b. populi Norici à Ptolomæo enumerati 91. b. Francis ſubjiciuntur 94. a. Galliarum Epiſcopi in Norico Sacerdotes conſtituunt 94. b. Aquilejenſium eâ de re querela. ib. c.

Nymovienſis Ep. Ammanetus. 478. a.

O.

OBerhaus caſtrum in monte S. Georgii Pat. ab Ulrico II. Pat. Ep. ædificatum. 364. c.

Obernperg Caſtrum à Wolfgero Pat. Ep. extructum. 345. c.

Odericus vide Udalricus.

Odoacer Herulorum Dux. 76. c.

Oeringæ nova Baſilica à Carolomanno Rege extructa. 34. b.

Olomucenſes Ep. Brunno. 393. c. 396. a. 415. c. Franciſcus Cardinal. à Dietrichſtein. 720. c. Leopoldus Guilielmus Archi-Dux Auſtriæ ib. Joannes. 474. a

Oranius Celejæ Presbyter non Ep. fuit. 3. c.

Ortonenſis Ep. Joannes. 187. c.

Ortenburgicorum cum Wolfgero Pat. Ep. bellum. 345. c.

Oſtericha pagus Bojorum 206. c.

Oſtienſes Epiſcopi: Hugo. 354. a. b. 355. a. Otto. 275. b. Theobaldus Cardinal. 335. a.

Oſnabruggenſes Epiſcopi: Buggo, ſeu Benno 270. c. 271. a. Egilbertus 161. c. Touro. 200. c.

Oſtrogothorum Duces Echma. 29. b. Theodemirus, Valemirus, Videmirus. 56. a.

Oſtrogothi pro Auſtriacis ſumuntur à Bernardo Norico. 160. b.

Otilo Bojorum Dux Eccleſiæ Pat. fundator 132. c. Virgilium ad Ep. Salzb. promovet 131. c. ejus obitus epocham rerum Boicarum ſtatuit. 134. a. b. c. 134. a. liberalis in fundandis Monaſteriis. ib. b. locus ſepulturæ. ib.

Ottonis Magni ad Piligrinum Pat. Ep. Epiſtola de legatione ad Hungaros. 207. c. 208. a. legationis hujus utilitas. 209. b.

Otto Bambergenſis Ep. quæ cænobia fundarit? 298. a.

Otto Friſingenſis Leopoldi S. Filius. 299. b. Ordinem Ciſtercienſium ingreditur in cœnobio Morimundenſi. ib. c.

Otto II. 223. a. inſtaurat Regularem diſciplinam in Cænobio Tegernſeenſi. 225. b.

Otto Saxoniæ Præfectus. 271. c.

Ovilabis colonia olim Aurelia Antoniniana ubi hodie Welſium Auſtriæ ſuperioris oppidum. 19. b.

P.

PAderbornenſes Ep. Luithardus 161. c. Rupertus è Ducibus de Monte 486. a. Simon 26. Turo. 200. c.

Pannoniæ ſitus 1. c. deſcriptio 2. a. Duces ib. diviſio 5. c. varia nomina. 6. b. Pannoniæ viciſſitudines. Corollar. I. Epiſcopatus antiqui Corollar. IV. vide *Laureacenſis Eccleſiæ ſtatus.* Epiſcopatus. 11. c. 21. a. Epiſcopi primi ignoti. 27. b. à Carolo M. Chriſtianis ſacris exculta. 140. c. 141. a. Religionis procuratio Arnoni Juvavienſi Ep. commiſſa. ib. b. turbæ in Pannonia excitatæ à Ludovico quodam. 157. c. Item à Bulgaris & Moravis 158. b. Item à Suentibaldo Moravorum Duce 165. c. Pannonia unde Moravia magna dicta ib. ſtrages in Pannonia ab Avaris, & Ungaris 167. c. quæ Orientalis, quæ Occidentalis Pannonia olim fuerit? 198. c. à Stephano Rege proprios Ep. obtinet. 230. c. jam ſub Geila erat Chriſtiana Sacris addicta, ſed iterum deficit. 233. c. 234. a.

Papienſis Ep. Joannes 543. c.

Pappates ſeu Radla S. Adalberti diſcipulus 234. a.

Parentinus Ep. Engilmarus. 247. c.

Parochorum præclara inſtructio. 821.

Pataviæ deſcriptio. 115. a. c. 532. a. b. varia ejus nomina & aliorum circa hoc opinio 116. a. b. c. ſitus 117. a. b. origo urbis ib. c. ſub quorum poteſtate olim fuerit. 118. a. Religio. ib. b. Baſilica à quo extructa. ib. c. templa aliaque memoranda 119. a. b. Inſignia urbis. ib. c. Viviloſedi Pat. initium facit. 120. a. non fuit ſubjectus Metropolitæ Moguntino. 122. c. ſeries primorum Pataviæ Ep. à poeta quodam deſcripta. 128. c. Patavienſes Antiſtites non gaudebant titulo Archi-Ep. 129. a. Parav. ab Ottone II. obſeſſa. 223. a. b. ab Ottone III. ex integro Ep. Pat. ſubjicitur 233. b. Nundinæ ſub quo Ep. primùm inſtitutæ. 323. b. munitur à Manegoldo Ep. 355. c. D. Virginis Auxiliatricis origo. 698. c. Seminarii Paſſav. initium 721. a. 811. a. variis temporibus incendio premitur. 331. c. 455. c. 468. c. 751. a. 774. c. Graviores ſeditiones & tumultus in urbe. 444. c. 445. b. c. 459. c. 460. b. c. 484. a. b. 474. b. 539. 540. 541. a. b. c. Paſſavii nuptiæ Leopoldi Imp. cum Eleonora Neoburgica. 7-3. c.

Patavienſis Eccleſia fundata ab Otilone Bavariæ Duce 132. c. complura Monaſteria in hac Diœceſi inſtituta. 134. b. quæ regio ſub Ludovico Bojor: Rege ad hanc Eccleſiam ſpectârit? 155. b. bona illius à Theodorico & Goteſrido Marchionibus diſtracta ib. c. ante irruptionem Hungarorum omnem decimationem intra Anaſum fluvium, & Comagenum montem

poſſe-

poſſedit. 204. a. commoda, & bonorum acceſſiones à D. Henrico Imp. 236. a. ſub Berogero Pat. Ep. 242. c. ex turbis Hungariæ ſopitis. 245. c. ſub Engelberto Pat. Ep. 248. c. 249. usque 252. b. ſub Altmanno 257. a. b. ſub Reginario Ep. 300. c. in Conventu Bambergenſi. 315. c. ſub Urbano Ep. 340. c. ſub Wolfgero 341. a. ſub Rudigero Ep. 386. a. ſub Ottone Ep. 396. b. 397. a. b. c. ex erectione Academiæ Viennenſis. 472. b. ex teſtamento Friderici pulchri 457. c. ſub Joanne Philippo Ep. 810. a. 811. a. ex confirmatione immunitatis facta ab Ottone III. 231. 232. a. b. à Ludovico Bavaro 462. c. à Ducibus Bavariæ. 478. c. 479. a. à Ladislao Hung. Rege. 544. a. b. c. ab Alberto Auſtriæ Archi-Duce. 545. c. 546. a. ex privilegiis & Diplomatibus ab Arnulfo Imp. 169. b. 170. a. b. c. ab Ottone II. 216. c. usque 220. a. ab Styriæ Marchione 280. a. ab Auſtriacis. 470. a. b. à Carolo IV. 473. a. b. 474. a. b. a Sigismundo Rom. Rege 516. b. c. a Friderico III. 542. c. 543. a. 549. a. 550. a. b. à Maximiliano Imperat. 599. à Ferdinando Rom. Rege. 606. b. c. 607. a. b. à Carolo V. 610. b. c. 611. usque 614. a. b. Reditus Epiſcopales unde? Corollat. XV. ut ſe Epiſcopatus Patav. habeat ad Imperium Corollar. XVI.

Patav. Eccleſiæ damna. & calamitates: ob mortem Arnulfi. 173. c. 174. a. ab irruptione Hungarorum in Germaniam. 187. a. 189. c. ob direptum patrimonium. 224. b. 225. c. ob ſeditionem in D. Henricum 236. b. c. ob turbas Hungaricas. 245. a. ab Henrico IV. 265. a. 266. c. ſub Conrado Ep. Pat. 311. b. 323. a. b. ob Schiſma Henrici. 326. a. b. c. à Comite Ortenburgico 338. c. ob defectum rei pecuniariæ. 401. b. ob Bellum Alberti in Helvetos. 464. a. à Schaumbergio Comite. 476. c. ſub Georgio Pat. Ep. 488. a. ex æmulatione Ep. Friſingenſis Bertholdi. 489. b. c. ob exactiones graviores. 492. c. 493. a. ob ſumptus in bellum Hungaricum collatos. 523. c. ob hæreſim Lutheranorum 605. c. ſub Joanne Philippo ob litem cum Salzburgenſibus. 792. b. c. usque 802.

Pataviensis Baſilica à. Plectrude Pipini conjuge extructa. 107. b. c. 118. c. 119. a. renovata ſub Bernardo Ep. Pat. 441. c. ſub Wenceslao Ep. 760. a. ſub Sebaſtiano 775. c. ſub Joanne Philippo. 810. a. 811. a. ſub Raymundo. 815. a. baſilicæ hodiernæ deſcriptio Corollar. IX. Ritus dierum feſtorum. Corollar. X.

Pataviensis Diœceſis amplitudo ex Epiſt. Æneæ Sylvii. 532. c. uſu ſacrorum interdicitur ob detentum à Leopoldo Auſtriæ Duce Angliæ Regem. 338. c. ab hæreſi purgatur ope Rudolphi Cæſaris. 667. b. c.

Pataviense Conſiſtorium Viennæ 596. c. 597. a. b. c.

Patavienses Epiſcopi: Adalbertus Ep. XVIII. 200. a. Albertus, & Gebehardus. 451. a. Albertus II. 456. a. Albertus III. 469. b. Albo. 325. c. Altmannus. 255. a. Anthelmus. 135. a. Beatus 130. a. Bernardus. 439. c. Berngerus. 241. c. Bertholdus. 388. c. Burchardus. 183. b. Carolus Joſephus. 753. Chriſtianus 229. Chriſtophorus. 595. Conradus I. 310. c. Conradus II. 387. Dietboldus. 327. Engelbertus. 248. Engelmarus. 163. Erneſtus. 603. Fridericus I. 585. c. Fridericus II. 593. Gebhardus. 367. Godefridus I. 426. Godefridus II. 462. Georgius I. 484. Georgius II. 574. Gerhardus 189. Gumpoldus. 187. Hartwicus. 157. Hatto. 152. Henricus. 326. Hermenricus. 160. Joannes. 480. Joannes Philippus. 777. Joſephus. 816. Leonardus. 504. Leopoldus I. 665. Leopoldus II. 702. Manegoldus. 350. Otto. 395. Petrus 406. Piligrinus. 203. Poppo 350. Raymundus. 813. Reginarius. 154. Regimbertus. 304. Reginmarus. 297. Richarius. 173. Rudigerus. 375. Rupertus. 323. Sebaſtianus. 763. Sidonius. 130. Udalricus I. 284. Udalricus II. 360. Udalricus III. 538. Vivilo. I. 120. Urbanus. 626. Urolphus 146. Waldericus. 138. Wenceslaus. 759. Wichardus. 424. Wichingus. 168. Wigileus 598. Wiſuricus. 135. Wladislaus. 405. Wolfgangus I. 614. Wolfgangus II. 625. Wolfkerus. 337.

Pataviensium Epiſcoporum Catalogus brevis Corollar. V.

Paſſav. Suffraganei. Albertus Salonenſis Ep. 595. a. Albricus. 158. a. Andreas Conſtantienſis Ep. 595. b. Andreas Victricenſis Ep. 503. c. Bernardus Meürl Lybanenſis Ep. 602. c. Conradus Amienſis Ep. 450. c. Hector Wegmon. 642. b. Henricus Chriſopolitanus Ep. 610. a. Hermanus Priſinenſis Ep. 455. a. Joannes I. Ep. Symblinenſis 709. c. 751. c. Joannes II. Lampſacenus Ep. 752. a. Jodocus Lampſacenus Ep. 753. a. Madalbinus. 186. c. Mathias Victricenſis Ep. 525. a. 538. b. Maximus Steiner Seliprienſis Ep. 777. b. Nicolaus I. Ep. Warnenſis 503. c. Nicolaus II. Marcopolenſis Ep. 538. b. Nicolaus III. Ep. Yponenſis. 598. b. Nicolaus IV. 752. a. Petrus III. Marcopol. Ep. 461. c. Petrus IV. Marcopol. Ep. 503. b. Reymundus Ep. Aulonenſis. 811. c. 812. a. Sigilbertus. 254. c. Simon Caſtorienſis Ep. 483. c. Thomas Murnanus. 610. a. Udalricus. 752. a. Wolfgangus Iponenſis Ep. 572.

Pataviensium Suffraganeorum Catalogus. Corollar. VI.

Paſſav. Officiales: Alexius. 548. a. 551. b. 552. c. 553. a. Andreas de Griſſenberg. 491. c. Balthaſar Sculteius. 642. Caſpar Harnperger. 536. c. Erhardus. 525. a. Everhardus. 620. c. Hueberus. 619. c. 620. c. Joannes Hippisdorffer. 483. c. Joannes KaltenMarckter. 597. a. Joannes Pergow. 479. c. Joannes de Otting. 572. b. Laurentius Zadeſius. 642. a. Leonardus Layminger. 504. a. Leonardus Schawr. 490. c. Melchior Cleſſelius. 632. c. 633. c. 639. c. 667. a. Michael Lochmayr. 595 c. Sigismundus Forſter. 574. c. Sigismundus Forſthofer. 591. a. Wigileus Korſchler. 590. b. Wolfgangus Gabler. 597. a.

Officiales hæreditarii. Corollar. XIV.

Pataviensis Eccleſiæ Præpoſiti. Albertus de Winckl. 468. a. Albo deinde Ep. Patav. 325. c. Eberhardus. 358. Egilbertus. 265. c. Franciſcus Antonius ab Harrach, dein Archi-Ep. Salzb. 802. Franciſcus Antonius de Loſenſtein. 774. b. 489. a. Godefridus. 425. c. 438. c. 446. b. Hartnidus. 365. c. Henricus. 370. a. Joannes Scharſenberg. 478. b. 480. b. Megengotus. 338. a. Meingotus 389. b. 397. c. 401. b. 402. c.

Meningodus. 454. c. Otto de Layming. 489. a. Sebaſtianus à Pörring. 767. b. Seyfridus. 553. c. Urbanus. 627. a. Wenceslaus Thien. 506. Wichardus. 414. a. 424. c Wichingus. 168. b. Wilhelmus de Acham. 576. a. Wolfgangus à Salm 616. a. Præpoſitorum Catalogus Corollar. VII.

Patav. Decani: Albertus. 387. a. 390. c. Bernardus Schwarz. 619. c. 620. c. 630. c. Berngerus. 241. c. Burchardus Krebs. 158. c. Chriſtophorus Schachnerus. 595. c. Cunradus 369. a. 370. c. 377. c. Erchengerus 260. c. Fridericus. 328. b. 332. b. Gundackarus. 468. a. Hermanus Digni. 478. b. 481. c. 484. b. Hermanus ab Athimis. 789. b. Henricus. 338. a. 342. 358. a. Henricus Flöckelius. 504. a. 506. a. 515. a. Joannes Rot. 549. a. Marquardus à Schwendi. 709. a. c. Meningodus 404. c. Otto. 362. b. 363. c. 365. c. 368. b. Poppo 397. c. 401. b. 402. c. Rupertus. 312. c. 323. c. Rupertus à Moshaim. 609. a. Sighardus 324. c. Tageno. 336. a. Valentinus. 553. c. 574. c. Ulricus 414. a. Wenceslaus Thyhem. 494. a. Wigileus Froſchelius. 598. c. 602. b. c. Wolfgerus. 438. c. 446. b. Decanorum Catalogus Corolla. VIII.

Pataviensis Capituli cum Principibus Auſtriæ conſœderatio. 467. c. 469. c. 481. a. 484. b. 485. c. diſcordia diuturna in electione Leonardi Pat. Ep. 504. 505. a. b. c. 507. 524. b. & Georgii II. Pat. Ep. 576. a. usque 584. a. b. transactio Capituli cum Regentibus Auſtriæ ejusque Capita. 634. usque 636. a. b. item cum Rudolpho de bonis relictis parochorum. 668. c. Capituli ſtatuta ſub Urbano Ep. 643. usque 665. b. item circa electionem Leopoldi Archiducis Auſtriæ in Coadjut. Paſſav. 705. c. usque 717. c. item ſub Carolo Joſepho Ep. 754. c. 755. 756. a. b. item ſub Wenceslao Ep. circa veſtimenta Epiſcopalia. 762. c. Item ante electionem Sebaſtiani Ep. 764. a. usque 772. c. item ante electionem Joannis Philippi Ep. 779. c. usque ad 789. c.

Paſſavienſes Canonici ex Laicorum conſortio ad ſtabilem ædem conducti à Conrado Ep. Pat. 313. c. 314. a. b. Privilegiorum confirmationem obtinent à Lucio III. Pont. 332. b. c. 333. a. b. c. eorundem Catalogus circa annum 1197. 342. c. 343. a. item circa 1227. 370. a. b. à Leopoldo Auſtriæ Duce immunitatem vectigalium obtinent. 361. b. c. eorundem Canonicorum Dignitas ex illuſtri Diplomate Bertholdi Pat. Ep. oſtenditur 391. b. c. 392. a. b. Beneficia Rudolphi Imperatoris erga eos. 425. a. Canonicorum diſtributiones Coroll. XI. XII. XIII. Canonicorum hodiernorum Catalogus. Corollar. XVII.

Patav. Archi-Diaconi: Albertus de Beheim 377. c. usque 383. c. Eberardus de Jahenſtorff. 373. a. 312. c. Jacobus. 328. b. Ulricus. 275. a.

Patavienſe cœnobium Virginum Epiſcopo Patav. ſubiectum. 320. b. c. 321. a. b. partem ſilvæ Nordwald obtinet. 341. c.

Patav. Cancellarii: Aurelius Remigerus. 617. b. Joannes Prenner. 571. c. 598. a.

Pechlarn ubi ſitum? 188. a.

Peilſtein de Comites è quorum familia dicitur Reginbertus Pat. Ep. 304. c. 305. a.

S. Pelagius Martyr. 36. a. paſſus in Pannonia. ibid.

Perchtolsdorff parochia ab Ulrico II. Pat. Ep. erecta. 361. c. 362. a. b.

Peregrinus vid. Piligrinus.

Petinenſis Ep. Michael. 552. a.

Petovienſis Ep. Victorinus 21. a. Julianus Valens & Marcus 62. c. item Corollar. IV. Bergullus. ib.

Petrus Hungariæ Rex. 246. a.

Petrus Ep. Patav. XLII. fuit inſtructor Wladislai Poloniæ Ducis. 406. b. auctoritate Pontificis Sedi Patav. præficitur. ib. 10. 407. a. b. c. impetrat Diploma de bonis relictis decedentium parochorum & confirmationem immunitatum & privilegiorum Eccleſiæ Patav. 480. b. c. 409. a. intereſt Synodo Viennenſi. 410. a. c. 411. c. b. conſecrat Monaſterium Portæ-Cœli Viennæ. ib. c. & Archi-Ep. Salzb. 414. b. conſecrat Monaſterium Virginum S. Nicolai. ib. c. ad Pontificem literas dat de exceſſibus Ottokari. 416. b. c. 417. a. partem feudorum Patav. Rudolphi filiis confert. 418. c. 419. 420. a. b. cui Rudolphus Rex alio Diplomate reſpondet. ib. c. 421. 422. a. b. c. obitus. Epitaphium. 423. c. duratio ſedis. 424. a.

Photinus Sirmienſis Ep. novæ Sectæ auctor. 45. b. 51. c.

Pictavienſis Ep. Hilarius. 47. b. 48. c.

Piligrinus ſeu Peregrinus Ep. Pat. XIX. ejus laudes & Sedis initium 203. c. Pallii dignitatem recuperare meditatur, ſed à Friderico Salzburg: impeditur. ib. quod tamen impetrat, non longè poſt à Benedicto VII. S. Wolfgangum ad Epiſcopatum Ratisbonenſem promovet. 204. c. 205. a. b. Piligrini cura in promovendis benemerentibus ib. c. ejusdem doctrina & nobilitas. 206. a. ad Hungaros convertendos invitatur. 209. c. à Benedicto VII. impetrat ordinationem Epiſcoporum in Pannonia. Pallium, & confirmationem Eccleſiæ Laureacenſis. 210. c. Salzburg. & Laureac. Eccleſia dividitur. ib. ad Gallos & Germanos hac ſuper re Epiſcopos literæ 213. b. c. 214. a. b. c. tempus literarum 215. a. ob fidelitatem ab Ottone II. varia Diplomata accipit. 216. c. usque 223. à quo & Archiep. Laureac. agnoſcitur. ib. ab Ottone III. Diploma immunitatis ad ducendos in Auſtriam colonos impetrat. 225. b. c. tres Synodos variis in locis celebrat ad cognoſcendas decimationes in Auſtria. 226. c. 227. a. b. relatio memorabilis de rebus Piligrini circa S. Godehardum. 228. b. c. quem & in Diaconum ordinavit. 230. a. b. obitus 228. c. Elogium. 229. a.

Pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrandi exacta ratio. 825. a.

Poloniæ Duces: Boleslaus. 316. a. Conradus 387. b. c. Vladislaus. 387. b.

Poloniæ Reges: Caſimirus. 467. b. Joannes. 802. c. Miceslaus ſeu Miſico. 216. a. Sigismundus 601. b. Uladislaus. 720. c.

Pons Iſis hodie Ipſium. 70. c.

Poppo Ep. Pat. XXXIII. fuit Præpoſitus Aquilejenſis 350. a. initium Sedis. ib. obitus. ib.

Portuenſes Epiſcopi: Conradus S. Rufinæ Cardinalis 369. a. Formoſus 161. a. Theodinus. 333. c.

Praga oppugnata à Leopoldo Archiduce Auſtriæ 694. a.

Pragenſis Archi-Ep. Joannes de Ganſtein. 473. c. 487. c.
Pragenſes Epiſcopi: Adalbertus. 209. a. 277. b. Daniel. 315. c.
Prænestini Epiſcopi: Alanus. 552. a. Guido Card. 346. c. 347. 348. b. Marcus 591. c. Paulus. 333. c.
Priſinenſis Ep. Hermannus. 455. a.
Priwina Moravorum Dux. 151. c.

Q.

QUadi. 2. c. 3. a.
Quadorum Dux Percha. 49. c.
S. Quirinus Ep. Siſcienſis 21. a. 22. b. 37. b. fabula de patrimonio Quirini. ib. c. 24. a. non fuit filius Philippi Imp. 25. a. nec Ep. Laureac. 25. b. 26. a. 37. b. perperam confunditur cum Quirino Tegernſeenſi. 26. c. Quando Siſcienſi Eccleſiæ præfuerit. ib. c. in captivitatem abducitur. 38. b. Amantio Præſidi ſiſtitur. 39. a. in Sibarim fluvium demergitur. ib. b. tempus Martyrii. ib. locus ſepulturæ. ib. c. transfertur Romam. ib. plures Eccleſiæ corpus S. Martyris ſibi vendicant. 40. a. variæ de anno mortis illius ſententiæ. ib. de XL. ejus Sociis non conſtat. 40. c.

R.

RAcanatenſis Ep. Marinus de Tocco. 517.
Ratfredus Favianenſis Ep. 72. b.
Ratisbonenſes Epiſcopi: Adalwinus. 153. a. Albertus. 383. c. 388. c. 390. a. 393. b. c. Ambrico 161. c. Conradus. 334. c. 338. b. 339. c. Cuno. 327. c. Fridericus 534. b. Gebehardus. 240. a. 249. c. Gowibaldus. 127. c. Hartwicus. 294. a. 315. c. Henricus 308. c. Iſingrinus. 192. b. Leo 410. c. 413. a. 417. b. Michael 200. c. Otto. 254. b. Sigiridus. 371. c. 376. b. c. 382. a. Tutto. 112. c. 176. a. Wicterpis. 113. c. Wolfgangus. 224. a.
Ratisbonenſis Antiſtita Brigitta Henrici Bavariæ Ducis filia. 235. a.
Ratisbonenſis Decanus Wilchelmus Weilhamer. 709. c.
Ratmundus Abbas Altahenſis. 228. b. 243. c.
Rato ſeu Raſſo Andecenſis Marchio Bojariæ. 189. a.
Raymundus Ep. Patav. LXIX. generis nobilitas. 813. a. adoleſcentia ib. b. vita inter Canonicos Paſſavienſes traducta. ib. c. electio in Ep. Paſſav. 814. a. ejus egregiæ virtutes. ib. b. c. cura Baſilicæ Cathedral. 815. a. Opera nova, & ſtudium utilitatis publicæ. ib. c. Obitus & tempus Regiminis. 816. a.
Regionenſis Ep. Ermenaldus. 203. a.
Rhætiarum Ep. S. Valentinus. 64. a.
Rhætobona hodie Ratisbona. 72. a. 86. b.
Reginarius Ep. Patav. IX diſſidet cum Arnone Salzb. 104. a. reſtituitur à morte Arnonis, à quo ſede ſua pulſus fuerat. ib. b. c. litigat cum Adelramo Salzb. de finibus diœceſis. 155. a. litem dirimit Ludovicus Bavarus. ib. Reginarius recuperat bona Eccleſiæ Patav. ib. b. c. 156. a. Ludovici junioris in Eccleſiam Pat. liberalitas. ib. b. c. obitus Epiſcopi. 157. a.
Reginbertus Ep. Patav. XXVI. 204. b. electio & nobilitas generis. ib. c. conſecratur. 305. b. tuetur Monaſterium Alderſpacenſe. ib. conſecrat capellam in Dornbach. ib. c. ejus in promovenda Monaſteriorum fundatione ſolertia. 306. a. b. c. 307. a. ejus ſtructuræ ib. b. c. expeditioni in Palæſtinam ſe adjungit. 309. a. b. eventus expeditionis & obitus Epiſcopi. ib. c. Eccleſiæ ab eo conſecratæ. ib. an interfuerit Concilio Lateranenſi? 310. a.
Reginmarus Ep. Pat. XXV. plura Monaſteria ſub illo erecta. 297. a. 298. a. b. in Clauſtro-Neoburgenſe Monaſterium Secularibus Canonicis Regulares ſubſtituit, 299. c. conſecrat Eccleſiam earundem. 300. b. recuperat decimas Eccleſiæ Pat. ib. c. quæ res ei litem cum Mellicenſibus parit. 301. a. qua cedere cogitur. ib. b. obitus. 302. b. an viſio de Regimaro vera an conficta? ib. c. 303. a. b. conſecrat Eccleſiam parochialem ad S. Hippolytum. ib. c.
Remenſis Ep. Hincmarus 113. c. Altorfus. 200. c. Artaldus. ibid. b.
Ribunenſis Ep. Lioptacus. 200. c.
Rigenſes Archi-Epiſcopi: Abundinus. 495. c. Joannes 494. c.
Richardus Baſileenſis Ep. 200. c.
Robertus Apuliæ Dux. 275. a.
Rokezana Pragenſis Pſeudo-Ep. 545. a.
Romanorum primus in Pannoniam adventus. 2. c.
Rotenberg caſtrum à Ludovico Bav. Gebhardo Pat. Ep. adjudicatum 368. c. 369. a.
Rubelacenſes Epiſcopi Otgarius 161. c. Sbarchandus. 200. c.
Rudiger de Pechlarn Præfectus limitis Orientalis 188. a. ab Henrico aucupe in exilium pulſus 206. a. an fuerit affinis Piligrino Pat. Ep. ib.
Rudigerus Ep. Pat. XXXVII. fuit Epiſcopus Chymenſis. 375. b. initium Epiſc. Pat. ab eo ſuſcepti. ib. c. intereſt expeditioni contra Ducem Auſtriæ. 376. b. capitur è prælio ib. c. 377. a. revertitur Pataviam. ib. b. turbis Alberti de Beham implicitus. ib. c. 378. usque 383. c. ſeuda Eccleſiæ Pat. à Friderico poſſeſſa. 379. b. c. 380. a. Rudigerus adeſt Concilio Ratisb. ib. b. conſecrat Hermannum Abbatem Altahenſem. ib. c. concedit Monaſt. S. Crucis immunitatem à vectigalibus 381. feſtum S. Colomanni per Auſtriam promulgare jubetur à Pontif. ib. ad Concil. Lugdun. in Gall. nuncios mittit. 382. Anathemate notatur. 383. c. ſuadetur ei abdicatio Ep. Pat. 384. c. 385. a. exauctoratur. ib. b. c. beneficus in Monaſteria 386. a. b. c. 387. a. obitus. 386. c.
Runa Styriæ cœnobium. 322. a.
Rupertus Ep. Pat. XXVIII. ex Decano Patav. 323. c. conſecratio. ib. obitus. 324. c. beneficus in Alderſpacenſe Monaſt. ib.
S. Rupertus Wormatiæ Ep. Pataviam venit. 108. b. Prædicat Laureaci. ib. Inſtituitur Ep. Salzb. 113. b. 120. c.
Rupertus Bambergenſis Ep. 263. b.
Ruræmundenſis Ep. Eugenius Albertus. 750. c.

S.

SAbaria Pannoniæ Metropolis. 11. a. Colonia Rom. & ſedes Præſidis. 38. c.
Sabionenſes Epiſcopi: Alim. 136. c. 137. a. Emericus. 153. a. Wiſundus. 192. c. Zacharias 176. a. vide *Brixinenſis.*
Salmenſis Abbas Chunradus. 458. b.

Salonenſis Ep. Adalbertus. 574. a. c. 595. b.

S. Salvatoris Collegium prope Oſterhoven adjungit ſe Ordini Præmonſtratenſium 446. a. b. Eccleſia ab Udalrico III. Pat. Ep. extructa. 471. c.

Salzburgenſis Epiſcopatus erigitur. 113. b. 120. c.

Salzburg. Eccleſia conſecrata 414. b.

Salzburg. Concilium. vide Concilium.

Salzburg. Ep. S. Rupertus. 108. b. S. Virgilius. 440.

Salzburg. Archi-Ep. Adalbinus. 161. c. Adelramus 155. a. Albertus. 326. a. Arno primus Archi-Ep. 8. c. Burchardus 546. c. 547. c. Conradus 299. c. 305. b. 322. b. 442 b. 449. c. Eberhardus. 304. c. 322. a. 346. b. 349. a. 359. c. 365. a. usque 372. b. Eberhardus Starenbergius. 522. b. Egilolfus. 190. c. Erneſtus. 620. b. Fridericus 414. b. 417. b. 424. c. 426. c. 456. b. 596. b. Gebchardus 293. c. Geroldus 201. a. Guidobaldus. 759. a. Herolſus 200. c. 201. c. 202. a. Henricus 460. a. Joannes Erneſtus. 762. c. Joannes Jacobus. 627. a. c. Leonardus 600. c. Mathæus Langus. 604. c. 609. b. Michael 625. c. Ortolfus de Weiſſeneck. 462. a. 466. a. Philippus. 385. c. 395. c. 398. b. Piligrinus 483. b. Rudolphus 440. a. Sigismundus Volkenſtorff. 542. c. 550. c. Theodmarus 170. c. 171. a. 172. a. 176. a. Udelbertus 189. c. Ulricus 400. b. 404. a. 405. c. Wenceslaus. 411. c.

Salzb. Decani: Hartmanus. 297. c. Ortolfus 465. b. Weichardus de Polheim. 450. a.

— Præpoſitus: Wenceslaus è Com. de Thun. 795. a. 760. b.

Sanctuarienſis Ep. Auguſtinus à Friderico I. Pat. Ep. ad Huſſitarum hæreſim deſerendam fruſtra commonitus. 591. c. 592. a. b.

Sardica urbs Thraciæ in Myſia, hodie Sophia. 44. c.

Saxoniæ Duces: Albertus 420. c. 422. c. 466. a. Bernardus Anſpacenſis. 331. b. Conradus 343. c. Erneſtus. 548. c. Fridericus. 606. a. Joannes II. 453. b. Mauritius. 621. Rudolphus. 453. a. 473. c.

Sbarchandus Rubelacenſis Ep. 200. c.

Scarabantia urbs Pannoniæ hodie Edenburgum ſeu Sopronium. 11. a. 21. b. 39. c.

Scharleinpachium Oppidum in ditione Pat. 637. c.

Scharffenberg familia vetuſta Styrorum. 480. c.

Schaumberg Comes Collegii Ardacenſis Præp. 467. a.

Schisma XL. ferè annorum Martini V. electione ſublatum. 495. a.

Sclavorum Apoſtolus S. Amandus Trajectenſis 103. a. S. Rupertus illo junior fuit. ib. Quando in Noricum venerit? ib. b. Sclavorum ſuperſtitio. ib. Regnum ſuper Aniſum extendunt. ib. c. Samo eorum primus Rex ib. Hunni Avares ab eo ex Pannonia & Norico non expulſi. 104. a. fuit paganus. ib. ejus bellum cum Francis. ib. b.

Sclavorum Reges Boruthus. 109. a. Marothus ſeu Maravodus. ib. Samon. ib. Suathes, ſeu Suaioſus. ib.

Scytharum Tomitanorum Ep. Theotimus. 54. a.

Sebaſtianus Ep. Pat. LXVII. è nobiliſſima familia ortus 763. a. commendatur à Leopoldo Imp. pro Epiſcopatu Pat. ib. c. concordata Capituli ejus electioni præmiſſa. 764. a. 765. usque 772. electio & confirmatio ib. cura Paſtoralis. 773. b. Leopoldum Imp. excipit, Viennâ ob metum Turcarum advenientem. 774. c. curat fabricam Baſilicæ Pat. 775. c. à Cæſare Ratisbonam legatus mittitur. ib. obitus & elogium. 776. b. c. 777. a. b.

Sebonenſis Ep. vide Sabionenſis.

Seccovienſis Epiſcopatûs erectio. 365. b.

Seccovienſes Epiſcopi: Carolus 368. 371. c. Erneſtus Comes de Thun. 778. c. Henricus 443. c. Joannes Malentinus. 603. a. Joſephus Dominicus Comes à Lamberg dein Ep. Pat. 817. b. Leopoldus. 426. c. 444 a. Ulricus 466. a. 467. c. Wernhardus. 417. b. 420. c. 422. c.

Senenſis Ep. Æneas Sylvius. 532. c. 542. a.

S. Severinus Noricorum Apoſtolus. 8. a. 69. a. b. c. non fuit Epiſcopus. 12. b. 69. c. deſcriptio variorum locorum ubi verſatus eſt. 70. usque 74. a. 80. c. duo templa S. Joan. Bapt. condit. 81. c. Noricis ſuccurrit. 78. Alemannorum & Rugorum Reges ſibi devincit 79. a. prodigia quædam ſingularia. 80. c. plures ex ejus diſciplina Sanctimoniâ clari. 81. a. ejus ratio vivendi. ib. b. multa Spiritu prophetico pronunciat. ib. c. uti & mortem ſuam. ib. ultima ejus monita & obitus 82. a. translatio corporis. ib. Cultus Canonicus. Corollar. X.

Siboto Auguſtanus Ep. 371. c.

Sicambria Budæ veteri reſpondens, Chabæ Hunnorum Regis ſedes. 141. a.

Siciliæ Rex Ladislaus. 491. a.

Sidonius Ep. Pat. III. videtur cum Virgilio è Britania veniſſe. 130. c. ejus controverſia cum Bonifacio. 131. a. b. evocatur Romam. 132. a. obitus. 134. c.

Sigefridus Marchio Orientalis.

Sigehardus è Comitibus de Pleien Patriarcha Aquil. 367. c.

Sileſiæ inferioris Dux Henricus. 405. a. 406. b.

Simbalienſis Ep. Joannes Brenner. 709. c.

Singidonenſis Ep. Urſacius. 45. b.

Sirmium non fuit locus cauſarum ante tempora Conſtantini. 22. a. conciliabula Armenianorum hic habita. 46. a. Hoſii lapſus. ib. Sirmii deſcriptio 56. b. funditus evertitur. 102. a. Sirmienſis prærogativa Theſſalonicam transfertur. 59. c. 60. a. 61. c.

Sirmienſis Ep. Anemius. 52. a. Irenæus. 21. a. 57. b. Photinus 45. b. 51. c. item Coroll. IV.

Siſciæ deſcriptio. 37. b.

Siſcianus Ep. Conſtantius. 37. c. Marcus ib. S. Quirinus. 21. a. 37. a. b. c. usque 40. a. b. item Corollar. IV.

Sleswicenſis Ep. Horatius. 200. c.

Solienſis Præp. Gotfridus. 420. c.

Spirenſes Ep. Conradus. 351. c. 363. b. Huzmanus. 275. c. Lambertus. 476. b. Otto. 340. a. Reginzo, ſeu Raimbaldus. 200. c.

Spirenſis Eccleſiæ Præp. Henricus, dein Ep. Pat. 327. a.

Squillacenſis Ep. Thomas. 402.

Stokeravia celebratur Martyrio S. Colomanni. 238. a.

Stridonenſis Epiſcopatus. 21. b. Epiſcopus Domnus. 43. c. vide Corollar. IV.

Strigonienſis Archi-Ep. Joanoes. 491. c. 494. b.

Styrenſium Marchionum origo & genealogia. 273. b. c.

Styriæ

Styriæ Duces Erneſtus. 527. b. Otacharus 466. c.
Styrenſis Marchio Otacher. 273. a.
Styriæ Ducatus ſub Leopoldo ad Auſtriacos devenit. 338. c.
Suevorum Regio. 75. b.
Suevorum Duces Conradinus. 412. Fridericus 321. c.
Sueciæ Rex Guſtavus Adolphus. 719. c.
Suinſordienſis Marchio Henricus, dictus Hezilo. 236. a.
Symbertus Nivenburgenſis. Ep. 141. c.
Synodus vide *Concilium.*

T.

TEurnia oppidum Noricorum. 72. a.
Thaſſilo Oriloni in Bavariæ ducatu ſuccedit. 133. c. Synodum Dingolfingæ convocat 136. a. ejus erga Waldericum Pat. Ep. ſavor. 138. a. fundat Monaſterium Crembsmünſtrenſe ib. c. 139. a. qua de cauſa exauctoratus? ib. b.
Theobaldus vide Dietboldus.
Theodorus Archi-Ep. Laureac. 87. c. Pallium ei à Symacho Papa mittitur. ib. ad eum Epiſtola. 88. a. non fuit primus Archiepiſcopus Laureac. ib. b. initium ſuſceptæ ab eo ſedis. ib. c. Arianis obſiſtit. 89. de morte & martyrio illius fabula. ib. c.
Theodorus II. quando & quamdiu geſſerit Epiſcopatum 109. c. non fuit agnitus Archi-Epiſc. Laureac. 110. a. obitus & ſucceſſus. 114. a.
Theophilactus Conſtantinopol. Patriarcha Hierotheum Monachum Hungarorum Epiſcopum creat. 202. c.
Thimo Archi-Ep. Salzb. Altmannum Pat. Ep. ſepelit. 281. c.
Tibornia ubi ſita. 85. c. aliqua de hac urbe notantur. 86. a.
Tibornienſes Epiſcopi Paulinus, Leonianus, Modeſtus. Corollar. IV.
Ticinenſis Ep. Ennodius. 8. b.
Thiemo Pſeudo-Ep. Pat. 276. c.
Tomitanorum Ep. Theotimus. 54. a.
Tornacenſis Ep. Franciſcus. 750. b.
Trajectenſes Ep. Goswinus Amitelius. 389. c. Gotfridus. 321. c. Paldricus. 200. c. Wilhelmus. 254. b.
Traunkürchenſis Antiſtita Diemundis 338. a.
Trecaſſinus Ep. Rænerius. 278. a.
Treiſma de Comites. 207. a.
Treiſma fluvius ad montem Cetium. 222. b.
Tremonia hodie Dortmund. 232. a.
Trevirenſes Archi-Ep. Arnoldus. 330. a. Diotricus 213. b. Hillinus. 317. a. Joannes. 340. a. Philippus. 720. c. Poppo. 237. a. Radbodus. 166. a. Rupertus 200. c. Theodoricus. 364. a. Udo 263. a.
Tridentini Ep. Altmannus. 465. c. Henricus 424. c.
Trigiſamum hodie Traſmauer. 70. c.
Tripolitanus Ep. Paulus. 424. c.
Trojanus Ep. Galterus. 340. a.
Tulna ad Tulinam flumen. 71. a.
Tullenſis Ep. Gozlinus. 200. c.
Turonenſis Ep. S. Martinus. 47. c.
Tuſculani Ep. Beſſarion. 552. a. Petrus. 333. c.
Tutundus ſeu Tudunus Hunnorum Princeps. 147. c.
Tyrnſtanenſis Collegii Canon. Reg. primus Præpoſitus. Martinus. 491. b.

V.

VAlens Pannoniæ Ep. 45. b.
S. Valentinus Rhætiarum Apoſtolus, & Epiſcopus. 64. c. 65. a. Synopſis vitæ reperta in plumbea tabula. ib. b. 294. b. quo tempore Pataviam venerit? 66. b. præclara ejus geſta ib. c. Obitus 67. a. condit Monaſterium ib. ſepultura ib. c. translatio. ib. & 129. c. 135. b. 294. c. 440. c. erat Regionarius Ep. Pat. 136. a. b. c. ejus corpus inventum ab Udalrico Pat. Ep. 294. b. Ejus cultus antiquiſſimus. Corollar. X.
Valeria pars Pannoniæ quæ? 5. c. 38. a.
Varadinenſis Ep. Joannes 547. c.
Udalricus Aquilejenſis Patriarcha. 330. a.
S. Udalricus Auguſtanus Ep. 209. a.
Udalricus I. Ep. Pat. XXIV. ex Præpoſito Auguſtenſi. 284. a. generis nobilitas. ib. b. functus munere Legati Apoſtolici. ib. c. inſtaurat Monaſterium Gotwicenſ. 286. a. b. c. præficit Formbacenſibus Abbatem primum Perngerum. 287. b. inſtaurat Monaſterium S. Nicolai. 288. a. intereſt Synodo Placentiæ ib. b. conſecrat Eccleſiam in Chirchperg ib. c. an in Palæſtinam profectus ſit, circa *1101.* 289. a. b. c. intereſt Concilio Guaſtallenſi. 290. a. confert operam ad fundationem Monaſt. Garſtenſis. 291. c. procurat exemptionem Monaſt. Mellic. 292. a. Eccleſiæ ab eo conſecratæ. 292. b. c. &c. obitus. 295. a. b. elogium ib.
Udalricus II. Ep. Pat. XXXV. non ſatis exploratum qua ſtirpe oriundus. 360. a. fuit Leopoldi Ducis Protonotarius. ib. c. adeſt Concilio Later. ib. & Saliſburg. 361. a. erigit parochiam in Perchtoldsdorf. ib. c. 362. a. laudatur ejus in Imperium fidelitas. ib. c. 363. a. impetrat à Friderico Rom. Rege confirmationem Abbatiæ. Patav. ib. c. 364. a. celebrat Ordines in Zwetl. ib. b. celebrat Synodum Patav. 365. b. c. in terram Sanctam proficiſcitur. 366. b. c. obitus. 367. a.
Udalricus III. Ep. Pat. LIIII. electus contra voluntatem Friderici Cæſaris. 538. c. genus, ſtudia, functiones, electio. ib. quæ varias turbas excitat. 539. a. b. c. 540. 541. a. b. tandem confirmatus in ſua ſede. ib. c. conſecratio. 542. b. obtinet confirmationem privilegiorum. ib. c. 543. a. 549. a. b. c. & Diploma pro immunitate vectigalium 544. b. c. Legatus in Galliam pro Ladiſlai Regis ſponſa 545. b. fit Cancellarius Imperii. 547. c. 548. a. celebrat Synodum Pat. 553. a. ejus ſtatuta ib. b. c. usque ad 569. c. Supplementum Actorum Udalrici. 571. 572. 573. a. obitus ib. elogium. ib. b. c.
Verdenſes Epiſcopi: Bruno 209. a. Erolfus. 161. c. Hermanus. 321. c. Rudolphus. 473. c.
Veſprinenſes Epiſcopi: Chartuitius. 227. c. Joannes. 596. b.
Viana oppidum Noricorum 72. a. ſeu potiùs *Juenna.*
Victorinus Ep. Petovienſis. 21. a.
Victricenſes Epiſcopiſcopi: Andreas 503. c. Leonardus 536. a.
Viennenſis Epiſcopatus erectio 552. b. c. promulgatur. 585. Eccleſia conſecrata à Reginberto Pat. Ep. 309. c. Baſilica extructa. *1359.* 465. c. 466. b.

466. b. Jam olim actum de Epiſcopatu Viennæ erigendo. 351. c. & ſeq. 381. b. vide *Favianenſes Ep.*
Viennenſes Epiſcopi: Franciſcus Antonius ab Harrach dein Archi-Ep. Salzb. 802. a. Fridericus 616. c. Joannes Faber. 608. b. Leo de Spauer primus Ep. 585. Melchior Cleſelius. 672. c. 683. c. 684. c. Urbanus. 596. c.
Viennenſes Canonici quando ad D. Stephanum tranſlati. 466. c. 470. c. 471. a.
Viennenſes Præpoſiti: Albertus Schaumberg 358. Antonius. 488. c. Joannes Mayrhoffer primus Præp. Melchior Cleſelius. 462. b. Wilhelmus Thürs. 504. a. 505. a. 525. a.
Viennenſis Eccleſiæ patronatus adjudicatur Epiſcopo Patav. 359. a. b.
Viennenſis parochus: Albertus è Ducibus Saxoniæ. 452. b. c. 456. a. Eberhardus. 309. c. Gregorius ib.
Viennenſis Academia fundata à Rudolpho IV. Archiduce Auſtriæ. 471. c. completa. 482. c. 483. a. b. ejusdem literæ ad Martinum V. in cauſa electionis Leonardi Pat. Ep. 509. 510. 511. a. b. item acta Legationis Alberti Auſtriæ Ducis hoc ſuper negotio. ib. c. 512. 513. a. b. c.
Viennæ Galliar. Ep. Guido. 285. c.
S. Vigilii Ep. & M. reliquiæ inſignes Patav. Corollar. X.
Vilshovenſe Canonicorum Collegium erectum 1376. 478. a. b.
Vindeliciæ ſitus 1. c. unde nomen traxerit & quomodo olim appellata. 6. a. Lucius ejus Apoſtolus. 19. c.
Vindelici ubi fuerint olim. 1. a.
Vindomina urbs Pannoniæ. 55. a. Idem quod Vindobona. vide *Faviana.*
Vipacus fluvius ad Alpes Julias. 14. b.
Virdunenſis Ep. Peringarius. 200. c.
S. Virgilius ob controverſias cum Bonifacio Romam evocatur. 132. a. Epiſcopatum Salzb. à Pipino ſibi deſtinatum, ab Otilone accepit 131. c. jam habuit Diœceſim in Boiaria anno 748. 132. a. 133. b. interfuit Concilio Dingolfingenſi. 137. a. ejus ſepulchrum inventum Salzburgi poſt incendium. 331. c. ubi tranſlatio celebrata. 440. c.
Viſitatio præcipuum paſtoris munus. 821. b.
Vivilo Ep. Pat. primus. 120. a. Sedem Laureac. Pataviam tranſfert. ib. jurisdictio in Boiaria quænam fuerit in Boiaria ante Eccleſiaſticarum præfecturarum inſtitutionem? ib præter Vivilum nullus in Boiaria Ep. tempore Gregorii III. Pont. ib. c. quando in Epiſcopum conſecratus? 121. & à quo 126. c. Laureaco Pataviam fugit. 121. b. ætas vitæ & ſedis. 126. b. c. 127. a. obitus ib de Sanctitate teſtimonia. ib. c. Monaſterium Laureaci condidiſſe putatur. ib. conjectura de Monaſterio S. Floriani. 128. a. b. Epiſtola Zachariæ Pont. non ad Vivilonem ſed ad Wittanum Epiſcopum Buriburgenſem data. 129. b.
Urbanus Ep. Pat. LXII. genus & laudes 626. c. functiones ante Epiſcopatum 627. a. electio, confirmatio. ib. Conſecratio ib. c. omnium anteceſſorum diutiſſimè rexit. ib. c. Literæ Pont. ad eum in negotio acatholicorum. 628. c. 629. a. b. intereſt Concil. Salzb. 630. c. reformationem religionis aggreditur. 632. a. b. magnus ad hanc rem Cleſelii uſus. 633. c. tranſactionem facit cum Regentibus Auſtriæ. 634. c. 635. 636 a. b. ejus egregia virtus. 638. c. 639. ejus ſtructura. 640. a. b. c. ſtatuta & Sanctiones Urbani. 643. usque 665. b.
Urolphus Ep. Pat. VII. fuit Archi-Ep. Laureacenſis. 146. b. aggreditur opus Apoſtolicum. ib. b. 148. a. b. controverſia circa Laureac. Archi-Epiſcopatum jam ante Urolphum cœpta. 147. a. quatuor Sedes Epiſcopales inſtituit, quarum nomina explicantur ib. b. 148. a. Hunnis & Sclavis Evangelium prædicat, eorúmque Duces convertit. ib. b. Pallium Archi-Epiſcopale ab Eugenio II. impetrat. 149. a. Literæ Pont. ib. b. c. 150. a. obſiſtunt Salzburgenſes. ib. b. lis inter Urolphum & Reginarium. 151. a. b. obitus 152. c.
Urſacius Ep. Singidonenſis. 45. b.

W.

Waldericus Ep. Pat. VI. interfuit tranſlationi Corporis S. Nazarii. 138. a. impetrat à Taſſilone confirmationem privilegiorum ſuæ Eccleſiæ ib. b. operam conſert fundationi Monaſterii Cremsmünſtrenſis. ib. c. dedicat Eccleſiam Scheftlarienſem. 139. a. an diem obierit ante erectionem Archi-Ep. Salzb. 142. a. b. an fuerit Archi-Ep. Laureac. 143. b. c. Eccleſiæ Patav. acceſſiones, & commoda ſub illius Epiſcopatu. ib. c. adeſt variis conventibus. 145. a. obitus ib. c.
Walterus vide *Wolfkerus.*
Warnenſis Ep. Nicolaus. 503. c.
Weiſſenegg. de Barones, è quorum familia Godefridus II. Ep. Pat. 462. a.
Welehradenſis Epiſcopatus quando inſtitutus? 162. a.
Wenceslaus Ep. Pat. LXVI. è familia Comitum de Thun. 759. electio. ib. confirmatio ib. b. fit Epiſcopus ſimul Gurcenſis. ib. c. reparat Baſilicam Pat. 760. c. conſtituit officia publica. 761. b. & cuſtodes corporis primus adhibet. ib. c. obitus. 762. a. tranſactio ejus cum Canonicis de ſpoliis è morte Epiſcopi. ib. c. Ejus ſententia de viſitationibus 821. b.
Wernhardus, Wernherus vide *Bernardus.*
Wernherus Neoburgenſis Præpoſitus. 330. c.
Wichardus. Ep. Pat. XLIII. è familia de Polheim fuitque Præpoſitus Pat. 424. b. c. conſecratio ib. impetrat confirmationem immunitatis vectigalium. 425. a. adeſt Synodo Salzb. ib. b. an pacem inter Duces Auſtr. & Bavar. conciliaverit. ib. c. obitus 426. & duratio ſedis. ib.
Wichingus Ep. Pat. XIII. ejus geſta ante Epiſcopatum 168. a. fit Cancellarius Arnulfi. ib. b. c. & Ep. Pat. 169. a. Diploma pro ſua Eccleſia ab Arnulfo obtinet. ib. b. c. 170. a. b. c. à Theodmaro Salzburg. deponitur. ib. 171. a. Duratio Sedis. ib. b. alia ejus geſta. ib. c. elogium. 172. a. b. c.
Wicterpus quando fuerit inſtitutus Epiſcopus Ratisbonæ? 113. b.
Wigileus Ep. Patav. LVIII. Genus. & Officia geſta. 598. c. electio, confirmatio, conſecratio. 599. a. b. obtinet confirmationem privilegiorum Patav. ib. c. conſecrat Abbatem Formbacenſem. 600. a. Synodum celebrat ib. intereſt tranſlationi S. Leopoldi. ib. c. intereſt Conventui

Digitized by Google

ventui Regum Viennæ. 601. b. ætas & obitus. ib. c. ſepulchrum, Epitaphium. 602. b.
Winckel de Barones è quorum familia Albertus III. Pat. Ep. 479. c.
Wiſigothorum Duces Alaricus. 54. b. Alatheus 51. a.
Wiſuricus Ep. Pat. V. quamdiu ſederit? 135. b. corpus S. Valentini ſub eo Pataviam translatum. ib. interſuit Conventui Epiſcoporum Bavariæ. 136. c. item Dingelfingenſi 137. a. obitus. ib. c.
Wiſſegradenſis Præpoſitus Wladislaus dein Pat. Ep. 405. & Archi-Ep. Salzb. 406. b.
Witgarus Auguſtanus Ep. 161. c.
Wittanus Buriburgenſis Ep. 129. b.
Wladislaus Ep. Pat. XLI. è nobili genere oriundus. 405. a. fuit Præpoſitus Wiſſegradenſis. ib. b. promovetur ad ſedem Salzb. ib. c. 406. a. obitus. ib.
Wolbertus vide *Wolfkerus.*
S. Wolfgangus Apoſtolicam expeditionem ad Hungaros inſtituit. 204. c. quando in Pannoniam venerit? ib. revocatur à Piligrino Pat. Ep. ib. 205. a. promovetur ab eodem ad Ep. Ratisbonenſem. ib. ejus obitus. 230. a. fuit liberorum Henrici Bavari Inſtitutor. 235. a.
Wolfgangus I. Ep. Pat. LX. laudatur à virtute & nobilitate. 614. b. c. 665. a. b. ſtudia literarum ib. c. fuit Præpoſitus Pat. 616. a. electio, confirmatio. ib. b. interſuit Conciliis Spirenſibus. ib. c. mittitur Tridentum & Ratisbonam à Ferdinando Rege. ib. 617. a. recuſat Cancellarii Imp. munus ib. literatis favet. ib. b. c. ejus zelus Religionis 618. b. c. 619. a. b. Societatis JEſu Patres in Auſtriam evocat. 621. a. conventus celebris Pataviæ variorum Principum. ib. ejus de civitate Pat. cura. ib. b. c. & de ærario. 622. a. ſtructuræ ib. c. obitus, ſepultura, Epicedion. 623. c. 624. a. b.
Wolfgangus II. Ep. Pat. LXI. inter multos rivales electus. 625. b. confirmatur. ib. c. conſecratur. ib. valetudine improſpera uritur. ib. obitus. 626. a. duo memoranda ſub illius Epiſcopatu. ib. b.
Wolfketus Ep. Pat. XXXII. fuit Præpoſitus Cellenſis, & Pat. Canonicus. 337. c. conſecratur. ib. quando ſedem auſpicatus ſit? 338. a. intereſt Conventui Ratisbonæ. ib. b. traditur ei Abbatia Pat. ab Henrico Imp. 339. b. c. 340. a. b. conſecrat Eccleſiam in Beneventenruth. ib. c. conſtituit novum Præpoſitum Reicherſpergenſibus. ib. bona gentilitia adjungit Eccleſiæ Pat. 341. a. confirmat poſſeſſiones Monaſterii S. Andreæ ib. c. facit permutationem cum Monaſterio S. Hippol. 342. b. c. confirmat parochiam in Zeiſterſtorff. 343. a. In Palæſtinam proficiſcitur. ib. c. adeſt morienti Friderico Archi-Duci. 344. a. ejus transactio cum Gundacaro de Styra. ib. 345. a. b. bellum gerit cum Ortenburgicis. ib. c. adeſt Conventui Norimberg. ib. conſecrat Eccleſiam Scotorum Viennæ. 346. c. citatur Romam ab Innocentio IV. quòd Philippo Regi faveret 347. a. b. tranſit ad Sedem Aquilejenſem. 349. a. obitus. ib. c.
Wormatienſes Epiſcopi. Adelbertus. 255. a. Gunzo. 161. c. Henricus 340. a. Joannes 473. c. Leopoldus 347. b. Richgovo 200. c. S. Rupertus. 108.
Wratislavienſis Decanus Joannes Rot. 549. a.

Y.

YPonenſes Ep. Nicolaus. 598. b. c. Wolfgangus. 572. c.
Yrolphus vide Urolphus.

Z.

ZIſterſtorffenſis parochia à Wolfgero Pat. Ep. confirmata. 343. c.

Errata / corrige.

pag.	Lin.	Errata	corrige.
pag. 19.	Lin. 21.	Antoniana.	Antomniana.
31.	22.	Ripa.	Pipa.
33.	14.	Fornacenſi.	Tornacenſi
37.	27.	Pannoniæ ſecundæ,	Pannoniæ primæ.
57.	43.	Atnannos,	Amantius.
58.	marg.	pro ſenſu.	Quo ſenſu.
58.	40.	Fetro & Marca.	Petro de Marca.
67.	40.	745.	475.
67.	penult.	777.	768.
74.	5. & 6.	locus.	lacus.
74.	marg.	CCLXXII	CCCCLXXII.
107.	53.	DCCXCVI,	DCXCVI.
109.	30.	Bollandi,	Papebrochii.
215.	4.	Angelum.	Angulum.
168.	32.	Moſabunch.	Moſaburch.
187.	31.	Burchardo.	Bertholdo.
191.	29.	presbyterorum, qui	presbyterorum, & quando à te Synodus celebratur, ſi fortè conventiculum illic fuerit Neophytorum, qui
202.	ult.	profeſſo.	Profeſto,
228.	29.	literis.	lituris.
235.	45.	Sebaſtinus.	Sebaſtianus.
236.	48.	paleſcente.	pateſcente.
265.	33.	1087.	1078.
275.	43.	ſentia.	ſententia.
289.	13.	hominis jam ferè ſeptuagenarii.	hominis octogenarii,
383.	30.	Gregorii.	Innocentii.
434.	39.	Decanum,	Diaconum.
439.	18.	ſi.	de.
492.	5.	nuga.	ruga.
525.	21.	MCCCCXXIV.	MCCCCXXXIV.
573.	52.	poſtulato,	poſtulatio.
600.	marg.	S. Ypol.	S. Leopol.
623.	15.	navio.	navigio.
631.	antepen.	gratu.	gradu.
642.	penult.	pecatores.	precatores.
656.	46.	grætiæ,	gratiæ,
668.	20.	ſatirs.	ſatius.
671.	7.	parochis,	parochiis,
675.	21.	pro.	præ.
691.	42.	juſtitism.	injuſtitiam.
694.	30.	reflectus.	refectus.
703.	18.	natus,	nactus,
775.	43.	quadragintis.	quadringentis.
779.	41.	Lambacenſis	Labacenſis.
814.	53.	profeſſis,	Profeſtis.
Coroll. III.	15.	947.	974.
IV.	40.	308.	303.
V.	28.	Martii.	Aprilis.
VI.	ult.	1525.	1725.
VIII.	11.	1889.	1189.
XVII.	6.	Lamberg Cuſtos.	Vox Cuſtos deleatur.
XVII.	8.	Kokorzowa.	Kokorzowa Cuſtos.

Errores alios Lector ipſe facilè notabit.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google